STANISLAI KONARSKI
E SCHOLIS PIJS

DE ARTE BENE COGITANDI, AD ARTEM DICENDI BENE, NECESSARIA.

Anno 1767.
VARSAVIÆ
Typis S. R. M. & Reipublicæ Sch: Piar:

K-1521/B

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA
im. Jerzego Giedroycia w Białymstoku
FUW0115160

St-24

AD LECTOREM.

POllicitus eram in Libello de emendandis Eloquentiæ vitiis *propositum idem me ulterius prosecuturum. Quamvis tamen alteram operis partem, jam tum paratam habuissem, sed cum id quod mihimet proposueram, consecutum me edito in lucem priore Libello satis intellexissem, editio posterioris ejusdem partis mihi omnino superflua visa fuit. Pluribus enim urgere idem, quod jam satis intellectum est, intemperantis est.*

Nunc cum otio meo frui mihi licuerit, utiliore quodam alio modo, instituto eidem dare operam induxi in animum. Nam cum orationis fundamentum, sit bona & recta cogitatio; de arte benè cogitandi ad artem benè dicendi necessaria *lucubrationem institui. Emendari enim meliùs*

nequit Eloquentia, quam si adolescentes prudenter, solideque cogitare, ac ratiocinari consuescant Delectum verborum ac ornamentorum ætas & ratio suggerent.

Cum autem Iuventutis imprimis instituendo officio nos vacare, ac respondere oporteat, methodum proinde in Rhetorica receptam, ad Juvenenum faciliorem captum commodumque me accomodando, amplexus; ordinem præceptionum Rhetoricarum ita secutus sum, ut ipsa de Inventione *præcepta usitata, ad bene cogitandum esse perutilia, & interea posse sufficere Adolescentibus, ostenderim. Præcepta itaque sua ordinaria tyrones discendo & explicando, ad bene cogitandum paulatim assuefient.*

Distinctis Typi Characteribus imprimi feci, 1mo. Præcepta, *quæ memoriter ut moris est, cōdiscātur. 2do.* Notas & Explicationes, *quæ tantum Juvenibus diligenter prælegantur. 3tio.* Denique *Exem-*

Exēpla, quorum quo plura incipientes addiscere poterunt, eo abundantiorem fructum referent.

Nescio an peccarim tanta exemplorum copia, cum Libellus hic solis fere excreverit, ut patet, exēplis: experientia tamen perpetua mihi constitit, ab ijs majorem longè lucem, quàm à Præceptis, Adolescentes capere; quòque plura eorum oculis subijciuntur exempla, eò magis mentes illorum ad intelligentiam juvari.

Patrijs exemplis plurimum incubui. Nostratibus enim hæc cumprimis utilia esse volui. Victuris in hac Repub. notitia horum fructuosa est. Magistris ipsis, tot, quæ adducuntur proponunturque, res g, aves & materias, non parvo adminiculo fore, sperandum est. Nec viris, qui hæc legerint, contemnenda fortasse ista videbuntur.

Potissimam Philosophiæ, Æthicæ, ac Politicæ partem, in tanta exemplorum diversitate & copia Adolescentibus suppeditare volui, ut sensim sine sensu, quasi aliud agendo, regula morum

morum, & aliqua cognitione Reipublicæ imbuantur. Magistrorum intererit ita hæc illis proponere, ne tam eximio priventur fructu.

Quod autem non lingua patria hæc fiat, cujus perficiendæ primaria nobis esse debet cura, nihil obest. Professor diligens hæc exactè traduci curabit, ita simul utraque in lingva Juvenes profectum facient. Jam latinus orator bonus, erit æquè bonus orator patrius: hac de re probata expertis, nemo dubitet.

Pluribus non moror. Censura & critice me quidem minimè conterrent, quas non defuturas certum mihi est, imo quas etiam in Repub. nostra literaria, jure suo uti vehementer opto. Absolutas omnibus numeris res suas putare, stultitia est. Ultro ac proterve ineptum esse, nefas est. Censores & judicia aut recusare, aut spernere imprudentia maxima est. Spontanea negligentia labi, spe veniæ apud omnes, ridiculum est. Hæc extrema vitavi. Fruere si libet, & vale. 1757.

DE

DE ARTE BENE COGITANDI AD DICENDUM BENE NECESSARIA.

§. I.

PRÆLUDIUM.

1. *Quid est Rhetorica?*
   Est ars, benè & ornatè dicendi.
2. *Quid imprimis requiritur ad dicendum bene?*
   Ut prudenter & solidè cogitemus ea, quæ dicturi sumus.

VIdendum enim est, ut antequam sensa nostra & cogitationes proferamus, eæ cum recta ratione benè cohæreant. Uti hæc cogitatio: *omnes homines laudem amamus: & quo aliquis est melior, eo magis amat gloriam:* est solida cogitatio, prudens, & rectæ rationi cohæret, quamvis rudis & inornata sit.

3. *In*

3. *In quo consistit ornatè dicere?*

In Delectu verborum, modorum dicendi, & artis Oratoriæ usu.

UT mox dictam cogitationem, ornatè protulit Cicero pro Archia Poëta: *trahimur omnes laudis studio, & optimus quisque, maximè gloria ducitur.* Eleganter simile quid Tacitus: *optimi mortalium altissima cupiunt.*

Discrimen inter *dicere benè*, & *dicere ornatè* similibus exemplis, tyrones eloquentiæ ut capiant, curandum omnino est. Dicam benè sed non ornatè. vg: *si homo famam post mortem non expectaret, si immortalitatem non præviderret, minimè laboraret, nec in pericula se committeret.* Hoc cogitatum dictumque bene, seu solide est, sed Cicero id ipsum perquam ornatè dixit pro Archia Poeta: *Si nihil animus præsentiret in posterum, & si quibus regionibus vitæ spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas, neque tot curis vigiliisque angeretur, neque toties de vita ipsa dimicaret.*

Si jam benè cogites, nec ornatè cogitata proferas, Orator non es. Ut si dixeris: *virtuosus homo laudem & gloriam sibi pro maxima recompensatione ponit:* benè cogitasti, sed vili & proletario es usus sermone. Cicero verò: *virtus* [inquit] *nullam aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, præter hanc laudis & gloriæ.*

Sed si malè cogites, nullus profecto ornatus dicenti proderit. Ut si dicas cum quodam: *generosus Stomachus perpetuam famem famæ semper patitur: nobili palato semper gustus gloriæ laudisque arridet.* Talis & cogitatio & eloquentia semper puerilis erit, ferulamque merebitur.

4. *Unde nomen traxit Rhetorica?*

A Græco verbo Rheo: *quod significat dico, loquor.*

5. *Quis finis est artis Oratoriæ?*

Persuadere dictione, hoc est diserta Oratione quadammodo impellere quempiam, ad aliquid credendum, vel agendum, vel omittendum.

ORatione vg: *gratiarum actoria*, vis ut benefactor credat esse te illi gratum: *salutatoria*, ut hospes credat lætari te ejus adventu: concordiæ *suasoria*, ut bellū omittatur, *laudatoria* seu Panegyrica, ut, quam laudes, persona, æstimatione digna habeatur. Si hæc obtinuisti finem tuum es assecutus.

6. *Quod est officium Oratoris?*

Dicere appositè ad persuadendum. Quod fit docendo, delectando, & movendo. Docemus rationibus, & argumentatione; delectamus ornato dicendi genere: movemus amplificatione, figuris, affectibus.

CUm Cicero Oratione II. in Catilinā, maximū exercitus Catilinarii contemptum inspirare conatur Senatui, populoque metum omnem ejus

ejus copiarum eximere: videant eloquentiæ tyrones, vel in hac exigua Orationis parte, quam doceat, quam delectet, quam moveat. *Postremum autem* [de milite Catilinario inquit] *genus, non solum numero, verum etiam genere ipso vitæ, quod proprium est Catilinæ, de ejus delectu, imo vero de complexu ejus ac sinu est; quos pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut benè barbatos videtis, manicatis & talaribus tunicis, velis amictos non togis,* [id est largis a instar velorum palliis] *quorum omnis industria vitæ, & vigilandi labor, in antelucanis cœnis expromitur. In his gregibus, omnes adulteri, omnes impuri, impudicique versantur. Hi pueri tam lepidi & delicati, non solum cantare & saltare sed etiam sicas vibrare, & spargere venena didicerunt. Equibus, nisi perierunt, etiamsi Catilina perierit, Scitote in hac Republ: Seminarium Catilinarium futurum. Verumtamen quid sibi isti miseri volunt? num suas secum mulierculas sunt in castra ducturi? quemadmodum autem illis carere poterunt? Sed quo pacto illi Appenninum, atque pruinas & nives perferent? nisi idcirco faciliùs hyemem se toleraturos putent, quod in conviviis nudi saltare didicerunt. O bellum magnopere pertimescendum! cum hanc sit habiturus Catilina scortorum* [homuncionum libidinosorum, moribus profligatis.] *Cohortem Prætoriam. Instruite nunc Quirites contra has tam præclaras Catilinæ copias vestra præsidia, vestrosque exercitus, & primum Gladiatori illi* [Catilinæ] *confecto & saucio Consules Imperatoresque vestros opponite: deinde contra illam*

Nau-

Naufragorum ejectam ac debilitatam manum florem totius Italiæ, ac robur ducite &c. &c.

Videat hic Auditor Eloquentiæ, quam Orator bene docuerit, qualis sit miles Catilinæ: quam verbis delectis, descriptionibus, jocis, ironiis, oblectarit: quam ad contemnendam manum viresque Catilinarias, figuris, ac comparatione cum exercitu Romano animos commoverit.

7. *Quæ est Materia Rhetoricæ?*

Est ea circa quam versatur Rhetorica, nimirum omne id, quod in mentem cadere, & de quo Oratio institui possit.

IN Republ: quidem hac, in iis præcipuè exercendi sunt Juvenes, quæ illis ad Rempubl: accessuris certò olim prosint. Non quod accusationes, defensiones, panegyrici, pòemata & centena id genus non sint res hac palæstra dignæ. sed duæ imprimis res sunt, quarum exercitatio nostratibus & perneceſſaria & profutura cumprimis est. *Orationes* nimirum quæ in Comitiis ac conventibus Reipubl: & Provinciarum, in tribunalibus, in Legationibus &c. locum habent & diversorum generum *Epistolæ*. Itaque præsertim in talibus Orationibus & Epistolis eos exercere oportet: inculcandūq; ijs singulariter est, quod tum reputabuntur aliquem in Rhetorica profectum fecisse, cum in Schola hac, Orationes Civiles & Epistolas quo ad fieri pro ætate potest, scribere didicerint; hisque duobus eos in Republ: experimentum daturos o-

tij

tij literarii non inaniter in Scholis consumpti. Nihil autem turpius hoc sciant, quàm rude donatum si Dijs placet Rhetora, aut bonam conficere non posse Epistolam, aut pro occasione & munere non posse ad Principem vel Cives verba facere.

8. *Oratori dicturo quid primum agendum est?*

Propositio statuenda.

UT *salutabo Hospitem, Gratulabor victoriam; honorem: valetudinem: &c. Consolabor afflictum, Suadebo rei monetariæ diligentiorem procurationem, Dissuadebo novum genus tributi.* &c. &c.

Propositio. vocatur etiam *quæstio*; ea nempè res de qua Orator dicere quærit. Vocatur & *causa*, de qua Orator agere statuit. Sed *propositionis* nunc usitatiùs Nomen.

Crinomenon idem est quod quæstio: estque illud circa quod tota versatur Oratio: est scopus, ad quem unicè tendit, & á quo recedere non debet oratione sua tota Orator: ita ut quamvis aliæ *Propositiones*, intra Orationem [*incidentes*, ut *vocant*] occurrent, a principali tamen Propositione, seu crinomeno recedendum non sit, imo ad illam omnia dirigenda. " *vg. Propositio sit.* Venales Judices graviter puniendos " esse: *hoc est hujus Orationis* Crinomenon, *ad* " *quod probandum, omnibus rationibus unicè* " *perpetuoque tendendum est*: nam tales Judices, " Justitiam vilipendunt & violant: nam turpes " avari, sordidi, inhonesti, infamesque sunt: nam

"Reip:

" Reipub: ingens damnum & dedecus afferunt; " nam Cives ob fædam pecuniæ cupiditatem, " impie injusteque fortunis spoliant. nam fures " latronesque sunt publici, nam DEUM, cujus " munere funguntur, gravissimè offendunt. " &c. &c. Potest in hac Oratione ista incidere Propositio: *Regna stant justitia*: sed hæc paucis stabilienda & absolvenda, non in hac Oratione probanda est: & mox ad venales Judices redeundum. Admonitio hæc de observando tenendoque semper *crinomeno*, majorem in modum Adolescentibus inculcanda est.

9. *Propositionum seu Causarum, quot sunt universim genera?*

Tria. Demonstrativum. Deliberativum, & Judiciale.

10. *Quid est genus Demonstrativum?*

Quod laudem vel vituperium pro scopo habet.

In genere demonstrativo, erunt omnes Propositiones gratulatoriæ, salutatoriæ, gratiarum actoriæ, epithalamicæ, panegyricæ, funebres &c.

11. *Quid est Genus Deliberativum?*

Quod suasionem, vel dissuasionem continet.

In Deliberativo locum habet, quid quid faciendum, vel vitandum, svadetur vel dissvadetur.

12. *Quid est genus Judiciale?*

Quod

Quod rei accusationem vel defensionem tractat.

Judiciali continetur, quidquid in Judiciis & foro, de accusatione vel defensione alicujus in causis honoris, capitis, vel fortunæ agitur.

Omnia hæc tria genera, & imprimis demonstrativum ac deliberativum, in eadem Oratione locum habere solent: ut si sermonem Senatorium à laude Regis ordiare, deinde de negotiis Reipublicæ consulas.

13. *Constituta propositione, quid Orator agere debet?*

1mo. Invenire, *seu excogitare ea, quæ pro stabilienda sua propositione dicat,* 2do. *inventa* disponere. 3tio. *inventa & disposita* eloqui.

Ut nunc de *Memoria* & *Pronuntiatione* omittamus.

14. *Quot itaque sunt partes Rhetoricæ?*

Tres. Inventio. Dispositio. Elocutio.

DE JNVENTIONE.

§. II.

15. *Quid est inventio?*

Est excogitatio argumentorum ad fidem Propositioni faciendam.

vg. "AD juramenta publica, Cives & populum non esse cogendum. *Rationes in-*
" *venio*

" *venio: quia* præceptum Divinum est ut DEI
"Nomen in vanum nõ invocetur, *quia* cavendum
"est ne præbeatur occasio certa multorum per-
"juriorum, *quia* populus qua facilitate compul-
"sus jurat, eadẽ dum metu absolvitur, pejerat, vel
"ad contrariũ cogitur, *quia* probis & honestis
"viris juramenti vinculo non opus est, fide &
"virtute tenentur: improbis, nullus nexus sa-
"tis religiosus est, *quia* rarissima, ideoque fere
"majori religioni apud barbaros & ethnicos fu-
"erunt, quam nunc sunt apud Christianos ju-
"ramenta, *quia* perjũria fatalia sunt Civita-
"tibus, iram Cœlestem provocant. *&c.*

16. *E quibus fontibus eruuntur argumenta?*

Imprimis, qui apertioris, vel maturioris sunt ingenij, ex ingenio proprio ea eruent: incipientes autem, è sui Magistri ingenio.

MODI

Incipientium juvandi ingenia, in inveniendis rationibus.

NIhil est homini magis proprium, nihil pronius, quam ratiocinari, id est, rationes rei cujusvis bonas vel probabiles, vel etiam falsas depromere. Hac humani ingenii propensione ad ratiocinandum & genio, vel in tenera suorum Discipulorum ætate Præceptoribus utendum est. Si itaque Adolescentum ingenia dextre á Magistro ducantur, rationes cujusvis rei citius sua in mente reperient, quam in quibus-
vis

vis fontibus. Jam nos ipſi, quando nam fontibus uſi ſumus, aut utimur?

Fontium quidem intelligentia neceſſaria eſt: ars enim naturā perfecit: Rhetorque & Orator à prudente & acuto agricola differat neceſſe eſt, qui naturaliter etiam quandoque ſublimiorum rerum rationes proferet optimas: ſed id faciet, machinæ cujuspiam inſtar, ita à natura inſtructæ, quæ tamen quid agat, nihil ipſamet intelligit. Jam qui artem didicit, ſeſeque ex profeſſo in ea exercuit, & faciliùs, & ſolidiùs, & ordinatè ratiocinabitur: & ipſam vim naturamque rationum perſpiciet, & non ſolum rationem proferet, ſed etiam Orationem conficiet. Quodſi cognitio fontium, ut ex ijs argumenta quærantur, viris maturis expertisque non profit, at incipientes non nihil juvabit: ſique non quamvis rationem è loco Topico eruent, oportet tamen, ut quamvis rationem ad fontem reducere, & naturam fontis unde effluxit denominare ſciant. Pars ergo hæc Rhetorices de Inventione, oſtendit, arte, dum velimus, poſſe è fontibus inveniri Argumentum, quod natura ipſa cogitanti ſubminiſtrat.

Dico itaque primum & copioſiſſimum omnium fontem eſſe adoleſcentum ingenia, huncque inprimis excoli oportere. Sed præceptoris eſt, ut quod juvenes nondū ſuis viribus, ſuoq; ex ingenio eruere & invenire poſſint, id ipſe prius in ſuo inveniat, & diſcipulos ad inveniendum adjuvet.

Si ergo ternas, quaternas, pluresvè, vel à primo ingreſſu Rhetorices, Schola quavis, Propoſi-

positiones principio faciliores & triviales, paulatim ſelectiores, demus Adoleſcentibus, ut eas mox rationibus probent, eosque interrogando juvemus, eis aliquid inſinuemus, eos, ut ſic dicam, comitemur & fulciamus, immenſus ſane & inexhauſtus fons in eorum detegetur ingeniis.

vg. Inſtituendame ſit peregrinatio ad exteras Nationes? Qui è Juvenibus affirmarit inſtituendam eſſe, jubeatur probare. Credibile eſt dicturum; multa enim diſci poſſunt apud exteros, multa videntur in exteris, quæ non videntur domi. *Alius forte dicet,* curioſam jucundamque rem eſſe videre Urbes, templa, Palatia, diverſos homines; *& id genus: Quod ſi puer hæſitet: interroga:* an Juvenes Virosque egregios noverit, qui ex exteris redire? *hinc formare doceatur argumentum,* quia multi egregij homines reverſi ab exteris ornant Patriam. *Interroga:* eodemne modo Regna omnia & Respublicæ reguntur? *quivis reſpondebit,* ſanè non eodem. *Hinc aliud conficietur argumentum:* qui nempe peregrinantur, diverſas Regnorum & Rerumpublicarū formas ac ſpecies proprijs ſpectant oculis, diverſa gubernationū diſpiciunt perdiſcuntq; genera. *Interroga:* poteſtne aliquid apud exteros obſervari, quod ſit utile Patriæ? Item, ſuntne apud exteros Viri Sapientes Doctiſſimique? ſuntne milites, Duces & Imperatores bello clari? ſuntne admirandi rerum diverſarum artifices? ſuntne Tribunalia, conſilia, comitia? &c. &c. *Item,* audiſtin' ex hiſtoria Viros

 ,,ſum-

" ſummos peregrè Sapientiam quæſiſſe? Plato-
" nem, Pythagoram, Ciceronem, Auguſtinum,
" Hieronymum *&c. &c.* quid noſtris temporibus
" de Petro Magno Duce Moſchorum? &c.&c.
Hoc jam modo ad ſolidas rei cujusvis rationes inveniendas, expeditius quam quovis alio, Adoleſcentes pervenient. Sed facilitas primùm Propoſitionum neceſſaria, quales ſunt. *Graviter puniendos eſſe, qui aureos argenteosque nummos furtim abradunt. Pauperes Colonos non eſſe tributis exſugendos. Vias publicas lapidibus ſternendas eſſe. Militem diſciplina militari ſeverè continendum eſſe. Milites bonos, eſſe afficiendos præmijs*: & millenæ ſimiles, quæ diligentiæ ac prudentiæ Præceptorum relinquuntur.

Jta jam per faciliora, ad difficiliora aperietur aditus, & ratiocinandi habitus continuo uſu paulatim contrahetur. Nulla jam erit propoſitio, quam dum Magiſter ipſe probare poſſit, probationeſque præparet & ſuggerat, non probent & diſcipuli. Ipſorum enim jure eſt, quod à præceptore diſcunt & audiunt. Alimentum quod ijs præbetur, tranſit in rem aliti. Credunt illi ſe ſua depromere, dum ea quæ à docente perceperunt, depromunt. Et revera tua quidem ſementis, ſed illorum fundus, adeoque & partus fructusque eſt. Eſto itaque etiam paulo gravior propoſitio, cujus tecum rationes inveniant: *Exempli-gratia*, " Adminiſtratio-
" nem bonorum Ærarii Publici, plus offerenti-
" bus committendam eſſe. *Interroga*: nonne
" augendi ſunt Reipublicæ reditus? itaque prom-

" promptus modus eoſdem ampliandi hic eſt,
" ut qui plures ad Ærarium publicum proven-
" tus obtulerit, illi adminiſtrandi Ærarii munus
" conferatur. *Interroga*: quare verò augen-
" dum eſt Ærarium publicum? *Interroga*: ex-
" pendendumne ſit pro milite? conſervandane
" ſunt fortalitia? arces Regiæ? ædificia publi-
" ca? recipiendæne ſunt mittendæque Legati-
" ones? corrigendine ſunt lecti ripæque flumi-
" num? aperiendæne ſunt metallorum fodinæ?
" juvandæne ſunt Academiæ publicæ pro in-
" ſtitutione Juventutis in re Civili & Militari ex-
" citatæ? ſolvendine ſunt Judices ad Tribu-
" nalia deputati? bene de Republica meritis,
" aut Reipublicæ cauſa jacturam paſſis, ſuane
" merces danda eſt? *&c: &c. Hæ ſunt cauſæ au-*
" *gendi Ærarij*; qui majorem itaque fructum
" Reipublicæ polliceatur pro tam ingentibus
" continuisque ſumptibo, illum aliis proculdu-
" bio præferendum eſſe. *Interroga*: non eſt ne
" evidens Reipublicæ damnum, hoc munus tra-
" dere minus offerenti? eſt ne aliquid injuſti, in-
" honeſti, indecori, majores Reipublicæ exigere
" reditus? *Quære*: unde diteſcebant & ingentes
" relinquebat fortunas, remque familiarem plus
" æquo augebant, Adminiſtratores Ærarii Reip?
" non eſt ne juſtum, ne illi è Republica quæſtum
" faciant, ſed totum Reipublicæ cedant? *Inter-*
" *roga*: fuitne in poteſtate Quæſtorum à ſolven-
" dis vectigalibus & portoriis tam multos quot-
" annis abſolvere? Quot illi amicitiæ privatæ
" gratia à ſolvendo liberos faciebant! & è pecu-
" lio Reipubl: in omnes liberales profuſi-
" que

"que fuerunt! non præſtatne eũ jubere Quæſto-
"rem, qui plus Reipubl: tribuat? ea quæ Rei-
"publicæ debentur condonet nemini, exactius-
"que repetat? &c. His & hujusmodi interroga-
tionibus, cogitationes in mente Juvenum exci-
tantur, ac ut cogitent, & bene ſolideque cogi-
tent, adjuvantur.

Propoſitio ſit etiam paulo juvenilibus viri-
bus ſuperior: *Severa lege inhibendum eſſe
civibus, ne ab externis Principibus munera,
penſiones, honores, Ordinumque inſignia, in-
ſcia & non conſentiente Republica ſuſcipere
poſſint.* Propoſitione bene juvenibus expli-
cata, *interrogentur:* putentne eſſe tutum Rei-
"publicæ, ſtipendiarios ſeu quocunque titulo
" & munere obnoxios exteris Principibus cives
"habere ſuos? & quare id Patriæ ſecurum non
"eſt? *interrogentur*: ita vicinis ſeu quibusvis
"Principibus obligati Cives, nonne deveniunt
"eorum ſervitia? putatisne magis illis cordi fo-
"re Patriæ commoda, quam Principum, à qui-
"bus ſoluti emptique ſint? *interrogentur*: quo
"itaque Patriæ nocere poſſunt? non poſſuntne
"dubiis aut malis nocere conſiliis, quæ hoſti-
"bus quam Reipublicæ utiliora ſint? non poſ-
"ſuntne abrumpere & irrita reddere Comitia
"bonorumque Conſilia? jam metu amittendæ
" penſionis, vel, ne ingrati pro collatis honori-
"bus inſignibusque videantur, quid non aude-
"ant? illi Ruſſis, Boruſſis iſti, hi Germanis, alii
" obſtricti Gallis, an non eorum rationes, tan-
"quam Patriæ utiliores aſſumant acriterque
"propugnent? an non aliis idem Civibus per-
" ſua-

"ſvadere conentur? nonne, ut ita loquantur, ita
"ſvadeant, oportet, ut pote tanquam mercede ex-
"terna conducti? aliter, niſi nummos vel ho-
"nores accepiſſent, ſenſuri, locuturi, ſvaſuri?
"Auri ſacra fame nonne homines obcæcari au-
"diſtis, nihil ut ipſis ſacrum, ſanctumque ſit?
"&c. *Interrogentur deinde* quid putent: hone-
"ſtumne, fasne ſit, aut decorum, liberos Cives
" aliis mancipari Dominis? linguam & ſenten-
"tiam ijs locare & vendere? *Interrogentur:*
"ſi id honeſtum eſt, cur ergo palam pecuniam
"non accipiant? cur ſe eſſe ſtipendiarios cœ-
"lent? quodſi jam ſint, qui vel palam emi ab
"externis non erubeſcant Principibus, putatis,
"ne eos, non amiſiſſe pudorem? quo ſe iſti de-
"fendant, niſi iniquis & vilibus aliorum exem-
"plis? *Interrogentur:* audiſtisne Venetorum
"legem, mox eos Civitate excidere, jure omni
" fortunisque in Republica exui, qui vel penſio-
"nes, vel honores, aut quævis munera, à quo-
"cunque Principe, ne dum acceptarent, verum
"etiam captarent? legiſtisne de Roma excla-
"maſſe Jugurtham? o! urbem venalem, dum em-
"ptor adſit? hoccine de Republica dici feratis?
"audiſtisne Fabium illum medietatem regni
"ſibi à Pirrho oblatam rejeciſſe cum dicto: ma-
"jori eſſe Romanis gloriæ partiri regna aliis,
"quam accipere, pauperemque domum rediiſ-
"ſe? *&c. &c. Suggeratur ipſis* de Epaminon-
"da, ut Legatos & munera oblata rejecerit: *ex
" Corn. Nepote. &c.*

Hæc exempla in deliberativo genere. Idem
& de demonſtrativo dicendum. Propoſitio ſit.
"Gra-

"Gratias ago Regi pro collato mihi Senatorio
"munere. *Interroga*: quare Regi gratiæ deben-
"tur? si Adolescens hæreat, *interroga*: est ne
"hoc insigne præcipuumque decus, quo te
"Princeps in Republica ornavit, cum te tam illu-
"stri accensuit Ordini? *en prima ratio. Inter-*
"*roga*: sentisne te omnino meruisse excellen-
"tem hunc honoris gradum, illumque tibi fu-
"isse debitum? *2da ratio*; ut tanto magis ad
"testificationem Regi tuo grati animi obstri-
"ctum te fatearis, quanto minus merueris. *In-*
"*terroga*: tantumne pro hoc solo noviter tibi
"collato beneficio Principi te obligatum esse
"existimas, an non sunt majora longe alia, pro
"quibus & privatim, & publicè cum tota Repu-
"blica gratus esse Regi debeas? *Interroga*: cui
"debemus florentissimam & diuturnam pacem
"cui è tot bellorum vicinorum periculis &
"flamma toties ereptam patriam? cui justitiæ
"administrandæ præcipuam curam? cui *&c. &c.*
"quàm paternæ in omnes Principis providen-
"tiæ? *Interroga*: pro publicis his beneficiis non
"magis ne etiam quam pro privatis gratifican-
"dum tuo Principi esse censeas? *ecce tertia ra-*
"*tio*. Cum itaque exiles quantumcunque, pro
"insigni in te collato dignitatis Senatoriæ
"munere optimo Principi refers gratias,
"junge simul & amplissimas cum universa re-
"publica grates *&c. &c.* precare. *&c.*

Sit alia in genere demonstrativo propositio pro epistola. "Commendo me Regis Mini-
"stro, ut me ad præfecturam N. vel honorem
"N. promoveat. *Interroga*: quare te huic Mi-
"nistro

"nistro commendas? Scisne forte illum esse
"tibi, tuis Parentibus tuæque propitium & ad-
"dictum familiæ? *en una ratio*. Scisne illum
"promptum & facilem, ad benefaciendum cun-
"ctis, qui ejus præsidium quærunt? *2da*. Scis-
"ne multis jam illum salutarem dedisse manum,
"eosque apud Principem promovisse? *3tia*.
"Scis ne eum permagna apud Regem gratia,
"fide, Auctoritate, pollere, ac plurimum apud
"Regem posse? *4ta*. Putas ne aliquo obsequio
"te de Rege & Republ: meruisse, quod mode-
"ste commemorari possit? *5ta*. Promissumne
"jã alias est tibi ab aula aliquid? *6ta*. Rivales tui
"ac competitores jamne sua præmia à Rege tu-
"lerant? *7ma*. Pollicerisne sincere exhibitu-
"rum te quavis occasione promptam voluntatem ad nutus Principis, Ministroque gratum
"semper animum & obsequendi ad ejus jussa
"alacritatem?

Idem de Salutando hospite: *Propositio:*
"Lætor adventu hospitis: & quam ob rem? *In-*
"*terroga*: est ne tibi jucundum spectare homi-
"nem sapientia clarum, tot rebus gestis, tot
"meritis, tot honoribus celebrem? vel eum,
"qui te tuosve, beneficiis afficit? Audistine
"quam Regi sit carus, quam in Senatu Autho-
"ritate polleat, quam æquus sit in Tribunalibus
"Judex, quam armis Patriam defenderit *&c. &c.*
"En tot tanto viro conspecto lætandi rationes.
"Idem recuperatam valetudinem, idem connu-
"bium, idem Prolem *&c.* gratulando.

Sed jam exemplis pluribus rem in longũ, non traham, cum & his ostensum est, quàm in-

incredibiliter Juvenes in inveniendis ad omnia rationibus hac cum eis agendi ratione proficerent. Quinquagenas, Sexagenasve propositiones bene prius præmeditatas, ita cum eis probandas Magister accipiat; animadvertet deinceps, quam apta & fertilia futura sint in inveniendis ad quamcunque rem probandam argumentis, eorum ingenia.

Ad quod plurimum quoque conferet, dum in lectione, ac explicatione ex Auctoribus Orationum & Epistolarum, magnopere Præceptor attendat, ut tyronibus rationes rei cujuslibet in ijsdem datas, brevibus clarè simpliciterque exponat, ac observari faciat. Quod attinet ad Ciceronis Orationes, earum excellens analysis *Du Cygne* hic egregiè proderit. Longis itaque missis Orationibus, in brevi quapiam, exemplo id pateat. *In Livii libro 44.* Paulus Emilius milites monet: [*propositio*] ne se ingerant in Jmperatoris consilia. " Unum imperatorem [*inquit*] in exercitu providere & consulere, quid agendum sit, debere, nunc per se, nunc cum ijs quos advocaverit in concilium. Qui non sint advocati, eos nec palam, nec secreto, jactare sua Consilia oportere. Militem hæc tria curare debere, corpus ut quam validissimum & perniciissimũ habeat, arma apta, animum paratum ad subita imperia. Cætera scire de se, Dijs immortalibus & Jmperatori suo curæ esse. In quo exercitu, milites, rumoribus vulgi Consul & Jmperator circumagatur, ibi nihil salutare esse. Se, quod sit Officium Imperatoris, provisurum, ut bene gerendæ rei occasionem, eis præbeat; illos nihil quod futurum sit quærere; ubi datum signum sit, tum militarem operam navare oportere. Hac oratione lecta reflectant animum ad argumenta tyrones: propositio: *nec palam, nec secreto milites sua consilia jactent: ratio 1ma.* à militum officio ducta, quod illorum res duntaxat sit, corpora valida, arma apta, animum paratum præstare, cætera Dijs & Imperatori relinquere. *ratio 2da.* Quod nihil salutare reipubl: Dux agere possit, si militum rumores & consilia audiat. *ratio 3tia:* ab Officio imperatoris, quod illius intersit providere non militum, ne bene gerendi occasio eis elabatur.

Lecta Ciceronis epistola 18va libri 5ti ad ad famil: in qua Cic: Fadium honestum virum, sed qui novus fuerit, id est auctor & faber fortunæ suæ, consolatur, quod exilio plexus sit instante Pompejo, ob cujus gratiam Fadius Senatus consulto Civitate pulsus, quod ejus judicium bonis omnibus displicuit. *Etsi egomet:* [inquit] *qui te consolari cupio, consolandus ipse sum, propterea quod nullam rem gravius jam diu tuli, quam incommodum tuum: tamen te magnopere non hortor solum, sed etiam pro amore nostro rogo atque oro, te colligas, virumque præbeas, & qua conditione omnes homines, & quibus temporibus nati sumus, cogites. Plus tibi virtus tua dedit, quam fortuna abstulit: propterea: quod adeptus es, quod non multi homines novi: amisisti, quod plurimi homines nobilissimi. Ea videtur denique conditio legum, judiciorum, temporum, ut optimè actum cum eo videatur*

tur esse, qui quam levissima pœna ab hac Republica discesserit. Tu verò qui & fortunas, & liberos habeas, & nos cæterosque necessitudine & benevolentia tecum conjunctissimos: quique magnam facultatem sis habiturus, nobiscum & cum omnibus tuis vivendi: & cum unum sit judicium ex tam multis, quod reprehendatur, ut potè quod una sententia, eaque dubia, potentiæ alicujus condonatum existimetur: omnibus his de causis debes istam molestiam quàm levissimè ferre. Meus animus erit in te, liberosque tuos semper, quem tu esse vis, & qui esse debet. Vale. Lecta inquam hac Epistola, rationes tyro eloquentiæ resumat. Propositio: *te colligas virumque præbeas*: idest *vires omnes animi tui collige & fortiter viriliterque fer exilium.* " *Ratio 1ma., quia* si cogites & infelicitatem o-
"mnium hominum, & infelicitatem horum
"temporum, tuam æquabiliter feres. *2da. quia*
"plus tibi virtus dedit quam fortuna abstulit:
"novus enim homo adeptus es hominum stu-
"dia, optimum nomen, opes *&c.* quæ tibi ma-
"nent: fortuna verò tibi abstulit solatium Pa-
"triæ, quam & tot nobilissimi homines nunc
"amiserunt. *3tia. quia* tam mala sunt Reipu-
"blicæ tempora, ut optimè cum eo actum vide-
"atur, qui solo tantum exilio plectitur, quæ
"levis pœna est, aliis comparata. *4ta. quia* ti-
"bi integræ sunt opes, liberi, amici. *5ta. quia*
"omnes boni reprehendunt hanc tui exilij sen-
"tentiam & judicium, quamvis de multorum
"exiliis sileant. *6ta. quia* potentiæ Pompeij ce-
"dendum erat, cujus auctoritati Senatus hoc
"con-

"contra te Decretum condonare debuit. *7ma.*
"*quia*, meus animus idem semper erit in te eti-
"am absentem tuosque liberos.

Pluribus non est inducendum exemplis, nec multis dicendum, quam hæ diligentes in explicatione Auctorum, rationum ab ijs datarum observationes, Juvenes ad ratiocinandum, inveniendasque similes cujusvis propositionis causas sensim formabunt.

Cui quidem rei 3*tium* id maximopere opitulabitur, si præceptores pro occupatione domestica, principio præsertim, assignent tyronibus, ut simplices duntaxat rationes unius, duarum, triumvè propositionum afferant, absque ullo elocutionis studio, sed apertè cum particula, *quia, quia.* Hæc exercitatio magis adhuc ad inventionem rationum eorum excitabit perficietque ingenia. Nihilque oberit, si præceptor etiam ipse, assignatarum Propositionum rationes, ipsis oretenus dicat, atq; etiã etiamque repetat, eas ut memoria tenere possint; cum enim è memoria sua illas describent, ab ijs non a Magistro inventæ jure censebuntur. *vg.* Assignentur propositiones duæ. *Electiones Judicum, Legatorum, seu Nuntiorum, & omnes alias, pluribus Suffragiis, non requisito unanimi consensu omnium, conficiendas esse.* 2da. *è Salute principis salutem & integritatem Reipublicæ pendere.* Prælibentur tyronibus rationes, quas descriptas apportent: *propositionis primæ:*
"*quia* munia Judicum, Legatorum, & similia
"pernecessaria sunt reipubl: & Provinciis: *quia*
"nec Tribunalia ac Judicia sine Judicibus, nec
"Comi-

"Comitia sine Legatis esse possunt: *quia* si "rumpantur, uno obstante, harum electionum "Comitia, Tribunalia privantur bonis rectisque "Judicibus, Comitia destituūtur honestis sapien- "tibus, Patriæque amantibus Civibus: *quia* tur- "pe & noxium est Provincijs, in Tribunalibus "& quibusvis judicijs suis carere judicibus, in "Comtijs suis carere Legatis: nam in Tribunali- "bus desunt qui Cives è sua provincia justiti- "am præstolantes juvent, justitisque eisdem opi- "tulentur modis, ac præsidio egentioribus sint; "in Comitijs vero desunt, qui suæ Provinciæ "negotijs & commodis diligentiùs invigilent, "& ejus jura religiosius, quam externis è pro- "vincijs solent, tueantur. *Quia* indecorum est "Provincijs quæ legatis suis careant, dū absq; ea- "rum consilio & consensu multa in Republica "stabiliuntur. *Quia* unanimis consensus præ- "sertim in electionibus perdifficilis est, & sæpe "nec haberi potest, cum maximo & Reipubli- "cæ & Provinciarum detrimento, dum viri ad "munia necessarij & apti nequeunt eligi, "*Quia* satis benè exercetur libertas, dum plu- "rium libera suffragia valent: sive plures sive "pauciores in eadem sententia sumus, libere "damus libere denegamus suffragia; quodli ho- "die meum suffragium, cum paucioribus non "vicit plures, cras cum pluribus vincet pauci- "ores: quia pluribus, ut minores numero æ- "quabiliter cedant, omnis ratio & justitia "suadet, & mihi cum pluribus non semel pau- "ciores cedent. *Quia* in Tribunalibus non de- "trahitur libertati, eo, quod plura suffragia, su- "pre-

"premum Prætorem eligant, pauciora cedant. "*Quia* Provincijs Cracoviensi, Sandomiriensi, "& fere omnibus, leges ipsæ pridem permise- "runt Iudices & Legatos pluribus jubere suf- "fragijs. *Quia* in omnibus Rebopublicis: Veneta, "Helvetica, &c. hic modus eligendi viget, nec "libertati quidquam inde decedit.

Rationes 2dæ Propositionis: „*Quia* Rex ca- „pitis, respublica corporis instar est, tota itaq; „istius salus capitis stat salute. *Quia* Rex paci „& tranquillitati publicæ conservandæ, justi- „tiæ rectæ administrandæ, tuendis augendis- „que Civium opibus, concordiæ inter Cives „fovendæ, tollendis diffidijs, potentiorum vi "reprimendæ, periculis à quovis vicino Prin- „cipe Patriæ imminentibus, continuo averten- „dis &c. studet totusque incumbit. *Quia* di- „gnos & idoneos Magistratibus admovet, bo- „nos præmijs excitat, malos pœnis & ter- „rore coercet, literatos fovet, omnes pacis „artes protegit & amplificat &c. &c. Rege ita- „que integro, hæc omnia nobis integra: Prin- „cipis boni occasu, hæc omnia occidere necesse „est. *Quia* nihil pernitiosius est Rebuspublicis „interregnorū tēpestatibus. *Quia* etsi cum mul- „tis malis, ut humanæ res sunt, colluctetur „intus fere semper Respublica, curâ tamen & "sapientiâ Principis id fit, ne ad extrema res „prolabantur, malisque identidem afferuntur re- „media, opponuntur repagula, ne in ferales „funestissimasque scissiones Respublica ruat. „*Quia* bonos Principes si immortales habere non „possunt, saltem diutissimè eos regnare, populi „omnes

„ omnes, Regna & Respublicæ divinitus optant: „ *Quia* nulla major jactura regnis accidere po- „ test, morte bonorum Pricipum *&c. &c.*

De fructu similium exercitationum, quid promittendum, quid sperandum non est?

Hactenus de modo juvandi adolescentum ingenia, in inveniendis, è naturali uberrimoque fonte, intellectu nimirum eorum, ad omnia rationibus. Jam revertamur, ad explicationem Topicorum locorum, unde erui possint, aut ad quos reduci solent, rationes.

17. *Quotuplices sunt fontes?*
Duplices, interni, & externi.

18. *Quid sunt interni fontes?*
Ubi rationes petuntur ab ipsa re.

19. *Quid sunt externi fontes?*
Ubi rationes petuntur extra ipsam rem.

QUid sit istud: *ab ipsa re & extra rem*, ex ipsis fontibus facile intelligetur, & exemplo pateat. Sit propositio: *Cupiditates opum, voluptatum, honorum, potentiæque nimias, coercere oportet.* „ Quia *cupiditates* (inquit Cic: „ de fin:) non modo singulos homines, sed & u- „ niversas Familias evertunt, totam etiam labe- „ factant Rempub: Ex cupiditatibus odia, dissi- „ dia, discordiæ, seditiones, bella nascuntur. „ Nec hæ se se foris solum jactant, nec tantum „ in alios cæco impetu incurrunt, sed intus e- „ tiam animis inclusæ, inter se dissident & di- „ scor-

„ scordant. Hæ rationes datæ sunt ab ipsis rebus intimis cupiditati. *Malitia enim ea inest, insita est, innata est, cupiditatibus nimiis, ut qui nimirum cupit vehementer opes, potentiam, voluptates, cum ijs hominibus, qui se se juremeritò vesanæ ejus cupiditati opponunt, odia & discordias incurrat, etiam quandoque seditiones & bella excitet, ad id quod nimium cupit assequendum: sæpe proinde & se & suam evertit Familiam, & Rempubl: labefactat. Cupiditates diversæ animo inclusæ, inter se dissident, hominemque semper inquietum reddunt, ut nunc tranquillitatem optet, quo suis fruatur effæminatè voluptatibus, nunc otium cogatur perdere, quo cupidini honorum dominationisque libidini, morem gerat.* Hæc in cupiditate ipsa intus inveniuntur. Jam si dicas: *magnificè sapienterque ad rem nostram Tullius: Regium est*, inquit, *ita vivere, ut non modo homini, sed ne cupiditati quidem servias.* Hæc sententia Tullij *extrinsecus* petita est, nec enim sententia Tullij, aut Tullij in cupiditate est. Si dicas: Pompejus & Cæsar cupiditate nimia gloriæ, Patriam perdiderunt. Pompejus & Cæsar externæ sunt res cupiditati.

20. *Qui sunt fontes interni?*

Definitio. Enumeratio partium. Genus. Species. Causæ. Effecta. Antecedentia. Adjuncta. Consequentia. Contraria. Repugnantia. Comparatio. Similitudo. Dissimilitudo. Notatio.

21.

21. *Quid est Definitio?*
Est Oratio, quæ explicat naturam rei.

Quamcunque rem nescimus quid sit, sola definitio nos docet quid sit. Nescimus *vg.* quid sint *Andabatæ?* Definitio: *Sunt gladiatores, qui clausis oculis digladiabantur.* Nescis quid sint *gladiatores?* Definitio: *Servi erant, quos Lanistæ artem armorum edocebant, ut postea populi oblectandi causa in arena pugnarent.* Nescis quid sint *Lanistæ:* Definitio: *Magistri armorum, ita à laniando* vel *laniena dicti, qui præerant ludis gladiatoriis.* Ita omnes res, personæ, animalia, arbores, virtutes, vitia, *&c.* ita omnia Nomina definitionibus nobis innotescunt. Ut modestia: *est virtus, quæ docet ea quæ aguntur & dicuntur suo loco & tempore decenter collocare.* Vel. *Est virtus, quæ corporis animique motibus componendis rationem præscribit.* Vel. *Est virtus, quæ propriæ de seipso opinioni modum ponit.* Quid est ostentatio? *Est immoderata suis de rebus gloriatio.* Tales definitiones nominum, rerumq; omnium optimas in *Lexico*, ubi scriptores de singulis breviter philosophantur & singula definiunt, reperies.

22. *Quotuplex est Definitio?*
Duplex propria seu Logica, & Oratoria.
23. *Quid est propria Definitio?*
Quæ constat genere, & differentia.

Genus est, ut: avis, animal, virtus, vitium, ars, scientia, &c. *Differentia*, est id, quo inter se

ter se species differunt, ut Leo ab equo, aquila ab alauda, temperantia à liberalitate, superbia ab acedia. Pòésis à Grammatica. *&c.*

Exemplum definitionis propriæ: *Religio* est virtus, quâ cultus DEO debitus tribuitur. *Impietas* est scelus, quod omnem DEO debitam religionem tollit. *Virtus* itaque hic & *scelus* in definitione sunt *genus*, cætera sunt *differentiæ* ab aliis virtutibus & sceleribus.

24. *Quid est definitio Oratoria?*
Quæ non tam per genus & differentiam, sed quocunque alio modo, rem ita describit, ut tamen benè rei naturam explicet; utque ex ea res quælibet, quæ, & qualis sit, cognosci possit.

Vg. Prudentiam si propriè definire velis, dices: est virtus, quæ hominem, ut cautè sapienterque omni in re procedat dirigit. Oratoriè cum Cicero dices: *Prudentia est rerum bonarum & malarum scientia: Partes ejus sunt: memoria*, quæ præterita recordatur, ijsque veluti regula agendorum utitur: *intelligentia*, quæ præsentia penitus dispicit, in ijsque videt quæ sequatur, quæ fugiat: *providentia*, quâ futuris prospicit, sapienterque consulit, *utque medicina valetudinis, gubernatio navigationis, sic vivendi ars prudentia est.* Utraque hæc definitio, tam propria, quàm Oratoria egregiè Oratori inserviet, ad commendandam prudentiam.

Erit vero definitio Oratoria, dum rem, quid, & qualis sit, benè explices, uti potes, rei partibus, rei causis, rei effectibus, comparationibus, similitudinibus, Metaphoricis denominationibus, epithetis, etiam explicationibus, quid non sit illa res, quid verò sit, & alijs describendi modis *Vg.* „ Dissimulatio, non est „ simulatio, aut mendacium, ut falsum „ pro verò proferas; non est fraus aut dece„ ptio, ut cuiquam malè velis imponere, aut „ quempiam circumvenire, sed est duntaxat op„ portunum veritatis silentium, & quoddam ve„ lum illius ac siparium, ne quæ, & quamdiu „ arcana esse debeant, intempestivè detegan„ tur, & adversarii præmoneantur. Res ne dum „ licita, utpote falsi expers & innocens, sed e„ tiam gravibus, & magnis rebus tuto pera„ gendis, & perutilis & necessaria.

Jta definies & describes, *Æqualitatem inter Reipublicæ Cives*, cum illam commendare volueris. „ Æqualitas [definitio propria] „ quæ jus commune ad Reipublicæ bona, ad „ decora, & honores cunctis æquè tribuit, ne„ minemque super alios pari conditione natos „ extolli patitur. [*Definitio Oratoria sequitur*] „ Jlla est fortissimum Reipubl: vinculum, san„ ctissimus Civium nexus; firmum ambitionis & „ insolentiæ repagulum, libertatis Patriæ cu„ stos & fundamentum. Non in eo verò est „ hæc civilis æqualitas, ut aliquis superiorem se „ aguoscat neminem, auctoritatem Magistra„ tus ignoret, obedire detrectet, concedat „ ne-

„ nemini, fasces non metuat. Hæc enim verò „ stultitia, insania, & Anarchia est non Æqua„ litas. Jsta Præsulem, Ducem, Præfectum, Judi„ cem, omneque gubernationis genus & no„ scit & ut par est reveretur; imperio legiti„ mo docilis facilisque est, solam parium impo„ tentiam ac dominatum, arrogatum sibi jus; „ vim & superbiam, ferre nequaquam potest, ad „ unum paucosvè id pertinere recusat, quod „ omnium juris est. Hac definitione; & de„ scriptione; Civilis æqualitatis ratio bene patet.

Sed ex his jam satis liquet; *loci definitionis* natura. Id jam contendat Præceptor, Juvenes ut benè concipiant, quam solida à definitione ratio propositionum variarum dari potest. Quid enim solidius ac fortius est, quam rei, si quam suadere velis, naturam exponere, explicare, elucidare? quod bona rei definitio, sive *propria*, sive *oratoria* imprimis facit. Exemplis imprimis doceantur.

Sit propositio: *Patriæ summum nos debere amorem.* Defini & explica quid sit Patria? & si bene definieris, ad ejus excitabis amorem. „ Quid est enim ista Patria? locus ne „ duntaxat, in quo primum àérem hausimus, „ primam lucem aspeximus? at jam & hoci„ pso sacri primique hospitii nomine, quam no„ bis debet esse jucunda? Verum enimverò il„ la nostri parens, illa altrix, educatrix, con„ servatrixque est. Jlla vetustissima Majorum „ nostrorum tot à Sæculis sedes, illa certum „ posterorum quandoque nostrorum domici„ lium. Fons illa est paterni, materni, avitique

 san-

„ sanguinis, decorum, opum, & dignitatis no-
„ stræ. Non aliam communem matrem, tutri-
„ cemque, quam hanc propitii nobis dederunt
„ superi. Ejus in sinu vivimus. Ornamenta
„ illius nos ornant, fertilitas nos ejus nutrit.
„ Opibus illius ditescimus, ejus cohonestamur
„ gloria, illius exaltamur trophæis. Quidquid
„ demum Patriæ est, nostrum est. Imò nos ipsi
„ Patria sumus. *&c. &c.*

Propositio sit. *Libertatis avitæ curam esse habendam.* Da bonam libertatis ideam, benè eam defini & explica, & ad ejus curam animos permovebis. „ Non id profectò libertas est,
„ excusso legum ac omnis auctoritatis vinculo
„ legitimæ potestati obniti, Principis, Magi-
„ stratuumque jussis & decretis obsistere, effre-
„ ni quadam audacia nefas in omne ruere, hu-
„ mana Divinaque jura convellere, civitatem
„ turbare, bonorum omnium judiciis, assensui,
„ & meliori de Republica sententiæ obluctari,
„ Comitia & consilia petulanter solvere, am-
„ bitioni, privatis commodis, cupiditatibusque
„ suis cuncta subijcere; hæc enim verò turpis
„ & intoleranda licentia est, veræque liberta-
„ tis pestis ac pernicies, belluarum ferociæ,
„ quam hominum societati similior. Sed liber-
„ tas vera ac præclara ea est: recta ac salita-
„ ria ultrò sequi, spontè contineri officio, legi-
„ bus ut Divinis vocibus & oraculis obtem-
„ perare, legum servos esse, ut liberi esse pos-
„ simus. Principem, DEI ac Parentis locò colere,
„ & cui se Respublica gubernandam tradidit,
„ eidem sese gubernandum è legibus tradere.

„ Jam

„ Jam quod ad hostram felicitatem attinet; li-
„ bertas est: vivere ut velis, sentire ut libet, di-
„ cere ut sentias. Non Domini nutu & impe-
„ rio, sed sapientia ac æquitate Principis, con-
" silio vero consensuque tuo & Civium, Rempub:
" regere, leges condere, interpretari, abrogare,
" jus dicere, tributa scisscere, de bello & pace
" statuere, sancire fœdera, militem solvere, ad-
" ministrare æconomiam publicam. Liberi sunt
" qui suis legibus non dominantis absoluta vo-
" luntate arbitratuque reguntur, ubi & ipse
" Principatus legibus circumscriptus, id dunta-
" xat quod legibus jubetur, potest. Civis liberi
" caput, honor, fortunæque à Principe tutæ
" sunt. Quid jam illud est? nec ad ergastula
" & compedes indemnatum rapi, nec honore,
" aut ullo in Republ: munere spoliari, nec mul-
" ctæ exilij, proscriptionibusque subesse, nec
" bonis exui, nec ad arma portanda è laribus
" extrahi, ad nihilque absoluto cogi posse impe-
" rio? Nescit liber, ea servitutis conditione vi-
" vere, nihil ut imperanti negare possit, nihil ut
" recusare audeat: Si vero Dominus poscit, dan-
" dum est, si vocat, veniendum, si ejicit, abeun-
" dum, si minatur, extimescendum. Magistra-
" tus ipsos, judices, ipsum cui obediat Princi-
" pem, sibi libertas deligit, fascibusque se spon-
" tè submittit. Qui ita ritè quid sit libertas
concipiat, an non ejus incendatur amore? an non
servandæ asserendæque semper, curam omnem
maximam à liberis deberi Civibus facile assen-
tiatur?

Ideo longius hanc definitionem libertatis

Pa-

Patriæque produximus, ut pateat rem, cum oratoriè definitur, seu quid sit benè explicatur, posse Oratorem ea omnia complecti, quæ ad rei perquam optimam notionem dandam, pertinere videntur.

Cæterùm definitiones bonæ, prout res exigit, vel brevibus absolvi possunt: *vg.* vectigalia exactè solvenda esse. Definitio. *Quia sunt publici proventus ad subveniendũ Reipublicæ necessitatibus legitimè instituti.* Fortalitia reparanda esse. Definitio, *Sunt enim munimenta Regni, contra quasvis præsertim subitas incursiones hostium, sunt repagula & obices hostilium copiarum, sunt præsidia salutis fortunarumque Civilium.* Templa esse extruenda, instauranda. *Sunt enim sanctuaria & solia quædam summi Numinis, ubi confluentium populorum vota, supplicationesque exaudiat: sunt sacratæ fundendis precibus, DEO placando, clementiæque Cœlesti conciliandæ, Ædes, Asyla & profugia Divinam iram vindictamque fugientium hominum, beneficiorum omnium receptacula & fontes, pietatis & religionis sedes. &c.* Invidiam esse fugiendam. *Est enim turpis ægritudo animi, alienâ, quam optat, & qua caret felicitate mœrentis; qua infelicius nihil, cum aliorum res omnes secundæ eam perpetuo & irritent & crucient; est fœda mentis abjectæ nota & stimulus, bonorum omnium, virtutisque teterrima hostis, amicitiæ venenum &c.* Secretum servandum. *Est enim res sacra à Principe, ab amico, seu quocunque demum tuæ commissa religioni & fidei, est omnium maximorum*

morum negotiorum anima certusque custos; est quoddam sanctius, quod prophanare ac prodere nefas sit, depositi genus: est Lydius quidam amicitiæ lapis &c. Leges esse summa religione colendas: *nam sunt* [Cic: pro Cluent] *Fundamentum Libertatis, fons Æquitatis, Mens, & animus, & consilium, & sententia Civitatis, posita est in Legibus.* Sed exemplorum satis.

Hic advertant Juvenes, benè considerata rei natura, ejusque præsertim effectibus, partibus, adjunctis &c. [quod jam paulo superius innuimus, quodque sæpius inculcandum illis est] facile oratoriam Definitionem confici posse: plurimum vero ei metaphoricas denominationes splendoris addere.

Advertant item: Philosophos species rerum strictè definire; quod verò genere & differentia caret, propriè dictam definitionem non pati, *ut Petri* definitio non est, sed descriptio. Oratores vero quidvis definire, seu si malis, quomodocunque describere possunt. Ut: sit propositio: *perlibenter, peramanterque te salutamus.* Es enim religionis Ecclesiæque columen, fidele consilium Principis, Reipublicæ fulcrum, libertatis defensor acerrimus, Senatus lumen, præsidium, salus, & tutela nostri omnium. *&c.*

Advertant denique in optimis *Lexicis*, ut dictum, propriam cujusvis rei definitionem reperiri, non ideo tamen laborandum est, ut aut quævis propositio à definitione probetur, aut ut quævis definitio, omnino nominibus, sive denominationibus, vel simplicibus vel metapho-

taphoricis constet, sed sufficit, ut rei natura satis quocunque exprimatur modo, *vg. Prodigalitas, seu* [voce Taciti;] *prodigentia* in Ethica definietur ita: *est vitium, quo quis bona sua ultra facultates suas imprudenter ac immoderate dilapidat.* Ab Oratore definiri potest, *vel* cum denominationibus, sive simplicibus, sive metaphoricis, ut: *est patrimonij fortunarumque imprudens ac immoderata largitio, est immodica liberalitas, aut potius malus liberalitatis usus; est paupertatis inopiæque parens, est flagitiorum, furtorum, rapinarum, seditionum, conjurationumque fax quædam, illicium & origo; est opum vortex, familiarum ruina, Reipublicæ detrimentum, honestatis virtutis & famæ pernicies &c.* vel sine ullis denominationibus definiri potest, ut: *prodigalitas: quæ scit perdere, donare nescit, cujus beneficia non virtus non decorum, non benignitas, sed casus & fortuita regunt; quæ disijcit, proijcitque potius, quam donat aut benefacit, quæ fraudi, assentationi, ac sceleri totum, virtuti largitur nihil, quæ patrimonia, collectasque diu à majoribus opes abligurit, quæ ex opulentis decoctores & inopes, deinde mendicos, tum Catilinario exemplo, fures, raptores, sicarios, seditiosos, & incendiarios facit. &c.* Hac descriptione satis liquet *prodigentiæ* natura.

Hæc de definitione fusiùs, *loco* nimirum ad explicandam rerum naturam, & ad bonas cogitationes subministrandas: sanè necessario & utili.

25. *Quid est enumeratio partium?*

Est locus qui docet, totum in partes distri-

distribuere, vel rationum eruendarum, vel amplificandæ duntaxat Orationis causâ.

ITa *Civitas*: in fora, plateas, vicos, pomœria, Templa, Palatia, Ædes, pontes, fontes, *&c.* ita *corpus humanum*: in sua, arbor, in sua membra. *&c.* distribuetur.

Duplex itaque usus est fontis hujus, ut vel ratio a partium enumeratione detur, vel ut duntaxat amplificetur Oratio; *vg.* volo probare assertionem hanc: *ne infructuosè tot dissolvantur Comitia, universæ Reipubl: interest.* Di-
" stribuo in partes Rēpublicā. Principis interest
" ut Rempublicam quam optimè constituere
" possit. Eorum qui sacris apud nos præsunt in-
" terest, ut Religionis res tutæ sint, exortæque
" inter Sacerdotium & Regnum extinguantur
" lites. Senatûs interest, ut veteribus prærō-
" gativis, auctoritati, splendorique pristino re-
" stituatur. Ordinis Equestris interest, ut ju-
" ra, leges, libertatesque suas asserat, & cum
" potentiæ, tum licentiæ multorum frænos im-
" ponat. Tribunalium ac Judiciorum interest,
" ut justitiæ administratio corrigatur, accele-
" retur, multisque judicum iniquitatibus tan-
" dem obex ponatur. Copiarum Reipubl: inter-
" est, ut vires earum pro tanti magnitudine Im-
" perii, augeantur. Civitatum, oppidorum, pa-
" gorumque interest, ut calamitatibus, oneribus,
" continuisque, quas tolerant, quibus conci-
" dunt aut eversa jam jacent, à potentiorum te-
" gantur injuriis *&c.* itaque omnia Comitiorum
" præsidio, auxilio tutelaque egent.

Jam

Jam tantum amplificationis causâ, diversas opum partes Cic: hoc exemplo enumerat; *veniant igitur irrisores Orationis hujus ac sententiæ, & veljam ipsi judicent, utrum se horum alicujus, qui marmoreis lectis, ebore & auro fulgentibus, qui signis, qui tabulis, qui cælato auro & argento, qui Corinthiis operibus abundant, an C. Fabricii, qui nihil eorum habuit, nihil, habere voluit, similes esse malint?* Paradoxo 1mo.

26. *Quotuplex est apud Rhetores totum?*

Duplex, Corporeum *seu Physicum, &* incorporeum *seu quod mente concipitur.*

Corporeum partes sensibus subjectas habet; ut *liber* sua folia, *tellus* suas quatuor partes, *Europa* sua Regna, Provincias, fluvios, montes. *Incorporeum* partes habet, quæ mente discernuntur ut: *Respub:* constat Principe, Senatu *&c.* Sacro, Politicoque statu *&c.*

Ut benè hoc totum *Incorporeum* concipiant Juvenes, providendum est. Norint ergo incorporea omnia, etsi veris careant partibus, partes tamen eorum effingi separarique posse. In DEO ipso Omnipotentia, immensitas, æternitas, bonitas, sanctitas, sapientia *&c.* mente separari possunt. *Anima* intellectu, voluntate, memoria, constabit. Hic ipse *intellectus* habebit partes, primam rerum apprehensionem, tum judicium de quavis re, tum ratiocinationem, *Rhetorica* habet partes, ut dictum tres. Ita suas quævis ars & scientia, quævis virtus, & quodvis vitium suas.

Si

Si *vg*, à *Magnanimitate, seu animi Magnitudine quempiam laudes, vel hanc virtutem suadeas, has quasi in ea partes, & officia effingere potes.* " Aggredi res maximas quamvis "difficillimas & maximè arduas: nullum pro Reli-"gione, virtute, Patria, Principe extimescere " periculum: à rebus semel honestè justèque " cæptis, minimè unquam resilire, nec, donec " conficiantur, desistere: obstaculis, quæ maxi-" ma contentione vincantur, etiam oblectari: " DEUM solum, officium, salutem Civium, & " Patriam; excelsas has nempe, agendi habere " causas: sua non quærere, nec potentiam, neo " incrementa opum, nec ipsam famam & glo-" riam, quam [etiamsi avidè non quæratur, " ingentia facta sequi semper ut umbram opor-" tet] Principis, Civium, populi, suorumque e-" tiam ingratum fortiter ferre animum, & vel " invitæ multitudini benè facere, exilio, pro-" scriptionibus, morti ipsi obviam progredi; & " etiamsi omnes fati ictus & jacula, natura " persenserit, animum ijs impenetrabilem præ-" bere: adversâ non frangi, prosperam secun-" damque modestè, moderatè, æquabiliter ferre " fortunam, & utriusque periculum facere, a-" nimo tam ab imbecillitate libero, quam à te-" meritate alieno *&c.* His quasi partibus constat ista virtus.

Ab amicitia laudando aliquem, vel eum commendando, hæ partes ejus excogitari possunt. " Erga amicos tenerè optimeque semper affici, " eorum consuetudine oblectari, fidem ijs con-" stantissimè servare; verè semper ingenuoque ani-

" animi candore, fraude omni & mendacio procul, cum iis agere; bona, commoda, famam &capita eorũ,etiam cũ discrimine proprio defendere; salubriter ijs libereque consulere; eorum morem gerere consiliis, nec libertate admonentium offendi, imò plenam dicendi quæ velint ijs facultatem concedere; nihil nimium, nihil inurbanum, cum ijs sibi licere, credere; non emolumenti ullius ergo, sed probitatis virtutisque causa, amicos diligere; ijsdem, pro modo, opibus, commendatione, obsequiis, semper benefacere studere; male de ijs nec loqui, nec maledicos illis ferre; errores & vitia eorum apud se aliosque purgare; nec ijs offendi, sed facilè parcere, causas offensionum vitare, secreti cum ijs religionem sanctè colere, nihil ab iis injusti petere. Vide quot quantæque partes & officia in singulis virtutibus excogitari possunt.

Modestiam seu humilitatem, ut vocant, Christianam, in aliquo si laudes vel alicui suadeas? partes ejus erunt: " DEUM nosse, & nosse se ipsum. Homines omnes æquales sibi, ut eodem DEO progenitos, eundemque habituros finem existimare. Contemnere neminem. Cedere majoribus, non invidere æqualibus, comem mitemque esse inferioribus. Se nulli Nobilitatis, Sapientiæ, meritorum virtutis, opinione præferre; quamque modica & vana hæc sint, recte apud se statuere. Adversa quævis; etiam contemptũ sui Christiano animo ferre, quod vel Ethnici, plurimis Christianis sapientiùs fortiusque fecêre. Honores, Magistra-

" tus,

" tus, & munera Reipubl: non sua, sed Reipubl: & Civium causa, tanquam de ijs benè merendi opportunitatem, non tanquam ornamenta & præmia sibi debita, nec tanquam vanitatis oblectamentum quærere & suscipere.

Laudandæ fidei erga Principem partes erunt: " Optima semper eidem præbere consilia; jura & dignitatem ejus fortiter tueri; vitam ejus propriis fortunis, sanguine & vita defendere; ab adulatione & blanditiis abhorrere; commoda Principis, studiosè, sed honestè semper amplificare; secreta & arcana quæ crediderit religiosè servare; à machinatione, seditione, conjuratione omni, ne dum procul abesse, sed & tota contentione virium, mala id genus præpedire.

Mendacem, vel mendacium insectari si cupias, mendacem in partes, quasdam distribue. " Primò inconsideratè, temerè incautèque mentitur, deinde contracta jam quapiam falsi dicendi consuetudine mentitur, jam animo deliberato studioque mentitur; denique mendacii continuo quodam usu, ne jam quidem mentiri se cogitat, sed verum se dicere credit; eadem facilitate, qua jurat & pejerat; mendacia & perjuria illi minimi constant.

Impium militem per partes ita divides: " religio nulla, mores pessimi, fædæ libidines, alea & furta perpetua, rapinæ, dum impunè liceat, justitiæ ac æquitatis res & nomen ipsum ignotum; humanitatis nihil, ferociæ plurimũ; metus fustis, quam amittendi hono-

" ris

" ris major; de anima tantundem, quantum & " belluæ, cura.

Advertant hic eloquentiæ Auditores in distribuendo toto *incorporeo* in partes, fortè eos sæpiùs in alterum illapsuros fontem, ut: *speciei*, vel *effectorum*, vel *consequentium*, vel alios de quibus infra, ubi & *differentia* hos inter fontes annotabitur, sed id minùs omnino est, ad quemcunque ab ijs reducantur fontem enumerationes & rationes ejusmodi, dummodo bonæ illæ solidæque sint.

Ut si dicas: *confusionem indecoram in consiliis publicis esse tollendam* minus est: *confusionis* hujus, sive partes, sive species, sive effectus enumeres, dum benè enumeres; quales sunt; *nimius etiam plebejorum, populique in locum consilii confluxus, multitudo & coarctatio, tumultus, murmura, clamores, protrudentium impetus, occupatæ præ Legatis sedes, nulla satis interstrepentes Orationis ac vocis contentio, consiliorum continuo interruptorum perturbatio, nulla in sedendo Majestas, indecens continuo è suis locis se sproripiendi assurgendique Legatorum consuetudo, & in medio Curiæ permistio, procella & fluctus; Præsidis perpetuus in turba removenda labor, nulla fere ad ea quæ in medium afferuntur attentio &c.*

Monendum hoc loco: Oratoris esse diligenter attendere, quidquid in partes aliquas distribui vel enumerari possit. Quod *in corporeis* facile, *in ijs quæ mente* separantur, paulò est, nisi usus accedat, difficilius.

Attendendum itaque est ad nomina, quæ per

per se quasi *totum* aliquid designant, seu quæ *generalia* sunt, ut Ecclesia, Respublica, Civitas, Senatus, Exercitus, Tribunalia, Magistratus, opes, commercia, scientiæ, artes, opificia, pax, bellum, œconomia, miseriæ, calamitates, morbi, commoda, utilitates, detrimenta, tempus, vita, virtutes, vitia, & id genus innumera; quorum quodlibet, plurium mox rerum, aut partium, quibus constat, cogitanti imagines offert. Attendendum item est ad ista: omne, totum, nullum, nihil, plura, pleraque *&c.* ubi enim hæc sunt, divisio & enumeratio fieri potest.

vg. Nihil regi sine lege potest. Cic. 3. de Leg. *Nihil est tam aptum ad jus conditionemque naturæ, quam Lex: sine qua nec domus ulla, nec Civitas, nec gens, nec hominum universum genus, nec rerum natura omnis, nec mundus ipse stare potest.*

Attendendum cum primis est ad diversa virtutum, munerum, personarum, Magistratuum officia, ut Principis, Senatoris, Præsulis, Ducis, Præfecti, Patris, Domini, filij, servi, militis, coloni, mercatoris *&c. &c.* quæ muneris eorum sunt, non difficulter excogitabuntur. Ut si vel Judicibus diligentiam in eorum munere suadeas, vel justitiam, vel judicem laudes, hæ partes & officia muneris ejus menti occurrent: " Judicis officia sunt, pauperibus ac di-"viribus, potentibus perinde ac imbellibus, ci-" vibus & externis, amicis & hostibus æque " administrare justitiam, à muneribus quibusvis " majorem in modum abhorrere; gratiæ, ami-" citiæ, Nobilitati, potentiæ nihil tribuere; Re-

"ligio-

" ligionem præstiti juramenti continuo habe-
" re præ oculis; conscientiam cum scientia ju-
" ris omnino conjungere; otium, ludos, & pri-
" vata commoda, ut inimica muneri suo, repu-
" diare; meminisse DEI & Principis munus in
" judiciorum administratione contineri; digni-
" tatem, honores, & capita, fortunasque civium
" judicis esse religioni commissa; tranquillita-
" tem publicam & privatam omnium, è recta
" justitiæ administratione pendere, &c. &c.

Ut ad tales enumerationes assuescant Juvenes, adhuc aliqua ex *Cic:* ponuntur exempla. Cicero enumerat *modos*, quibus *homines hominibus* obstringuntur: *aut benevolentiæ gratia, cum aliqua de causa quempiam diligunt, aut honoris ergo, si cujus virtutē suspiciunt, aut si eum rebus suis bene consulere arbitrantur, aut cujus opes metuunt, aut à quibus aliquid expectant, aut postremo pretio & mercede ducuntur, quæ sordidissima & inquinatissima est quidem ratio. &c.* Offic: lib: 2.

Boni Civis erga alios Cives officia enumerat. *Conveniet autem* [bonum Civem] *cum in dando munificum esse, tum in exigendo non acerbum, in omnique re contrahenda, vendendo, emendo, conducendo, locando, vicinitatibus & confiniis æquum & facilem, multa multis de suo jure cedentem, à litibus vero, quantum liceat, abhorrentem &c.* Offic. lib. 2.

Cuivis ætati aliquid esse proprium. *Sua cuivis* [inquit] *parti ætatis tempestivitas data est, ut & infirmitas puerorum, & ferocitas Juvenum: & gravitas jam constantis ætatis, & senectu-*

nectutis maturitas, naturale quiddam habent. In Cat: major:

Semper in Officio manendum. *Nulla pars vitæ neque publicis, neque privatis, neque forensibus, neque domesticis in rebus, neque si tecum quid agas, neque si cum altero contrahas, vacare officio debet. &c.* Offic: lib: 2.

His exemplis ad enumerationem partium bene intelligendam satis luminis tyrones eloquentiæ habere videntur. In quo fonte sciant potissimam & rationum inveniendarum, & amplificationis positam vim esse.

27. *Quid est genus?*

Quod sub se continet species. *Fons verò hic docet eruere rationes à genere.*

vg. ANimal, arbor, avis &c. tot species habent, quot animalia, arbores, aves &c. noscuntur. Et tale est genus *Logicum* seu *proprium.* At sunt non rerum tantum quæ subijciuntur oculis, sed & earum quæ mente cognoscuntur, sua *genera*: ut, virtus, vitium, peccatum, beneficium, bonum, malum, commodum, incommodum, periculum, morbus, ars, scientia, consuetudo, lex, &c. & innumera alia, sub quibus, quasi *generibus* diversæ horum *species* inveniuntur. Ut sub genere: *bonum*, bona corporis, bona fortunæ, bona animi, bona temporalia, bona æterna, bona privata, bona publica *&c.*

Sed videndum: idem, quod est *species respectu superioris*, posse esse *genus respectu in-*

fe-

ferioris: ut *bonum Reipublicæ*, est sub genere: *bonum quodvis*; est tamen & *genus*, contentorum sub se *Reipublicæ bonorum*, cujus erunt *species:* Religio, boni Princeps & Magistratus, pax, justitia, concordia Civium, gloria, potentia, opes, artes, commercia, opificia, *&c. &c.* hæc enim sunt Reipublicæ bona. Item *vg. opificia, commercia &c.* erunt iterum *genus* respectu inferiorum. *Opificiorum* enim *species* sunt diversæ, quæ occupantur circa lanam, circa ferrum, circa metalla, circa ligna, circa sericum *&c.* Commercia alia sunt terra, aquis alia, frumenti alia, animalium alia, pannorum alia, *&c.*

Plurimæ propositiones sunt, quarum rationes dari possint *à genere*, dum propositiones sint de *specie aliqua*, & dum consideretur *genus* ad quod illa species pertineat, *vg. si suadeas in Contractibus fidem esse servandam;* pone *fidem* sub genere *virtutum Civilium*, quæ ad societatem humanam sanctè colendam necessariæ sunt. Et dic: *Civiles virtutes maximè nobis esse colendas, quæ tutam securamque reddunt societatem hominum: quibus è genere humano, è Republica, è Civitate, pulsis, ferocium animalium instar vivendum sit* &c. *harum jam virtutum præcipua fides est.* &c,

Consuetudinem quampiam sancte esse servandam suadendo in Comitiis, in judiciis, in exercitu *&c.* dabis rationem à genere: *quia est consuetudo vetus, sacra, laudabilis &c.* Tum in genere dices: *nihil esse justius, utiliusque quam antiquas servare consuetudines.* &c. *Nihil esse imprudentius, levius, magisque noxium, quam à majorum consuetudinibus descisceré.* &c.

Si

Si aut peculatum, aut rapinam, aut violentiam, aut perjurium, aut ebrietatem, aut si quid aliud in specie insecteris, nonne solida fortisque ratio est, à genere? *quia est crimen, peccatum, flagitium publicum:* & paucis aliquid in genere, de horrore scelerum publicorum innues: *peccata nimirum publica toleranda non esse &c:*

Si à pontibus solvendum esse, si Civitatum privilegia & jura tuenda esse, si exportationem summarum extra regnum severe prohibendum esse, si hospitia pro depontano milite erigenda esse, si millena similia suadeas? à *genere* proba: *quia sunt hæ res, bonum publicum, commodum publicum, quod ab omnibus promovendum sit, &c.*

Si, ut tuta sint commercia, nec privatorum avaritia, præpediantur, consulas: ad *genus* recurre *: hæc enim sunt opes publicæ; quarum conservandarum, augendarumque curam Civem quemvis habere oportet.*

Si, Comitiorum tempore, consuetudinem cum Legatis externis prohibendam esse contendas, reduc illam ad genus, *periculorum Reipublicæ, amittendæ libertatis, turbandæ tranquillitatis publicæ, quæ sollicitè amovenda sint.*

Ne pestis diffundatur omni diligentia utendum esse? pestis est sub genere, *calamitatum publicarum*, quas à Republica avertere, Magistratuum præcipuum munus sit.

Curandum ut Comitia bene finiant? Comitia reduc ad genus, *Consiliorum Reipublicæ*; dices itaque: quia sine consilio, nulla stare

re potest Respublica, probabisque necessitatem Consilii in omni societate hominum.

Quibus exemplis advertant Juvenes, quid est Hypothesim, ut vocant, in Thesim mutare? est videlicet propositionem specialem seu *de hac re in specie* factam, ad generalem propositionem, seu ad *genus* reducere, quod utiliter sæpissimè fieri solet, & huic sane præcipuè fons hic deservit. Esto propositio: *nimiam in vestibus magnificentiam juxta conditionem cujusvis circumscribendam esse.* Hæc nimia in vestitu magnificentia, est sub genere *luxus*: Propositio itaque generalis fiat: *luxus omnis perniciosus est Reipublicæ:* nam depauperat Cives, ad æmulationem etiam minus opulentos provocat, domos & fortunas privatorum evertit, familias labefactat, ad flagitia cogit, ad seditiones & conjurationes viam sternit, *&c.* Tam itaque ab omni luxûs genere, quam à nimio præcipuè in vestes sumptu, in bene ordinata Civitate abhorrendum est. Esto alia propositio: *amplum tibi & laudabile est legationem te dignè ac honorificè obiisse.* Legatio est sub genere *munerum publicorum*; de quibus generalis propositio fieri potest: omne munus Reipublicæ benè gestum, laudi cuivis & gloriæ debet esse sempiternæ. *Vel*: in muneribus Reipubl: ritè obeundis, nihil aliud quam obsequii gloria, continentibus, summisque Viris quærenda est. Sit adhuc Propositio: *gratulor Reipublicæ, quod te sit nacta Prætorem, Ducem, Præfectum &c.* Prætor, Dux, Præfectus, sunt sub genere Magistratûs: propositio generalis seu thesis de Magistra-

stratibus fiat. *exem: gr:* ex Cic: tertio de Legibus: *Magistratibus opus est, sine quorum prudentia ac diligentia Civitas esse non potest, quorum descriptione omnis Reipublicæ moderatio continetur, neque ijs solum præscribendus est imperandi, sed & Civibus etiam obtemperandi modus. Nam & qui benè imperat, paruerit aliquando necesse est: & qui modestè paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus esse.*

Hic duntaxat præmonendi sunt Juvenes, ne cum à *specie*, ad *genus*, seu à propositione singulari ad generalem convolant, nimio plus in *thesi* seu generali argumento morentur. Brevis hæc esse debet, aut perquam mediocris excursio; secus puerilis erit. Ut si quis commendaret judicibus, vel justitiam, vel continentiam à muneribus; & potissima orationis parte *in genere* virtutem laudaret, vel flagitia vituperaret. Idem dicendum de millenis aliis similibus thesibus. In quo tamen & adolescentes, & nonnunquam ij, qui eis sua proponunt exempla, non parum peccare solent. Sit propositio: *Hominem hunc quamvis potentem, Judices non metuite.* Judex est sub genere Magistratûs. Generalis propositio fieri potest: Magistratui omni magnitudine animi utendum est. *Sudandum est ijs* [ut inquit Cicero pro Sextio] *qui Magistratum gerunt pro communibus commodis, adeundæ inimicitiæ subeundæ sæpe pro Republica, tempestates, cum multis audacibus, improbis, nonnunquã etiam potentibus dimicandum.* Et hæc sufficiunt, redeundum mox ad particularem propositionem: *quid igitur? Vosne Regia imo etiam*

etiam Divina Auctoritate muniti, insolentis hujus hominis quamvis potentis vim non frænetis? altos non compescetis spiritus? &c. Sed de hoc loco satis.

28. *Quid est Species?*

Quæ continetur sub genere. Est verò fons, qui docet, propositionem quæ genus continet, probare per species.

Opificia [exempl: gr:] *introducere utilè est Reipublicæ.* Opificia *genus* est, *species* vero hujus generis, enumeratæ paulò superiùs. Ostende itaque *opificia lanea* utilia esse. Quantum enim extra Regnum lanæ nostræ mittitur trans maria; è quibus panni ibi, vel tapetes confecti, duplò vel triplò plus à nobis solvantur? &c. *Opificia serica* utilia esse. Quantum enim pecuniæ pro hoc mercaturæ genere è Regno continuo effluit? cum & bombicina lana pro coficiendo serico, exemplo tot gentium conduci, & etiam bombices domi foveri, plantarique apud nos possint mori, [genus arboris] quod jam à plerisque nostratium in diversis Regni partibus feliciter probatum. *Opificia coriacia &c.* Nos ne enim tot centena quotannis nummorum, ut vocant, imperialium millia, profundamus in Turcas? qui nos, nostris corijs mollius perfectis, flavoque colore tinctis, duodecies saltem in annum calceent? &c. Opificia carbasi, tapetum, argenti *&c.* Opificia legionibus armandis necessaria *&c.* Jta genus à speciebus evidenter probabitur, quod *leges flagitia comprimunt.* Ratio à *specie* flagitiorum, libidinis, & avaritiæ.

Do-

Docemur [Cic. 1mo de Legibus.] *authoritate mutuque legum, domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates, nostra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus, abstinere.*

Optimam esse formam nostræ Reipublicæ, probatur à tribus gubernationis *speciebus*: Regali in Principe; optima [ut vocat Cic:] seu Aristocratica in Senatu; populari in nobilitatis multitudine. Quod & Cic: ait: *Statuo esse optimè constitutam Rempubl: quæ ex tribus illis generibus* [genus hic intelligitur species] *Regali, optimo, & populari, confusa modicè, nec puniendo irritet animum immanem & ferum, nec omnia prætermittendo licentia Cives deteriores reddat.*

Jta probabis hominem, vel omni virtute, vel omni arte, vel omni scientia præstantissimum, vel optimè muneribus Reipublicæ functum. Vel è contra hominem flagitiosum enumeratione contentarum sub his specierum.

Jam si cùm *enumeratione partium* [superius mox posito fonte] argumenta *à speciebus* tracta fortasse conveniant, perinde id tibi sit, parumque obest. Quanquam *inter partes totius, & inter generis species,* haud difficicile intellectu discrimen est. *Genera* nimirum in species distribuuntur, *Singularia* vero sub generibus contenta dividuntur suas in partes, & membra. *vg.* Corpus *ut genus,* dividitur *in species*: corpus humanum, lapidis *&c.* Sed corporis humani non sunt species: caput, manus, & pedes, sed sunt ejusdem membra. Liberalitatis quoque, quæ *sub genere virtutis est species,* sunt quædam partes & officia; non sunt

vero

verò *species*, benefacere ſuis liberis, tum propinquis, tum amicis, tum domeſticis, tum externis, tum pauperibus. Metalli *ſpecies* ſunt: aurum, argentum, cuprum, *&c. partes* vero auri ſunt; ejus grana exigua, è quibus conflatur. Avaritia, quæ eſt *ſpecies*, ſub *genere* vitij, partes habere poteſt: nummos quam plurimos per fas & neſas corradere: nemini quidquam etiam egentiſſimo tribuere, ſibimet commoda denegare, imò etiam veris ſuis neceſſitatibus non providere, *&c. &c.* Sed denique in ijs quæ mente concipiuntur, ſive ſpecies, ſive partes, Adoleſcens nominaverit, non magnopere intereſt.

29. *Quid eſt Cauſa?*
Vel à qua, vel ex qua, vel qua, vel propter quam fit aliquid. Eſt vero locus, qui docet à cauſis, rationem eruere.

Vg. DOmus, has habet cauſas. Cauſa *à qua*: cujuslibet domûs eſt Dominus, vel Architectus, qui eam fabricari fecit, vel fabricavit. Cauſa *ex qua*: ſunt lateres, ligna *&c.* Cauſa *qua*: eſt forma interior & exterior, qua fabricata eſt domus. Cauſa *propter quam*: eſt finis propter quem ædificatur domus, ſcilicet ad habitandum.

30. *Quotuplex eſt Cauſa?*
Quatruplex, efficiens, materialis, formalis, & finalis.

31.

31. *Quid eſt cauſa Efficiens?*
A qua fit aliquid.

Ut Aurifex, à quo fit patera, Sol, à quo lux & dies; luxus à quo paupertas, *&c.*

32. *Quid eſt cauſa Materialis?*
Ex qua fit aliquid.

Ut ex uvis vinum, ex auro nummi.

33. *Quid eſt cauſa Formalis?*
Eſt intima forma qua tale eſt aliquid.

Vg: Id, quo adamas non eſt ſimplex ſilex, eſt igitur interna forma alia adamantis, alia ſilicis. Id quod facit *prudentiam* non eſt *liberalitas*, eſt ergo forma quædam utriusque virtutis inſita.

34. *Quid eſt cauſa Finalis?*
Eſt propter quam fit aliquid.

UT enſis eſt ad defendendum hominem; defenſio hominis, finis eſt enſis. Conſilij finis eſt, ut res benè debiteque agantur.

Jam ut Adoleſcentes bene cauſas intelligant, norint primò nihil omnino univerſis in rebus eſſe, quod ſit ſine ſuis cauſis, præter ipſum DEUM Optimum Maximum, qui eſt prima Omnium efficiens cauſa, Ipſe à nullo principium ducens: nihilq; eſt, quod ab hac cauſa prima omnium conditrice non oriatur. Tamen præter primam hanc generalem ac non-

creatam

creatam rerum omnium causam, res omnes necesse est ut aliam quamcunque proximè sui efficientem causam habeant: nihil enim à se ipso est. Deinde res corporeæ necesse est, ut habeant materiam & formam, quod idem est ac dicere causam Materialem & formalem. *vg.* Argentum: causas habet *efficientes*, naturæ vim & operationem solis, deinde confectorem sui Chymicum vel Aurifabrum. Causam *materialem* habet particulas, quæ ex gleba hujus metalli educuntur, & è quibus conflatur: *formalis* causa, seu forma illius est id, quo in semet argentum, ab auro aliisque metallis differt. Denique res quælibet habet suam causam *finalem*, seu finem propter quem est, DEUS enim & natura nihil faciunt frustra. Sol est ut die, Luna ut nocte, præluceat; pluviæ ut terram humectent; calamus ut scribat; acus ut suat. *&c.* Finis nobilissimus ad quem homo est conditus, est DEUS ipse, ut eo immortalis animus æternum fruatur.

Hæc satis sunt in hac Schola Juvenibus ad intelligendam causarum naturam. Qui tamen adhuc præmonendi sunt, quod in rebus corporeis quatuor hæ causæ facilè ostendi possint: non item in rebus incorporeis, quæ sensibus subjecta, materia & forma non constant. Flos enim *vg.* quilibet materiam formamque habet, sed res Spirituales, nec materiam nec formam habent, quæ subijciatur oculis, ut animus, virtus, vitium, *&c.* Quanquam impropriè, etiam rerum quæ mente concipiuntur, materia effingi, dicique potest: *vg.* res circa quas versantur scientiæ

entiæ, artes, virtutes, vitia, *&c.* possunt dici earum materia, ut Theologiæ DEUS & Religio: Physicæ, res omnes corporeæ, Chymiæ metalla, Arithmeticæ numeri. *&c.* Patientiæ materia sunt omnes adversi casus. Superbiæ materia, illustres natales, dotes naturæ, honores, opes *&c.* è quibus vani homines superbiunt.

Præmonendi sunt quoque Juvenes in rebus corporeis & quæcunque phænomena in natura videntur, ut fulmen, fulgur, pluvia, iris, terræ motus *&c.* horum eos causas efficientes, materiales & formales, sine consilio & scientia Philosophiæ dare non posse: neque vero eos obstringi, ut disputationem de his rebus ineant, nisi studio Philosophari velint. Sed quæ in re Politica, in moribus, in virtutibus, vitiisque occurrent, in horum causas inquirere, illis sæpè continget.

Præmonendi sunt denique, cujusvis talium rerum efficientes, finalesque causas oportere dari prudenter & solidè: nam si futiles ineptæque sint, & neminem convincent, & facile refutabuntur.

Linquamus ergo jam Philosophiæ studio, ut ad rerum naturalium explicationē quaternas has inveniat causas. Nos in re Politica & morali, argumentorum á causis eruendorum exempla apportemus, tanto plura, quanto Juvenibus difficiliùs est ejusmodi reperire causas.

Imprimis diligenter considerent; quidnam illud sit, quod rei, quam proponunt, est causa efficiens? Sit propositio: *Regi omne obsequium, amorem, & venerationem deberi;* Quis nam Re-

Reges fecit? DEUS, & populus: omnis enim potestas à Deo constituta est. Gentes vero sibi Reges, â quibus justè regerentur, jusserunt.

Itaque ratio erit a Causa efficiente: *DEUS enim constituit Reges, potestatisque suæ Divinæ ijs impartitus est munus, vices Dei gerunt*, &c. *Populi quoque omnes, cum boni jui, pacis, justitiæque causa, sibi præposuissent Reges, universali consensu ijs, tanquam Parentibus & Dominis, amorem, revereutiam, objequiumque deberi, statuerunt.*

Innumeræ sunt propositiones quæ ita à causa efficiente prima, à DEO scilicet probari sapienter possunt. Quales sunt istæ: *Rationis lumen in omnibus esse sequendum. Animæ salutem maximæ esse curæ habendam. Instinctibus ad virtutem permoventibus obtemperandum esse. Leges sanctè esse servandas. Tempus esse benè collocandum. Innocentiam vitæ esse conservandam. Religionem esse tuendam. Pauperes non esse opprimendos. Pro victoria obtenta, gratias esse publicè statuendas. Adversa & infortunia patienter esse ferenda. Pro avertendis malis publicis, supplicationes esse instituendas. Pacem Regni omni studio servandam esse. Rebus omnibus conditis esse ad salutem utendum. Ingenio, scientia, cæterisque naturæ dotibus, abutendum non esse. Secundis rebus, ut honoribus, fortunis, nobilitate generis animum efferendum non esse. &c. &c.* Harum enim omnium DEUS causa effectrix est. DEUS conditor, DEUS Dator *&c.* omnia ab Eo accepimus. *&c.*

Jam

Jam præter DEUM aliæ causæ efficientes investigandæ sunt: unde nimirum aliquid oritur? unde nascitur? pullulat? unde venit? unde principium, causam, & originem derivat? Neque enim hic strictè ac Philosophicè causa sumenda est, sed satis, quod occasio, aut causa movens, sit ad aliquid, ut Orator ab ea suam Propositionem probare, tanquam à causa efficiente possit.

Orator *vg.* si asserat: *Ministro Reipublicæ fugiendam esse adulationem.* Cogitet, unde oritur adulatio? hæc profecto cogitanti occurrent: *Adulatio proficiscitur, à vili abjectoque animo, ab homine, qui honesto præfert utile, ab homine versuto, callido, mendace, timido, fraudulento, ab ambitioso, ab avaro, à perfido: adulatur is Principi, qui caret omni, qua apud eum solidè commendari possit laude, consilio, scientia, virtute; unde fœdam captandæ benevolentiæ Domini, adulationis solius viam arripit &c.* Hæ esse, aut excogitari possunt adulationis causæ, occasiones, principia; ut ijs Orator adulationem & adulatores oppugnet *&c.*

Sit propositio: *Veram amicitiam inter probos duntaxat viros reperiri.* Cogita, unde imprimis vera nascatur amicitia? nimirum ex similis, inter duos contemplatione, aspectuque, virtutis, quam unus in alio adamat. *Virtus, virtus inquam,* [ait Cic: in Lælio.] *& conciliat amicitias, & conservat; in ea est enim convenientia rerum, in ea stabilitas; in ea constantia. Virtus cum se extulit, & ostendit lumen suum, & idem aspexit agnovitque in alio, ad id se*

admo-

admovet, vicissimque accipit illud, quod in altero est: ex quo eorum exardescit, sive mutuus amor, sive amicitia.

Propositiones sint aliæ. *Impendendas esse opes ad utilitatem Patriæ.* Cogitet Orator, quis dedit has nobis, Majoribusque nostris copias & opes? certè Patria: quidquid habemus, è sinu Patriæ accepimus. *Semper nos oportet studere, benè mereri de Patria.* Cogita, quis in nobis efficit operaturque hoc studium, hanc voluntatem? amor Patriæ, gratus erga Patriam animus. *Leges esse servandas.* Cogita, quis illas statuit? Sapientia, consensus, & auctoritas totius Reipublicæ. *Libertatem esse tuendam.* Cogita, à quò illam accepimus? à Majoribus nostris, qui eam suo nobis sangvine compararunt. *Libertate cum injuria Regum non esse utendum.* Cogita, à quo nobis concessa dataque libertas est? profecto à Regibus.

Factiones cum externis Principibus severè puniendæ. Examina, quid efficit, quod est principium & origo factionum? Certè avaritia, ambitio, cupiditas, perfidia, pessimus in Rempubl: animus. *Fœdus cum hoc, vel illo vicino reijciendum.* Quis enim illud facit? quis offert? vicinus infidus, versipellis, fraudulentus, fictusque amicus. *Comitia ne rumpantur, gravi lege inhibendum.* Inquire, unde ortus est, unde principium ducit, mos hic rumpendi Comitia? à pessimo libertatis abusu, ab insolentia Civium, ab avaritia, ambitione, rerum privatarum amore, à contiuua inter potentes æmulatione, à contemptu boni publici, à male

lè cæpta, male inolita, sensimque inveterata noxia consuetudine &c. Ita multa, quæ orta sunt à mala consuetudine, ab ea, tanqnam à causa efficiente dissuaderi possunt. *Legiones suæ, ut à singulis erigantur Provinciis, & earum sint propriæ, statuendum.* Quære, quis alit, quis solvit legiones? Sanè ipsæ et Provinciæ, earum tributis eriguntur, earum pecunia, stipendia militi solvuntur.

Munera Judici non acceptanda. Quære, unde proveniunt? ab homine, qui de causæ suæ justitia dubitat, qui male indigneque opinatur de integritate Judicis. *Pœnam sceleris convicto, condonari non oportere.* Cogita, quid pœnam attrahit? quid ad pœnam permovet? scelus, furtum, proditio &c. quid pœnam exigit? justitia, quæ est pœnæ causa. *Parentes esse alendos.* Quia illi nos aluerunt, quia pietas id jubet. *Nobilis es, servire non debes.* Quia liberis & ingenuis es natus parentibus. *Fuga militis punienda,* quia venit ab ignavia. *Malis exemplis moveri non oportet,* quia proveniunt ab hominibus temerariis, levibus, impiis. *Adulatorum laus spernenda,* quia datur, à vanis, mendacibusque hominibus. *Declinanda invidia;* quia à vili animo, proficiscitur. *Præsagia futurorum flocci facienda:* quia veniunt ab hominibus futurorum ignaris, egenis, impostoribus. *Meditatè respondendum:* quia id oritur è prudentia. *Consilium hoc vel illud respuendum:* quia venit non ab amore boni publici, sed privati, ab homine imprudente, maligno, &c. ab æmulatione, invidia, vindicta, &c.

Consi-

Consilium hoc amplectendum, quia ab amico, viroque sapiente proficiscitur. *Rumori huic fides adhibenda non est:* quia spargitur ab incertis auctoribus, à levibus, falsisque hominibus.

Talibus & aliis id genus, exemplis doceantur Juvenes, non esse rem adeo ut putant difficilem à causa efficiente argumenta eruere.

Sed, & *à Causa finali* non minor, neque difficilior rationum copia.

Sit Prop: *Tributi genus hoc, vel illud statuendum?* quis finis? ut miles ad defendendam Rempubl: augeatur.

Ad Senatum Viri Sapientes legendi: quis finis Senatûs? ut bene consulat Reipublicæ.

Juventus rectè educanda: quis finis? ut bonis Civibus provideatur, floreatque Respublica.

Senio confecto militi, commoda vitæ providenda: quo fine? ut virtus militaris ad defendendam Patriam spe Senectutis commodæ excitetur.

Leges improbè injustèque interpretandas non esse: quis enim est finis Legum? non injustitia certè, sed justitia, quæ est fundamentum boni publici. *A majoribus*]inquit Cic: in Vatin:] *nostris, nulla alia causa leges inventæ sunt: nisi, ut suos Cives incolumes conservarent. Ad salutem Civium*, [idem 2do de Leg:] *Civitatumque incolumitatem, vitamque hominum & quietam & beatam conditæ sunt leges. Ea virtute & Sapientia*, [idem de Inventione] *majores nostri fuerunt, ut in legibus scribendis, nihil*

nisi salutem atque utilitatem Reipublicæ proponerent. Neque enim ipsi, quod obesset, scribere volebant: etsi scripsissent, cum esset intellectum, repudiatum iri legem intelligebant. Cum itaque legum finis sit, beatos reddere Cives, in eorum damnum & injuriam leges interpretari ac pervertere, nefas est.

Sed quid faciliùs est, quam à fine rei propter quam est aliquid, vel propter quam consulitur, rationem dare? Ut *vg.* Propositiones: *Beneficiis plurimos esse obligandos. Patrimonia non esse prodigenda. Admonitiones æquo gratoque animo suscipiendas esse. Consilium re in omni quærendum esse: Fidem publicam in contractibus diligenter esse sanctèque servandam. &c. &c.* In publicis item materiis sint propositiones: *Fortalitia esse erigenda. Commercia esse protegenda. Curam præcipuam, armamentariorum esse habendam. Annonâ granaria publica esse providenda. Archivis Judiciorum actisque publicis commodum securumque locum esse prospiciendum. Navigabiles fluvios esse impedimentis purgandos. Judices, vel Legatos esse omnino eligendos*, &c. &c. Sint millenæ id genus propositiones, si cogites, *quo nam fine* aliquid in ijs suadetur, perfacile rem quâcunque probaveris.

Jam à causis *materialibus & formalibus*, ut Juvenes argumenta eruant, cogendi quidem non sunt. In laudationibus Urbium, templorum, Palatiorum, Ædium, hortorum, machinarum, rerum arte effectarum, item artium, scientiarum &c. hæ causæ locum habere potesunt: & considerata benè vel materia vel forma

rerum hujusmodi, multa dicenda naturaliter suppeditabunt.

Ut si quis *hastas*, genus armorum veterum præ cæteris commendaret, à materia & forma diceret: *quid utiliùs in omni armorum genere, hastis veterum Polonorum? quæ sunt conti quidam quaternis fere brachiis longi, intus, quo levius versari agitarique possint vacui, oblonga acutissimaque cuspidè præferrati, & ad retundendum hostem & ad eminus aggrediendum aptissimi &c.* Qua in re parum refert, si interdum alio cum fonte, ut definitionis, partium enumerationis *&c.* convenire videaris, dum bene materiam formamque descripseris.

35. *Quid sunt Effecta?*

Quæ à causis oriuntur & effluunt. Est verò fons, qui ab effectibus docet rationem eruere.

Ut medicinæ effectus est morbi curatio.

Rerum Physicarum effectus, relinquamus Physicis. In re morum & in politica, rationes ab effectibus copiosissimæ, solidissimæque occurrent. Nec quidquam efficacius probari potest, quam à vero quem res necessario producit, effectu

Hic itaque Adolescentes cogitent, res quæ in Propositione probanda est, quid efficit? hoc est, [his enim quæstionibus facilius effectus detegentur] quid ex ea re effluit, generatur, producitur, quem ex se fructum, quæve damna indubitanter affert? qui actus sint hujus rei, hujus

jus vitij, hujus virtutis *&c:* quid ex ijs proveniat? Accidere poterit, ut loco effectuum propriè ita dictorum, elabantur *consequentiæ*, [de quibus infra, & quarum ibidem differentia cum effectibus ostendetur] aut *partes rei*, [de quibus dictum superiùs in loco enumerationis partium] sed hoc in tyronibus eloquentiæ reprehendendum non est, dummodo quæ è re proposita manant, prout possunt, eliciant.

Sit Propositio: *Eloquentiâ & Sapientiâ, Viri in Republica clari omnino egent.* Cogita, Eloquentia & Sapientia in Viris Rempubl: administrantibus quos effectus producunt? quos fructus? quæ emolumenta? Egregiè illos Orator I. *de Leg:* prosecutus est: *est ei, cui Respublica commissa est necessaria Oratio & Sapientia, qua regat populos, qua stabiliat Leges, qua castiget improbos, qua tueatur bonos, qua laudet claros Viros, qua præcepta salutis aptè ad persuadendum edat suis Civibus, qua hortari ad decus, revocare à flagitio, consolari afflictos possit.* &c. &c. Hi enim similesque veri sunt effectus eloquentiæ cum Sapientia conjunctæ.

Nihil magis pestiferum esse voluptate. Expendat Orator, quæ mala è voluptate proveniant, tam in Republica, quam in homine qui immersus sit voluptatibus. Jis enim excœcati homines ad omne genus scelerum impelluntur, etiam usque ad propriæ proditionem Patriæ, Regnorumque ruinam, ut Tarquinij Lucretiæ, Paridis Helenæ, raptorum libidines, Regna eorum Patria evertêre &c. Mentem obnubunt & hebe-

hebetant, hominemque ineptum ad omnia reddunt &c. Quod ita Cicero in Catone majore: *nullam* [inquit] *capitaliorem pestem hominibus á natura datam, quam voluptatem, ad quam potiundam hominem avidæ libidines temerè & effrænatè incitant. Hinc Patriæ proditiones, hinc Rerumpublicarum eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci, nullum denique scelus, nullum malum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret; ad omne flagitium nullis aliis illecebris ita animum excitari, quam voluptatis. Cumque homini sive natura, sive quis Deus, nihil mente præstabilius dedisset, huic Divino muneri ac dono, nihil esse tam inimicum quam voluptatē. Neque enim libidine dominante temperantiæ locum esse, neque omnino involuptatis Regno virtutem consistere posse, quique maxima incitatus sit voluptate, eum nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posse. Quo circa nihil esse tam detestabile tamque pestiferum, quam voluptatem, siquidem ea, omne animi lumen extingueret. &c.*

Sit Propositio in re Politica: *Comitiorum infaustos exitus perquam damnosos esse Reipublicæ*: Cogita, quid effluit? quæ damna emanāt, è ruptis Comitiis? nimirum: " Destituitur omni consilio infelix Patria, confusio & Anarchia quædam in Republica oritur, quæ sine consilio nulla ratione diu potest subsistere. Labefactatur Religio, gravibus plerumque inter Regnum & Sacerdotium diffidijs, nullus imponitur finis. Majestatem inter libertatem-

" que

" que diffidentia semper major crescit, cum utraque à se depellere, & in aliam devolvere studeat ruptorum Comitiorum causas. Justitia publica nimium quam vacillat, cum iniquitatibus judiciorum nullum affertur remedium. Respublica inconsulta & inermis, cum tam exigua copiarum manu, hostibus, fraudibusque vicinorum exponitur. Opes & commercia Reipublicæ concidunt, privatorum, quibus nullus modus affertur, injuriis. Tota OEconomia Regni fusque deque convellitur, cum eam corrigere, ordinare, augere, communire, potestatis duntaxat Comitiorum sit. Re monetaria cum incredibili & irreperabili Reipubl: detrimento penitus corruptâ, egestas paupertasque publica & Cives & Rempublicam enervat. Civitates, pagi, oppida, immensâ Judæorum multitudine obruta, innumerisque aliis æruminis, oneribusque oppressa, vastitatem minantur, & manifeste corruent, si Respublica tot malis nullo obviet Consilio. Provinciæ à vicinis occupatæ, limites Provinciarum undique impetiti & læsi, præscriptione temporis, ac ignavia nostra paulatim depereunt. Negotia sine numero, tum Provinciarum, tum privatorum Civium, qui Rempubl: conflant, irritis commitiis, evanescunt; nihilque in melius proficit, omnia in pejus ruunt. Risui denique & contemptui hominum externorum exponimur, &c. Hi & similes veri sunt ruptorum Comitiorum effectus.

Etiam victoria in bellis Civilibus per quam

quam noxia est. Cogita, quid efficit victoria hujusmodi? Explicat Cic: pro Marc: Marcel: *omnia sunt misera in bellis Civilibus, sed miseriùs nihil, quàm ipsa victoria, quæ etiamsi ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores impotentioresque reddit, ut etiamsi natura tales non sint necessitate tamen esse cogantur. Multa enim victori, eorum arbitrio per quos vicit, etiam invito facienda sunt.*

Præsentiam Principis Regno semper esse necessariam. Quos nam fructus Principis præsentia affert? " Nimirum propiùs & diligen-
" tiùs, justitiæ administrandæ invigilat. Prom-
" ptiùs, funesta si negligantur, diffidia, inter
" Cives componit. Pacem & tranquillitatem Pa-
" triæ, tutam securamque conservat. Maxima,
" & innumera, cum Reipubl: tum privatorum
" negotia, quæ semper definitione egent, dif-
" ferri cum detrimento non patitur. Faciliùs
" honestos bonosque Cives & cognoscit, & à
" malis secernit, & idoneos dispicit, quam com-
" mendationibus alienis sæpè dubiis, sæpè fal-
" sis, sæpè malevolis, sæpè privatam utilitatem
" amicitiamque spectantibus. Suismet omnia
" examinat oculis, non depravatis plerumque
" credere cogitur aliorum nuntiis. Malos ci-
" tiùs coercet, bonosque præmiis erigit. Regiis
" proventibus, ac magnificentia & splendore
" vitæ, innumeros Cives locupletat & ditat.
&c. &c.

Eadem copia fontis hujus est, & in demonstrativo genere. Nam quemcunque laudes, quid in eo copiosius celebrare possis, quam illius

illius facta, merita, res gestas, seu ejus effectus? Quid erga Religionem, erga Patriam, erga Principem, Senatum, Cives, Exercitum, quid Toga, quid Sago, quid in Castris, quid in Tribunalibus, quid in Comitiis commissisve negotiis, quid erga Familiam propriam, quid erga amicos, clientes, pauperes *&c.* fecerit?. Quam variis animus ejus sit ornatus virtutibus, scientiis, artibus? qui sunt in eo, harummet virtutum effectus & fructus? quos labores pro Republ: subiit? quæ munera, Magistratusque laudabiliter gessit? quæ sapienter dixit, scripsit, consuluit, agressus est, perfecit? Hæc, enim omnia [idem de virtuperationibus intelligendum] tanquam proprii cujusvis Personæ considerantur effectus.

Nam advertant tyrones eloquentiæ, ubicunque in laudem cujusvis hominis illustris inciderint, quid in eo laudatur? nempe id quod effecerit, quod sit ejus virtutis actio & fructus. Consideret *vg.* in ea quam manibus terit Oratione *pro Marco-Marcello* exiguam hanc laudis Cæsari datæ partem: *domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes: sed tamen ea vicisti, quæ & naturam & conditionem, ut vinci possent habebant. Nulla est enim tanta vis, quæ non ferro ac viribus debilitari frangique possit. Verum animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium, nobilitate, ingenio, virtute præstantem, non modo extollere jacentem, sed etiam amplificare pristinam ejus dignitatem: hæc qui fecit,*

facit, non ego eum cum summis viris camparo, sed simillimum Deo judico, &c. Quid inquam hic laudatum est, nisi quod Cæsar fecit? Vide & in Oratione *pro lege Manilia*, ab eo præsertim Capite quod incipit: *Jam vero virtuti Cnei Pompei, quæ potest par Oratio inveniri? &c. testis est Italia &c.* quid aliud Orator in ejus recenset laudibus, nisi facta, *& effectus* Pompeij? Idem de omnibus aliis dicendum laudibus, quas hic in exempla excerpere nimis longum esset.

36. *Quid sunt Adjuncta?*

Quæ cum re conjuncta sunt, non necessario quidem, sed probabiliter.

UT tituli hominum, arma, vel instrumenta *&c. &c.* sine quibus homo esse potest.

Ut bene naturam fontis hujus Adolescentes intelligant, norint quidquid præter corpus & animam hominis, quæ duæ partes illum constituunt, quidquid inquam circa hominem vel actionem quamcunque hominis conspicitur, quidquid circumstat, omne esse adjunctum. Genus ejus obscurum vel illustre, tituli, munera, insignia quibus condecoratus est, artes scientiæque quibus ornatur, virtutes & vitia quæ illius insunt animò, illius ætas, opes & bona omnia, locus in quo est vel aliquid facit, tempus quo vivit, vel hoc illudvè agit, status & conditio vitæ, connubia, necessitudines, consanguinei, amici Clientelæ, inimici, modi & rationes ac circumstantiæ diversæ omnium ejus actio-

actionum, & idgenus innumera homini adjunguntur. Absque anima siquidem & corpore homo esse nequit, absque istis verò omnibus homo, esse potest homo, quæ veniunt, decedunt, augentur, minuuntur, mutantur, auferuntur, alia aliis succedunt.

Neque hæc Adolescentum permisceant mentem, quod pleraque ex mox dictis, cum aliis fontibus, ut partium enumeratione, effectis, *&c.* cohærere, aliundeque repeti videantur; namque res *prorsus eædem*, sed *diversis* consideratæ *modis*, seu sub diversis ut ajunt rationibus acceptæ, nunc ad hunc, nunc ad alium communem locum pertinere & referri possunt. Ut scientiæ, virtutes, vitia, si considerentur, ut collocata sub isto genere *bona animi, mala animi*; erunt eorum *species;* si considerentur eædem virtutes, vitia, scientiæ, ab *intellectu*, vel voluntate *effluere*; utriusque quodammodo *effectus*, aut etiam *quasi partes*, dici poterunt; si considerentur, ut sub se continentia diversas species; erunt *genera*; si considerentur respectu veræ hominis naturæ, quæ duntaxat ex corpore & anima necessario coalescit; virtutes, vitia, scientiæ, honores, conditio, status, *&c.* hæc omnia, erunt mera hominis adjuncta, & circumstantiæ.

Hæc autem adjuncta comprehensa sunt illo trito versiculo. *Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando?*

Quis: personam designat: ad quam revocantur Nomen, Genus, Stemmata, conditio, vitæ status, ætas, res gestæ, fama, gloria, bona ani-

animi: ut virtutes, artes, ſcientiæ, affectiones animi, vitia quoque, bona corporis: ut figura, color, pulchritudo, valetudo, debilitas, tarditas, agilitas, & eorum contraria; bona fortunæ: magiſtratus geſti, honores, eorum inſignia, opes. *&c.*

Quid: deſignat rem ipſam, quæ in quæſtionem venit, & de qua Orator agit, eſtque id ipſum, quod Orator narrat, laudat, vituperat, gratulatur: gratias refert, accuſat, defendit, ſuadet, diſſuadet. Ut ſi *honorem*, vel quid aliud gratuletur, ſi *victoriam* vel *factum* aliquod celebret, ſi *infortunium* fortiter ferendum, vel quidcunque demum cuicunque ſuadeat, ſi *de re bene vel male geſta* dicat. *&c.* brevibus, *quid*, intelligitur res ipſa, de qua in Oratione agitur.

Ubi: deſignat locum, qui eſt: ſacer, profanus, privatus, publicus, ſaluber, peſtilens; ſublimis, humilis; magnus, mediocris, exiguus; montuoſus, aſper, planus; campus, ſylva, flumen, domi aut foris; in urbe aut rure; in luce Civitatis, aut intra parietes; peregrè vel in Patria; in throno, curuli, tribunali, cathedra; in Palatio, in Ædibus, in via publica, in vico, in platea; in Schola, Paleſtra, theatro, ergaſtulo *&c.* terra, mari, aere &c.

Quibus auxiliis: deſignat auxilia Perſonæ, vel rei, ut: Miniſtros, Comites, famulos, operas, neceſſarios, amicos, hoſtes &c. Inſtrumenta quoque juxta quamvis rem &c. ut enſem, clypeum, tormenta bellica, haſtam, lorycam, ſecurim, malleum, currum, lapidem, calamum, *&c.* & quocunque ſenſus aut manus humanæ ad agendum adminiculo utuntur.

Cur: deſignat cauſas efficientem & finalem [de quibus dictum] quæ in hac re de qua agitur occurrunt. *vg:* An amicitia, malignitate, amore, vindicta, odio, cupiditate, ambitione, virtute, commiſeratione, voluntate propria, ſuaſu, vel juſſu, juſtis vel injuſtis rationibus, vi muneris & Officij, nec ne? factum aliquid vel faciendum ſit.

Quomodo: deſignat modos, quibus res aliqua agitur. Decenter, indecorè, piè, impiè: ſobriè, ebriè, lentè, præcipitanter, deliberatè, caſu, palam, ſecretò, ſincerè, aſtutè, joco, ſerio, prudenter, imprudenter, juxta vel extra ordinem. *&c. &c.*

Quando: deſignat tempus: nunquam, ſemper, ſæpiùs, primùm, nunc, multoties, rarò, ſæculum, annum, menſem, diem, horam; diluculo mane, meridie, veſpere, crepuſculo, nocte, æſtate, hyeme, vere, authumno; in juventute, virili ætate, ſenectute, ſereno cœlo, tempeſtate, feſto, profeſto die, belli, pacis tempore, Conſule, Principe, hoc vel illo, tempore præterito, præſenti, futuro, antiquo, recenti, longo, brevi, *&c.*

Hæc omnia innumerabilium cogitationum, rationum, & amplificationum, uberem, ſuppeditabunt de re quavis dicendi materiam, ſive tu illa ad alios, ſive ad hunc fontem referas. Ineptus tamen & puerilis plerumque labor eſt, velle ſtudio, ubivis, ab his omnibus rationes eruere, amplificationesque farcire, ſed ex his deligenda ſunt, quæ ad rem propius faciunt. Neque ordo ullus alius in ijs ſequendus,

quam quem tuæ rei natura exigit. Porrò hujusmodi *adjuncta*, aliter *circumstantiæ* nominari solent.

Fonti huic quemadmodum in tota Oratione, sic imprimis in exordiis locus est. Cicero Orationem pro Milone orsurus, cum inperterritum Milonem adstare, jussu vero Pompeij armis & milite septum judiciorum locum videt, mox illi id in mentem venit, quod Milone, qui minime perturbaretur, aspecto, turpè sit Oratori eundem defensuro timere, quod sibi tamen judiciisque armis metus incuti videatur. Sed deinde Pompeii Sapientia & æquitate animum erigit, quod hæ militares copiæ præsidio potiùs causæ justæ futuræ sint. Ab adjunctis ergo quis? cur? ubi? quibus auxiliis? seu personæ, loci, militum, causisque ob quas miles locatus sit, initium eum dicendi sumpsisse, tyronibus eloquentiæ ostendetur. *Etsi vereor, Judices ne turpè sit, pro fortissimo viro dicere incipientem timere, minimeque deceat, cum Titus Annius Milo ipse magis de Reipub: salute, quam de sua perturbetur, me ad ejus causam parem animi magnitudinẽ afferre non posse; tamen hæc novi judicii nova forma terret oculos: qui quocunque inciderint, veterem consuetudinem fori, & pristinum morem judiciorum requirunt. Non enim corona consessus vester cinctus est, ut solebat; non usitata frequentia stipati sumus. Nam illa præsidia, quæ pro templis omnibus cernitis, etsi contra vim collocata sunt, afferunt tamen Oratori horroris aliquid, ut in foro & in judicio, quanquam præsidiis salutaribus & necessa-*

cessariis septi sumus; tamen ne non timere quidem sine timore possimus. Quæ si opposita Miloni putarem, cederem tempori, Judices, nec inter tantam vim armorum existimarem Oratori locum esse. Sed me recreat & reficit, Cnei Pompeii Sapientissimi & justissimi Viri Consilium, qui profecto nec justitiæ suæ putaret esse, quem reum sententiis judicium tradidisset, eundem telis militum dedere; nec sapientiæ, temeritatem concitatæ multitudinis auctoritate publica armare. Quamobrem illa arma, centuriones, cohortes, non periculum nobis, sed præsidium denunciant; neque solum, ut quieto, sed etiam ut magno animo simus, hortantur; neque auxilium modo defensioni meæ, verum etiam silentium pollicentur. Reliqua vero multitudo, quæ quidem est Civium, tota nostra est, neque eorum quisquam, quos undique ex hoc loco cernitis, hujus exitum judicii expectantes, non, cum virtuti Milonis favet, tum de se, de liberis suis, de Patria, de fortunis, hodierno die decertari putat. &c: Quis non videt Ciceronem ab his cogitationibus non fuisse rem suam orsurum, si non adjuncta, seu circumstantias personarum: Milonis, Pompeii, Civium, Militum, loci, causasque locati militis præmeditatus fuisset.

Sit propositio: pro sermone Juvenis prima vice in consessu Provinciæ verba facientis: *pudore se suffundi dicere incipientem.* Ratio. ab adjuncto *quis*: personæ, quod sit Juvenis. Ab adjuncto *temporis*: quod primum nunc verba faciat. Ab adjuncto *loci*, ab adjuncto *causæ*, cu' prima vice dicere audeat. " Si me, Illustres

" ſtres Viri, cum verecundia ſuffuſum, tum,
" quod fateor, etiam animo perturbato dicere
" incipientem conſpicitis, & veniam facile huic
" indulgebitis ætati, & me, primum nunc apud
" vos verba facere, atque in hoc conſiliorum
" veſtrorum templo, quodammodo initiari per-
" humaniter cogitabitis. Frequentiſſimus cer-
" tè hic ampliſſimorum regni Senatorum, Cla-
" riſſimorum Reipub: & Provinciæ Magiſtratu-
" um, Nobilitatis illuſtris, præſtantiſſimorum
" virtute, ſapientia, meritisque de Patria Civi-
" um conſeſſus, cui etiam exercitatiſſimo in ar-
" te dicendi, nedum mihi prima fere verba co-
" nanti, non ſolum venerationis ſenſum, ſed
" etiam pudorem, imo & aliquid metus ac tre-
" pidationis non iniiciat? Profectò tanta loci Col-
" legiique veſtri Majeſtate perculſus, ſilerem
" certe diutiùs, uti hucusque Divinis veſtris de
" Republ: conſiliis, admiratione duntaxat defi-
" xus ſilensque interfui, niſi me ad dicendum,
" & ſacra Parentis Patruorumque meorum
" imperia compuliſſent, & Veſtra, quum Majo-
" ribus hic meis, tum mihi jam ipſi, abunde te-
" ſtata, benevolentia ac humanitas, animos re-
" luctanti trepidantique addidiſſent. &c.

Regem in Comitiis, nomine Equeſtris Ordinis ſalutando, à circumſtantiis perſonæ, inſignium regiorum, loci, Senatus &c. diceres.

" Tantum abeſt, ut hæc tua Rex Augu-
" ſte, vultus oris ac frontis Divinum neſcio
" quid ſpirans Majeſtas, ut hic perpetuus dia-
" dematis, ſceptri, thronique tui fulgor, ut iſte
" Virorum Principum, Sacri ampliſſimique Se-
" natûs

" natûs, Sapientiſſimorum pacis, fortiſſimorum
" belli, clariſſimorum Regiæ tuæ aulæ Mini-
" ſtrorum circa te ingens frequentiſſimusque
" conſpectus, tantum abeſt, ut quidquam ho-
" rum, adeo me aut perturbet, aut deterrere
" videatur, tua ut potiùs ſingularis clementia,
" incredibilisque comitas, ac benignitas, me
" magis, etiam excitent, animumque meum e-
" rigant, quo honorificentiſſimo muneri mihi
" ab Equeſtri Ordine impoſito, ſatisfaciam, uni-
" verſi cætûs noſtri Nomine Tibi Potentiſſime
" Rex, lætiſſimæ imprimis ſalutationis, debitæ
" ejusque maximæ venerationis, ac ſumma-
" rum, quas tibi debemus, gratiarum officia
" perſoluturus, &c.

Pontem ad Varſaviam eſſe conſtruendum. Rationes à circumſtantiis loci, modi, temporis. &c. &c. " Quia Varſavia Urbs, eſt Regum &
" Comitiorum ſedes in meditulliò fere Regni &
" M. D. Litt. ſita, qua, nulla alia, propter conflu-
" entem ad illam continuò hinc inde populum,
" frequentior. Quia etſi flumen ſit vaſtiſſimum,
" habet tamen firmam & perpetuam in medio
" inſulam, quæ tertiam fere pontis partem ſup-
" pleret, quæque aliquantum munita quemvis a-
" quæ & glaciei, elideret impetum; adeoque ab
" uno littore ad inſulam, ab inſula vero ad ad-
" verſum littus, ponte facile jungi poſſet. Quia
" præſertim operipſiusmet viſtulæ & lignis & la-
" pidibus, & operis, & ferro abundamus. Quia
" Provincia Podlachiæ, granarium eſt Varſaviæ;
" omnisque frumenti & annonæ genus, ab alte-
" ra parte viſtulæ copioſius longè quam aliunde
" deve-

" devehitur. Quia interregni tempore sex au-
" reorum nummorum Millia semper constat fa-
" brica pontis, neque inservit nisi aliquot mensi-
" bus, jam verò solidè semel vistulæ pons impo-
" situs, perpetuo commodo & usui esset. Quia
" modus haud omnino difficilis, si lege publica
" sumptus duorum interregnorum anticipentur,
" Ærarium autem publicum duodecem millia
" aureorum conferre jubeatur: deinde sexen-
" nio vel amplius, ab honoribus omnibus, Or-
" dinisque Albæ Aquilæ & insignibus, item
" omnibus Præfecturis, certa pecuniæ summa
" cuivis præscripta impendatur, quod pro pon-
" tis constructione sufficeret. *&c.*

Pauperibus, ne ostiatim mendicare cogantur, providendum. " Cogita; *quis*: paupe-
" res? æque ac nos homines, perinde ac nos à
" DEO creati, eodem quo nos pretio Redempti,
" & quidquid superbia nostra conclamet, nostri
" fratres, nostrum genus, nostra species; caro &
" sangvis idem, qui & purpura ostroque ami-
" ctorum, & Regiorum corporum. Christi DEI
" pignora imagines, & quidam Ejus ad nos le-
" gati. Apud DEUM patroni nostri interces-
" soresque certi, qui nobis de Christo merendi,
" cælum mercandi, occasiones continuas offe-
" runt *&c.* Vel *quis* providere debet? Prin-
" ceps, Præsules, Magistratus, homines opu-
" lenti & divites, Sacerdotes, Religiosæ socie-
" tates, mercatores, opifices, & quicunque de-
" mum nomine Christiano censentur, & qui-
" buscunque dictum est: quod uni ex minimis
" meis fecistis mihi fecistis: date & dabitur vo-
" bis.

" bis. *Quid* providendum est? Hospitalia ve-
" tera sustinenda, nova ubi opus est, & capa-
" ciora erigenda, reditus prisci vindicandi, novi
" proventus instituendi, augendique; pars re-
" dituum vel exigua, ab his qui possunt, con-
" tribuenda; luxui, ludis & aleis, quod Christo do-
" nes, adimendum; eleemosynæ publicæ colli-
" gendæ, summæ conflandæ & locandæ, ho-
" mines pii ad id Officii deputandi. *Ubi?* Var-
" saviæ, præsertim, vel Cracoviæ *&c.* & in Ci-
" vitatibus majoribus, quæ populo affluunt,
" abundant divitibus. *Cur?* imprimis ob San-
" ctissimam, DEI & Conditoris nostri omnium,
" legem, cujus providentia non satis humano
" generi prospexisset, si pauperes & egentes à
" locupletioribus ali foverique non jussisset. Ob
" Christi DEI promissa, usque pro uno calice
" aquæ frigidæ, Cœlesti æternaque beatitudine
" munerantis. Ob sensum humanitatis, cui hor-
" rorem incutit, miseros homines, pallidos,
" exangues, membris mutilos, cæcos, claudos,
" infirmos, senes decrepitos, nudis pedibus, cor-
" pore seminudos, intectos, fame sitiq; æstu-
" antes; flebiliter vociferantes, ejulatu im-
" plentes aera, sub muris, parietibus, sub dio,
" æstu, & procella, in quisquilijs simoque ex-
" tensos, gelu & frigore tabescentes, animam
" præ angustia, incommodis & fame agentes,
" conspicere audire *&c.* *Quomodo* ad id per-
" veniendum? Jussu imprimis Antistitum, ut
" Concionatores in omnibus populi Concioni-
" bus id gravissimè quotidieque suadeant: Sa-
" cerdotes in tribunali pœnitentiæ id consu-

" lant;

" lant, Officiumque Christianæ charitatis edo-
" ceant, viri docti in scriptis vehementerc om-
" mendent, Præsules, & Sacrorum Ministri, cu-
" juscunque Instituti, exemplo præeant, Prin-
" ceps liberalitate prælucat, Edictis cohorte-
" tur; Magistratus primi contribuant, viros pro-
" bos deligant, locum fideliter deponendæ pe-
" cuniæ designent, sanctè eandem administrent;
" in templis omnibus, nomine publico clausæ
" cistæ ad ostia defigantur, ut omnibus contri-
" buendi locus innotescat. Lege, Veneto-
" rum instar, cavendum, ut in testamentis & le-
" gando, si libet, in pia opera, [plena libertate
" legandi, vel non legandi, cuivis privato reli-
" cta] sed si quis legatum pium velit instituere,
" primum & ante omnia pro aliquo publico-
" rum hospitalium legandum sibi esse norit. Sæ-
" cus, nulla aliorũ legatorũ ratio. Pauperes col-
" ligendi, hospitalibus includendi, etiam. ne lo-
" cum deserant, cogendi, sedulo, qui membris
" valeant, examinandi, ne otio diffluant, occu-
" pandi &c: Hi sunt erigendorum dotandorumque hospitalium modi.

Sed immensus est campus, immensa ex hoc loco seges, seu cuicunq; demũ fonti alii ejus velis fæcunditatem opesque attribuere. Proinde jam pluribus in re liquida abstinendum exemplis. Id solum admonendi adhuc sunt Eloquentiæ tyrones: compluribus abhinc annis fædè & pueriliter fontem hunc deformatum fuisse, cum multi multa negati sint, à diversis, ut vocitabant, circumstantiis seu adjunctis Stemmatum, insignium, nominum, temporis, loci, figu-

figuræ &c. & similibus. Inde: media hyeme & bruma, hortensiani flores & gemmulæ eloquentiæ natæ, inde: è Christi triumphantis mausolei saxo, vel ex Hieronymi silice, triumphales gratulationis excussi ignes, inde: è Stemmate pennarum aut omnes in panegyricos evulsi calami, aut pennæ integræ Dedalæis accomodatæ ingeniis, inde: è bipartito ore Præsuleæ infulæ, erumpentibus acclamationibus salutati Pontifices, inde: Petro, non petræa sed felix Arabia in apprecationibus oblata, inde: similes, eæque innumerabiles nugæ, quæ suo rationem humanam dejecerant gradu.

37. *Quid sunt Antecedentia?*

Quæ rem Antecesserunt. Est vero fons qui à rebus, quæ prius præcesserunt rationem eruere docet.

Vg. *Crimen hoc furti probabiliter nunc hic homo commisit.* Ratio ab eo quod antecessit: nam & antea furta pariter committebat.

Ut discrimen inter *causam*, & *antecedentia*, Juvenes intelligant, advertant: quod *causæ* omnes priores sint suis *effectibus*, ut: prior est medicina, quam morbi curatio; quæ causæ & necessario antecedunt, & cum suis effectibus necessario junguntur, ut: dies necessario prius solem supponit, & sol necessario lucem effundit, diemque efficit. *Antecedentia* vero non necessario antecedunt, ut hodie ab aliquo dictum mendacium, non necessario supponit hominem hunc, & antea pluries mentitum fuisse; quam-

vis id contingere potuit, cum jam pluriès antea ejus mendacia comperta fuerint, nec qui ſemel mentitur, neceſſario debet ſemper mentiri, probabiliter tamen mentitur. Aliud exemplum. Potuitne eſſe Filius ſine Patre? nequaquam. Pater itaque eſt cauſa efficiens filij, non antecedens. Iam ſi dicas Filium hunc natum fore olim bonum militem, ſapientem virum &c: idque probes ea ratione, quod omnes illius Majores, gloria militari & Sapientia claruerint, probabis non à cauſa, ſed duntaxat ab antecedentibus. Quod enim Majores alicujus & fortiſſimi & ſapientes Viri fuerint, non ſequitur neceſſario, ut talis ſit, qui natus ex ijs eſt, ſed probabiliter talis eſt futurus.

Quod vero ex libro de inventione Ciceronis aliqui definiant, *antecedentia neceſſario antecedere*, non intelligitur neceſſitas quædam Phyſica, qualis eſt inter cauſam & effectum, ſed neceſſitas quædam non proprie dicta, hoc eſt, quod antecedens naturaliter & ordinariè has vel alias poſt ſe trahat ſequelas. Ut propoſitio ſit: *fodinæ argenteæ Itcuſii aperiendæ ſunt.* Ratio ab *antecedente:* quia in his fodinis reperiebatur antea argenti metallum. Videtur quidem aliquomodo neceſſario, ex hoc antecedente: *Itcuſii venæ argenti fuerunt*, ſequi id: *ergo & nunc ſunt;* non tamen neceſſitate quadam abſoluta & infallibili; cum venæ argenteæ, quæ antea fuerint, potuerint jam defeciſſe. Hæc ad intelligentiam hujus, de quo tractatur, loci ſufficiant.

Iam ad facilius ex hoc loco eruendas ratio

tiones hæ quæſtiones juvabunt: quid eſt, quod rem hanc revera anteceſſit? quid priùs vel olim obſervatũ fuit? quis mos, quæ conſuetudo, quæ opinio, ſententia, hac de re ante præceſſit? quid tale ante nos, vel præteritis temporibus fuit? &c.

Cicero in defenſione Milonis, ob Clodium occiſum ad judicium tracti, probans quod Clodius Miloni inſidias ſtruxerit; exponit quæ rem anteceſſerunt, quæque obſervata fuerunt, ſcilicet: *Clodium ante dies aliquot Favonio dixiſſe: Milonem triduo, vel ad plurimum quatriduo periturum. Clodium pridem ſciviſſe, quo die Milo Lanuvium profecturus erat. Clodium antequam Milo Roma diſceſſiſſet, priùs Roma eodem die egreſſum fuiſſe. Clodium Miloni occurriſſe, &c.* Hæc anteceſſerant, & quamvis inſidias à Clodio ſtructas neceſſario non probent, tamen aliquid, nec parum probant.

Cicero Oratione pro *Ligario*, qui accuſatus erat apud Cæſarem, quod cum in Affrica fuiſſet, partes hoſtium Cæſaris amplexus fuerit; cætera inter aſſerit: *Quod ſi Ligarius in Italia non in Affrica fuiſſet, ſecutus fuiſſet omnino partes Cæſaris*: probat id ab *Antecedentibus*: obſervatum nimirum fuiſſe, quod Ligarius nunquam aliud ſenſerit, quàm ſui fratres Ligarii, quod nunquam ab ijſdem ſeſe ſeparaverit. Ex hoc *antecedente* infert: itaque ſi in Italia fuiſſet, fratribus ſuis, qui erant partium Cæſaris, ac cum ijs Cæſari proculdubio adhæſiſſet. *Quod ſi penitus perſpicere poſſes, concordiam Ligariorum; omnes fratres tecum judicares fuiſſe. An po-*

poteſt quisquam dubitare, quin. ſi Q: Ligarius in Italia eſſe potuiſſet, in eadem ſententia futurus fuerit, in qua fratres ejus fuerunt? quis eſt, qui horum conſenſum conſpirantem, & pene conflatum, in hac propriè æqualitate fraterna non noverit? quis eſt, qui hoc non ſentiat: quidvis priùs futurum fuiſſe, quam ut hi fratres diverſas ſententias fortunaſque ſequerentur? Voluntate igitur omnes tecum fuerunt, tempeſtate abreptus eſt unus &c. Ex *antecedente* itaque, ac ſemper antea obſervata inter Ligarium ejusque fratres concordia, probare voluit: Ligarium, ſi cum fratribus in Italia fuiſſet, cum ijſdem partes Cæſaris ſecuturum fuiſſe.

Sed nos ad propoſitiones in genere morum & Politico veniamus. Qui in Comitiis cohortaretur, *Ne tempus fruſtra diſputationibus deteratur, ne Comitiorum tempus extenuetur;* cogitet: quid anteceſſit? & dicet tot jam comitia inanibus ejusmodi diſputationibus extracta fuiſſe, ac inutiliter effluxiſſe; tot jam dies in his ipſis Comitiis inaniter conſumptos & ſalutaribus Reipubl: conſiliis ademptos deperiiſſe. Vel diceret: principio ſanctè cæpta hæc fuiſſe Comitia, proſperè eadem compluribus fluxiſſe diebus, cur hodie permiſceantur, perturbentur? *&c.*

Qui *ſuaderet, vel diſsuaderet bellum*, cogitet: quid ante bellum fuit? pace nimirum florentiſſima, & omnibus pacis fructibus, præteritis his annis nos gaviſos fuiſſe, *&c.*

Qui *granaria publica in Provincijs & Civitatibus erigenda*, aut: *frumenta extra Regnum*

gnum exportandi, modum eſſe definiendum conſuleret, cogitet: quid antea obſervatum eſt. Itaque ab *antecedente* diceret: toties in fertiliſſimo quantûm libet hoc Regno, tam avorum, quam noſtra jam memoria, quod in nulla bene ordinata Republ: contigerit, eveniſſe: ut millia hominum in diverſis Provinciis fame perierint.

Titulos exoticos proſcribendos eſſe, Senatores extra limites Regni egredi prohibendum eſſe. Legatos Reipubl: Imperatoribus Copiarum, in exercitu adjungendos eſſe &c. Tales propoſitiones optimè confirmabuntur, à more & uſitata apud Majores conſuetudine, id ita viguiſſe, id ita obſervatum fuiſſe &c. *Ducum belli regimen, certo annorum numero definiendum eſſe*, nam priſcis temporibus Majores noſtri, Imperatoribus ad vitæ tempora uſi nunquam fuerunt. *&c.*

Jta quidquid à Veteribus moribus, uſibus, conſuetudinibus probabitur, ab antecedentibus probabitur. Imo etiam quidquid ab exemplis, eventibus, præjudicatis, à majorum laudibus & gloriosè factis ſumitur, certè ab antecedentibus ſumitur.

Adhortatur Cicero Oratione pro Sextio: Gubernatores Reipublicæ ad conſtanter defendendam Rempubl: ſpreto cujuscunque periculi metu, atque ita Scaurum aliosque præſentes alloquitur: *Propugnatores Reipublicæ qui eſſe voluerunt, omnia Reipubl: causâ perferunt; qui ſunt tales, qualis Pater tuus, M. Scaure fuit, qui à Graccho uſque ad Q. Varium ſeditioſis omnibus reſtitit; quem nulla unquam vis, nullæ minæ.*

minæ, nulla invidia labefecit; aut qualis Q: Metellus Patruus Matris tuæ, qui de Civitate maluit, quam de sententia dimoveri; aut, ut vetera exempla, quorum est copia digna hujus Imperij gloria, relinquam, neve eorum aliquem qui vivunt nominem: qualis nuper Q: Catulus fuit, quem neque periculi tempestas, neque honoris aura potuit unquam de suo cursu, aut spe aut metu dimovere. Hæc imitamini per Deos immortales! qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quæritis; hæc ampla sunt, hæc Divina, hæc immortalia; hæc fama celebrantur, monumentis annalium mandantur, posteritati propagantur. &c.

Idem Cicero Oratione eadem: *Qui bonam famam bonorum, quæ sola vere gloria nominari potest, expetunt; aliis otium quærere debent & voluptates, non sibi. Sudandum est his pro communibus commodis, adeundæ inimicitiæ, subeundæ sæpè pro Republ: tempestates, cum multis audacibus improbis, nonunquam etiam potentibus dimicandum.* [Ratio ab Antecedentibus.] *Hæc audivimus de Clarissimorum Virorum consiliis & factis, hæc accepimus, hæc legimus. Neque eos in laude positos videmus, qui incitarunt aliquando populi animos ad seditionem, aut qui largitione cæcarunt mentes imperitorum. Leves hos semper nostri homines, & audaces, & malos, & perniciosos Cives putaverunt. At vero qui horum impetus & conatus repressérunt, qui auctoritate, qui fide, qui constantia, qui magnitudine animi, consiliis audacium restiterunt; ij graves, ij Principes, ij Duces,*

Duces, ij auctores hujus Ordinis & dignitatis, atque Imperij semper habiti sunt. Quare imitemur nostros Brutos, Camillos, Ahalas, Decios, Curios, Fabricios, Maximos, Scipiones, Lentulos, Emilios, innumerabiles alios, qui Rempubl: stabiliverunt, quos equidem in Deorum immortalium cœtu ac numero repono. Amemus Patriam, pareamus Senatui, consulamus bonis, præsentes fructus negligamus, posteritatis gloriæ serviamus; id esse optimum putemus, quod erit rectissimum; speremus quæ volumus, & quod acciderit, feramus. Cogitemus denique corpus Virorum fortium, magnorumque hominum esse mortale, animi vero motus & virtutis gloriam sempiternam; eos, qui hanc tantam Rempubl: suis consiliis, & laboribus, aut auxerint, aut defenderint, aut servarint, esse immortalem gloriam consecutos. Quid hic Cicero ait? nisi: ab iis, *quæ antecesserunt*, ad virtutem & imitationem cohortatur.

Jam si hæc convenire videantur cum externo [de quo infra] fonte *ab exemplis & historia*; hac in re Juvenibus difficultas nulla habenda est, imo docendi rem solidius probari non posse, quam in re simili, quam tractant, exempla, aut præjudicata, quæ antecesserunt, afferre.

38. *Quid sunt Consequentia.*

Quæ ex re secutura sunt, vel secutura prævidentur, aut putantur.

UT: qui noctem insomnem ducit, infirmaturus putatur.

Consequentium discrimen cum fonte *effectorum*

ctorum est istud: quod nempè *effectus*, ex causis necessario oriantur, *Consequentia* verò non omnino necessario, sed ordinariè sæpè, vel aliquando, citiùs, vel seriùs sequantur. Ut iræ *effectus* verus est: commotio animi & sanguinis; iræ vero *consequentiæ* esse possunt: rixæ, cædes, lites, bonorum & familiarum ruina: sequi enim hæc & possunt & solent. Quodsi Juvenes consequentias eruendo, in *effectus*, vel etiam in partes rerum incorporearum incidant, nihil omnino interest.

Locus hic quoque immensæ utilitatis est. Ad eliciendam ex eo rationem, quærendum est: quid ex hac re, vel post hanc rem futurum est? quid sequi potest? quid certo secuturum est? quid prævideri potest? quid inde accidere? quid hanc vel illam rem manet? quid expectari oporteat? *&c.*

vg: Omnis virtutis, bonique operis consequentia sunt: *Laus, existimatio, fama, gloria, memoria sempiterna, imitatio, commendatio, honores, felicitas & in præsenti & in æterna vita.* Omnis verò peccati & mali sequelæ sunt; *Metus, morsus conscientiæ, dedecus, vituperatio, ignominia, infamia, detestatio, desperatio, pœna, supplicium. &c.* Hæc enim sequi solent vel virtutem, vel culpam, quamvis nonnunquam non sequantur; nam non una virtus, non unum flagitium, enumeratis caruit. Quocunque autem ex his, alliciuntur, deterrentur, persuadentur, disuadentur, homines; palam est: id à consequentibus fieri.

Exemplum *consequentium* ex Oratione Cic:

Cic: pro Marc: Marcell: Cæsar dixerat se satis naturæ, satis gloriæ vixisse; Cicero monet Cæsarem ne putet se satis Patriæ vixisse, sed illum hortatur, ut curet *ordinare ac constituere Remp;* quid inde, constituta nimirũ Rep:, sequetur? pax & otium; quid vero hinc Cæsarem manet? gloria immortalis, laudes, præclara de eo posterorum judicia; secus, dubia apud posteros fama, Horum *consecuturorum* rationibus, illius accendit animum ad constituendam Remp: *Hæc igitur* [inquit] *tibi reliqua pars est, hic restat actus. in hoc elaborandum est, ut Remp: constituas, eâque tu imprimis, cum summa tranquillitate & otio perfruare. Tum te si voles, cum & Patriæ quod debes solveris, & naturam ipsam satietate vivendi expleveris, satis diu vixisse dicito. Quid est enim omnino hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum, quod cum venerit omnis voluptas præterita pro nihilo est? Quanquam iste tuus animus nunquam his angustijs, quas natura nobis ad vivendum dedit, contentus fuit, semper immortalitatis amore flagravit. Nec vero hæc tua vita ducenda est, quæ corpore & spiritu continetur. Illa, inquam, illa vita est tua, quæ vigebit memoria sæculorum omnium, quam posteritas alet, quam ipsa æternitas semper tuebitur. Huic te ostentes oportet, quæ quidem, quæ miretur jam pridem multa habet, nunc etiam quæ laudet, expectat. Obstupescent posteri certe: Imperia, Provincias, Rhenum, Occanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta, munera, triumphos, audientes & legentes tuos, sed nisi hæc urbs stabilita tuis consilijs & in-*

stitutis

ſtitutis erit, vagabitur modo nomen tuum, longè atque latè, ſedem quidem ſtabilem, & domicilium certum non habebit. Erit inter eos etiam qui naſcentur, ſicut inter nos fuit, magna diſſenſio, cum alij laudibus ad Cœlum res tuas geſtas efferent, alij fortaſſe aliquid requirent, idque vel maximum: niſi belli Civilis incendium, ſalute Patriæ reſtinxeris; ut illud fati fuiſſe videatur, hoc conſilii. Servi igitur ijs etiam Judicibus, qui multis poſt ſæculis de te judicabunt; & quidem haud ſcio, an incorruptius quam nos, nam & ſine amore, & ſine cupiditate, & rurſus ſine odio, & ſine invidia judicabunt. Id autem, etiamſi tunc ad te, ut quidam falſo putant, non pertineret, nunc certe pertinet: eſſe te talem, ut tuas laudes obſcuratura nulla unquam ſit oblivio. Quod illuſtrius *conſecuturorum* exemplum?

Quam præſtans ſit utiliſque ſons iſte, vel hinc patet: quod nemo ſolidiùs ratiocinari poteſt, quam ſi ex re, quam ſuadeat vel diſſuadeat, quæ conſequentia, manare poſſunt, oſtendat. Argumenta ſane ab ijs in ſummi momenti propoſitionibus ac conſiliis, plurimum valent. Prudentiæ enim eorum, qui conſulunt, partes ſunt, prævidere ac præcavere, ea quæ conſequi poſſunt, etiamſi remotiſſima eſſe & abſtruſa videantur.

Propoſitiones ſint: *De tam magna Judæorum in Regno multitudine, ſeriò aliquid conſulendum eſſe.* " Quid enim ſequetur? uti jam " numerantur: plus bis decem centena millia, " Judæorum, [quidquid de minori illorum co-" pia

" pia, recens inſtitutus ſtatuit Judæorum cen-" ſus,] ita eorum tantumdem ampliusque ac-" creſcet, vel ſpatio dimidii ſæculi; Chriſtia-" nos ex oppidis omnibus extrudent, ijsque mo-" dum omnem reliquum vivendi & commerci-" orum eripient. Agricultura & artes inter " Chriſtianos ceſſabunt, Judæorum enim multi-" plicatio, plebis diminutio eſt. Si Ducem ha-" buerint, perniciofius ſervili bello aliquid oriri " poteſt, jugum & ſervitutem excutere cona-" buntur. *&c.*

Leges è Volumine Legum in compendium auctoritate publica redigendas eſſe. Quid prævidetur conſecuturum? " Nempè ſtudium le-" gum Patriarum, faciliùs omnino Juventuti & " Nobilitati redderetur; domi quivis Juris Pa-" trij peritus, vel privatim legendo, fieret; per-" facilè, quod cuique neceſſarium eſſet, reperi-" retur, *&c.* Contra vero quid conſequetur ſi " leges in compendium & ordinem nunquam " redigantur? nimirum confuſiſſima ſarrago, " & ſylva quædam perobſcura è legibus fiet, ut " antiquatæ à veris, & perpetuis diſcerni non " poſſint, ingentia multiplicabuntur librorum " volumina, quæ nec commodo nec uſui eſſe, " nec portari, quo opus, poterunt, ſed quæ dun-" taxat in Bibliothecis relinquantur, blattis & " tineis; Studium legum indigeſtarum perdif-" ficilè cuicunque reddetur, & earum ignoran-" tia perpetua continuabitur, quæ Comitiis, " Tribunalibus, omnique foro ſit futura per " quam noxia. *&c.*

Augendæ Reipubl: vires; quid hic pro-ſpici

ſpici debet? nimirum, " Bella ſæpe ſubito, " & inopinato naſci. Interregna Reipubl: ſem- " per funeſta certo ſuccedere. Vicinos in im- " potentes auſuros, quæ aliter non auderent. " Nimis ſero eſſe, cœptâ jam belli flammâ, de " bello tum primum cogitare, bellum pa- " rare. &c.

Vel contra: *ſtandum eſſe præſentibus Reipublicæ viribus.* Nam quæ præcaveri oportet? " Ne tributis prægraventur Cives, oppida, & " Provinciæ; ne nimis, unius, æqualibus gravi, " vellificetur potentiæ; ne ſuis armis petatur, & " aliquando juguletur libertas. &c.

Imperatores exercitus ad definitum tempus jubendos eſſe. Quid conſequi poteſt. "Nem- " pe, auctis ut par eſt, & ut defendendo Im- " perio congruit, majoribus Reipubl: militari- " bus copiis, Imperator perpetuus majeſtate " ipſa nobis formidabilior, & Majeſtati ipſi in- " tolerandus eſſe poſſet. Solitudo & diutur- " nitas, tanti Magiſtratus, quemvis vel probum " continentemque Civem corrumpere poſſet. " In interregnis, aut certi illi rerum Domini, " aut quos illi velint, & armati jubeant. Muta- " tione vero invecta, neminem ea moliturum " auſurumvè, quæ certò longoque egent tempo- " re, aut ſuccubiturum. Plures deinde è Fa- " miliis & honore Imperij ornari, & ad imperia " militaria, geſto munere propriaque experien- " tia, idonei reddi poſſent.

Peregrè miſſos Juvenes, in urbibus, ubi mores corruptiſſimi, diu non eſſe retinendos. Quid prævidendum? " Scilicet, ſi quartum, " quin-

" quintumve morentur menſem, ſocietatem & " amicitiam cum licentioſis, diſſolutis, flagitio- " ſis, & irreligioſis, ſtrictam inituros; religio- " nis, pudoris, continentiæ ſenſum amiſſuros, " pecuniam decocturos, æs alienum contra- " cturos. &c.

Frumenta Dantiſcum non devehenda, vel contra, *ut devehantur, ſinendum.* Quid præ- videri, quid conſequi poteſt? " Dantiſcanos " id lucri nobis, quod nos illis afferimus, alla- " turos. At fieri forte poſſe, venire ut nolint? " id vero futurum non videtur, uno alterove " anno abſtinere eos poſſe, ſed non pluribus: " nam ſine noſtro rei frumentariæ commercio, " quid Gedanum? At poſſent moliri quidpiam? " ſed quo ſub Principe, quam nunc ſunt, illis " tutius ac commodius,? quis illis, eam, qua " fruuntur, libertatē integram eſſe ſineret? &c.

Longinquorum Principum amicitiam cotendam, vicinorum offenſiones minimè quærendas. Quid proſpiciendum? " nempè vici- " ni propiùs & promptiùs & prodeſſe & obeſſe " poſſunt Reipublicæ; ſi jam cum vicinis offen- " dicula intercederent, remotiores & è longin- " quo opitulari poſſent. &c.

Ita Cic: *Orat: pro lege Manilia* cū bellū cū Mithridate continuandum ſuaderet, *conſequentia,* ſi Aſiæ defenſio negligeretur prudentiſſimè ob oculos ponit, oſtendens: quod in hoc bello de Imperii Romani dignitate, & gloria agatur; " *1mo.* enim ſalutem ſociorum cum turpiſſima " Romani Imperii nominisque labe & macula, " in ſummum diſcrimen vocari; Socium atque " ami-

" amicum populi Romani Ariobarzanem pul-
" sum, Regnum Patrium Cappadociam amissu-
" rum; à duobus Regibus Mithridate & Tigra-
" ne Romano Nomini inimicissimis, Civitatibus
" omnibus Asiæ & Græciæ, gravissimum im-
" minere periculum. *2do.* Tota Asia opima
" & fertili Provincia, vectigalia, nervos Reipu-
" blicæ peritura; metu enim calamitatis, eti-
" amsi nulla irruptio facta sit, pecora relinqui,
" agriculturam deseri, mercatorum navigatio-
" nem conquiescere, fructum totius anni sæpè
" uno rumore periculi amitti. *3tio.* Multorum
" bona Civium, qui rationes suas & copias &
" pecunias, in illam Provinciam transtulerunt,
" casura, quæ in ruinam plurimos secum Cives
" Romanos pertrahant, fidemque labefactent
" publicam; non enim possunt in una Civitate
" multi rem atque fortunas amittere, ut non
" plures secum in eandem calamitatem trahant;
" hanc rationem pecuniarum, quæ Romæ, quæ
" in foro versatur, implicitam esse cum illis
" pecuniis Asiaticis, & cohærere; nere illa non
" posse, ut hæc eodem labefactata motu non
" concidant. *&c.* En egregiam consequentium
imaginem.

Idem Oratione *pro Sext:* ostendit, quæ consecutura sint Gabinio & Pisone scelestis hominibus ne dum impunitis, sed qui tot flagitiorum rei, suis è criminibus etiam ingentem pecuniæ summam fortunasque sibi comparent: *O Dij immortales!* [inquit] *quem nam ostenditis exitum nobis? quam spem Reipublicæ datis? quotus jam quisque invenietur tanta virtute*

tute, Vir, qui optimam quamque causam Reipublicæ amplectatur? qui bonis viris deserviat? qui solidam laudem veramque quærat? cum sciat, duo illa Reipublicæ penè fata, Gabinium & Pisonem, alterum haurire quotidie & paccatissimis, atque opulentissimis Siriæ gazis, innumerabile pondus auri, ut veteres illibatasque divitias, in profundissimum libidinum suarum gurgitem, profundat: alterum, Thracibus ac Dardanis, primùm: pacem maxima pecunia vendidisse; deinde ut illi pecuniam conficere possint, vexandam his Macedoniam & spoliandam tradidisse, spoliare Thessalos, neque ullo in publico, aut religioso loco, signum aut tabulam, aut ornamentum reliquisse.

Locum quoq; proprium habet hic fons, quoties contra novitatem aliquam noxiam dicendum est. Quid enim consequitur? *rem* scilicet *in exemplum ituram, imitatores habituram: neminem in Republ: sibi soli peccare, sed aliis, sed pluribus, sed posteris: nullum ita venenum, nullam pestem, quam mali exempli vim serpere ac propagari. &c.*

Sed exemplorum satis ad illustrandum Adolescentibus *consequentium* locum.

39. *Quid sunt Contraria?*

Quæ in eadem re esse simul non possunt.

UT frigus & calor, sanitas & morbus, simul in eodem loco esse nequeunt.

Diversæ sunt *Contrariorum* species, quas

ut Adolescentes intelligant, non erit à re alienum, hic eas inserere Sunt enim *1mo. Adversa*, quorum utrumque est res, & sibi contrariantur: ut album & nigrum, virtus & scelus, veritas & mendacium. *2do. Privantia*, quorum unum est res, alterum nihil: ut lux & tenebræ, vita & mors, doctrina & ignoratio. *3tio. Negantia*, seu *contradicentia*, cum aliquid de eodem vel affirmatur, vel negatur: ut est honestus, non est honestus; est hæc liberalitas, non est hæc liberalitas, *4to. Relata*, quæ se invicem spectant, quæ tamen in eodem respectu considerata, esse simul non possunt, ut: Pater & filius, Magister & discipulus, Judex & reus.

40. *Quid sunt Repugnantia?*

Quæ etiamsi aliquando in eadem re, persona, vel loco, esse possint, tamen sibi repugnant, nec satis se pati possunt.

UT: sanum esse & pede claudicare. Liberalem esse, & pauperi nil tribuere, cum petit, velle. Pietatem habere in DEUM, & omni die Deum non adorare. Pium esse in Parentes, & iis cum egent, non opitulari. Amicitiam cum aliquo colere, & quempiam malè de amico loquentē frigidè auscultare. Modestia animi commendari, & si honor tibi denegatus sit, irasci. *&c.* Nam advertant Adolescentes: posse esse aliquem liberalem, scilicet: in suos, in amicos, in divites, & pauperi *Elemosynam* recusaturum, quod tamen liberalitati omnino repugnat. Posse quem esse amicum, scilicet: amare, benè velle

velle, bene facere, amici commoda promovere, bona tueri: & calumniis in amicum ab aliquo jactis non obsistere, quod tamen amicitiæ contrarium est. Idem de cæteris.

Jam quocunque demum, ex mox dictis, nomine, veniant contraria, [ad quorum species singulatim denominandas Juvenes, dum ab hoc fonte dant rationes, cogendi non videntur] locus hic pro rationibus eruendis non minus copiosus est, quam necessarius. Opposita enim, ut ajunt penes se posita, meliùs elucescunt. Ita: dum commendare volueris: *sobrietatem esse colendam*, postquam effecta, consequentia, aliasque rationes pro sobrietate adduxeris, dic jam quæ de ebrietate dici possint, ita melius sobrietatem commendaveris.

Ad eliciendas facilius, à quibuscunque contrariis vel repugnantibus rationes, quærenda hæc sunt: *virtuti huic, quod est vitium contrarium? vitio huic, quæ virtus contraria? propositioni huic, quid contrarium, vel, contradictorium? personæ huic, actioni huic, consilio, modo, sententiæ, opinioni huic, quid est contrarium? bono huic, quid malum? utili huic, quid noxium? honesto huic, quid inhonestum? justo & æquo huic, quid injustum, & iniquum? laudabili huic, quid ignominiosum? decoro huic, quid indecorum? commodo huic, quid incommodum? rei huic exequendæ quod periculum, quod impedimentum? opponantur. Hæc res potest ne esse simul cum ista? hoc nonne repugnat, nonne adversatur?* &c. *id genus.* Fieri jam nequit, ut cujusvis rei sua non reperiantur contraria.

 Itaque

Itaque nulla Propositio, nulla res est, quæ ab hoc fonte probari non possit. Unde facile agnoscitur, quam locus hic late pateat, quem si etiam juvent quicunque alij fontes, vel in illum influant, ut: causæ, effecta, antecedentia, consequentia, comparatio, similitudo, partium enumeratio &c: quanto melius est, tanto major rerum copia.

Sint Propositiones. *Gratos & memores beneficij nos esse oportet.* Quid huic contrarium? ingratus & immemor animus: ratio itaque à contrario: "Quid enim est turpius, inhumanius, imo ferius, quam ingratus in benefaciẽtes animus? quam beneficij oblivio? Feris profecto ipsis belluisque alia est omnino indoles &c.

Fides, amor, reverentia, Principi debentur. Quid est huic contrarium? carere fide, amore, reverentia erga Principem. Ratio à contrario. "Nam deesse his erga Principem officiis, nefas est. Apud barbaros quoque, & qui non leges, non sapientum præcepta, sed naturæ duntaxat sequuntur ductum, populos, crimini summo ducitur, eum quem caput Gentis esse voluerunt, aut contemptui habere, aut injuria afficere, aut calumniari, aut odisse, aut prodere. Brutæ solum animantes Ducem & Rectorem sui non noscunt generis, quanquam in nonnullis earum quoque speciebus, humanum quid & Reipublicæ simile observatum non semel fuerit. Quid jam homines luce rationis præditi? &c.

Obedientiæ & docilitati à teneris assuescendum esse. Quid contrarium? non obedire, indocilem esse. Ratio à contrario "Qui enim Adolescens obedire, docilisque esse non dicerit, infelix sit olim oportet. Multis siquidem in sequentis vitæ decursu, obediendum omnino erit & imperiis & Magistratibus, quibus si reluctêre, maxima fortunæ, libertatis, capitisque & vitæ pericula tibi subeunda sint.

Patrimonij conservandi, augendique, præcipuam curam esse habendam. Quid contrarium? dilapidare, decoquere patrimonia &c. *Summum veritatis studium habendum.* Quid contrarium? turpitudo, infamia, horrorque mendacii. *Militem continentem esse oportere.* Quid contrarium? incontinentia, rapinæ, violentiæ, concussiones, libidines &c.

Advertant vel ex his exemplis tyrones Eloquentiæ, nihil esse facilius, quam à contrariis rationes exposcere; meminerint tamen, semper putandas esse potiores rei probationes, quæ è re ipsa ducantur, quam quæ duntaxat sumuntur à contrario. Rationes, ut vocant Logici, *à positivo*, perneccessariæ sunt, ne ijs tantum contentus sis, quas *à negativo* erueris. Ut vg: Propositio sit: *Modus in expendendo sit semper accommodatus, ad modum proventuum.* Probaveris è re ipsa prius ita: *hac enim ratione, patrimonia nedum conservantur, verum etiam augentur. Moderationem hanc in expensis,, & justa sanaque omnis OEconomia, & ratio & prudentia omnis exigit. Ita semper, secundum cujusvis conditionem, rem familiarem ad vitæ necessaria, ad commoda, ad splendorem quoque suffecturam.*

cturam. &c. &c. Tum dices à contrario: *quam proximus mendicitati, inopiæ, ruinæque sit ille, qui ultra proventuum suorum vires, in cœnas, vestes, ludos, superbasque ædes, in clientelas, equos & canes profundit. &c.*

Jam eodem fonte in consulendo de negotiis publicis solidius uberiusque nihil.

Propositio: *Ad demandandas executioni leges, singulis legibus, graves pœnas in violatores, clarè præscribendas esse.* Quid huic contrarium? Si leges ferantur sine pœnis præscriptis. Jtaq; à contrario ita argues. " Quis enim " justum illum timorem, religionem, ac reve- " rentiam legum habeat, si tantum jubeant, " prohibeantve, neque illico modum, si violetur, legis vindicandæ defendēdæque præscri- " bant? Leges mutas inermesque esse, nec se " ipsas tueri, nec cogere quenquam posse. Jam " quotus est, qui honesti decorique rationibus " ducatur? qui non solo potius à prævaricatione legum arceatur, pœnæ, jacturæ bonorum " & honoris, aut supplicij metu? his omissis, " præcepta Majorum, & quævis sapientissimè instituta vilipendi, ac præsertim à potentioribus sperni. Sanè si: lex illa quæ pauperes in " Regiis Præfecturis agricolas, à Præfectis opprimi vetat, mox præscriberet ita: quemvis " Nobilem, qui Præfectum Colonos Regios opprimentem ad Judicem deferat, dum reum " convincat, Præfectura mox ejus potiturum: " quodsi succubuerit, aut illum anno in fundo ærgastulum, aut propriorum bonorum " amissionem manere: certe hac legi severitate " ad-

" adjuncta, temperantiores Præfectos, florentioresque haberemus Præfecturas. *&c.*

Jura Majestatis, sartatecta servanda, nec imminuenda esse. Ratio à Contrario; " Illa enim " Regibus imminuere iniquissimum, injustissimumque est. Nam cum Reges benevolè liberaliterque cum Senatu & Equestri Ordine Majestatis jura partiti sint, quid injustius quid " iniquius, quam benefactores Reipubl:, velle " reliquis etiam despoliare juribus? Iam si senatum ornamentis his insignibusque Majestas " privetur, Regiam ipsam dignitatem ac auctoritatem penitus labefactatum iri *&c.*

In laudandis Personis, si vituperatio aliorum immisceatur, egregiè laudem illustrabit. Sic *Cic Orat: pro Leg: Manilia*, Pompeium contra Mithridatem mittendum in Asiam multis commendans, à contrario laudes ejus illustrat. *Quanta innocentia* [inquit] *debent esse Imperatores, quanta deinde omnibus in rebus temperantia, quanta fide, quanta facilitate, quanto ingenio, quanta humanitate! quæ breviter, qualia sint in Cn. Pompejo consideremus. Summa enim omnia sunt, Quirites, sed ea magis ex aliorum contentione, quam ipsa per se cognosci, atque intelligi possunt. Quem enim possumus Imperatorem aliquo in numero putare, cujus in exercitu veneant centuriatus, atque venierint? Quid hunc hominem magnum cogitare, qui pecuniam ex ærario ad bellum administrandum depromptam, aut propter cupiditatem Provinciæ, Magistratibus diviserit, aut propter avaritiam Romæ in quæstu reliquerit? Vestra admurmuratio*

tio facit, Quirites, ut agnoscere videamini, qui hæc fecerint. Ego autem neminem nomino. Quare irasci mihi nemo poterit, nisi qui ante de se voluerit confiteri. Itaque propter hanc avaritiam Imperatorum quantas calamitates, quocunque ventum sit, nostri exercitus ferant, quis ignorat? itinera quæ per hosce annos in Italia per agros atque oppida Civium Romanorum nostri Imperatores fecerunt, recordamini: tum faciliùs statuetis, quid apud exteras nationes fieri existimetis. Utrum plures arbitramini per hosce annos, militum vestrorum armis, hostium urbes, an hibernis, sociorum civitates esse deletas? neque enim potest exercitum, is continere Imperator, qui se ipsum non continet. Hic miramur Pompejum, tantum excellere cæteris, cujus legiones sic in Asiam pervenerunt, ut non modo manus tanti exercitus, sed ne vestigium quidem cuiquam paccato nocuisse dicatur? &c. &c. Considerent Juvenes, quod non ita hic eminuisset laus virtutum Pompeij, si ab opposito majorem non accepisset lucem.

Pro repugnantibus melius intelligendis, adhuc hoc loco addendum est: *Contraria* nimirum, *& adversa*, tum esse, cum duæ res sibi penitus oppositæ confligunt, ut clementia, & sævitia. *Repugnantia*, verò *ex adversis* nascuntur, cum unum est *contrarium* penitus, alterumvero illi non directè contrariũ, *sed effectus, vel partes contrarij* opponuntur; *vg*: Clementia una ex parte, ex altera non *sævitia*, sed sævitiæ effectus: ut, innocentem occidere. Nam potest esse aliquis natura clemens, potest illi nihilominus accidere, ut cædem innocentis committat, quæ clementiæ omnino repugnat; quẽadmodum Carolus Magnus, Princeps aliàs optimus, cæde filii manus polluit. Jta Augustus Octavius, communiter clementissimos inter Principes collocari solet, & multis hæc in eo elucet virtus, uti cum Cinnæ pluribusque pepercit, *Pulchrum est consulere Patriæ, parcere afflictis, tempus iræ dare, orbi quietem, sæculo pacem suo; sic ille Patriæ primus Augustus Parens, complexus astra est:* canit de eo Seneca. *A repugnantibus* tamen adeo fama ejus clementiæ prosterni potest, crudeles ut potius inter tyrannos recenseri mereatur. " Flos enim " ille innocentissimæ Nobilitatis Perusij barba- " rè ab eo excisus, cum ad lamentabiles trecen- " torum illustrium hominum voces, & lachry- " mas hoc tantum responsi dedisset: *morien- " dum esse*; proscriptiones illæ summorum, ho- " nestissimorumque Civium innumerabiles, plus " quam Sullanæ, fœdere inter Trium Viros pa- " ctæ, quibus Romæ, in Italia, totoque Orbe, " fere plus illustris Sanguinis, quam à condita " urbe fuit effusum; vilissima ipsa indignaque " proditio & mors Ciceronis, summi omnium " in Republ: Viri, & sui amici, & ejus quidem " Ciceronis, qui Octavii potentiam maximè " in Senatu firmarit, quem ingratus ille M. An- " tonii furiis & impotenti vindictæ scelerate- " ultroque reliquit; & sexcenta id genus quæ " clementiæ imo etiam humanitati, majorem " in modum repugnant, nonne arguunt fuisse ty- " rannum?

Sic:

Sic: si impios, prout sese appellitare amant, *Theistas* insectari voluerìs, *qui Deum se agnoscere & adorare* fatentur: falsum id esse à repugnantibus probabis. Contrarium est: *Theistæ Deum nec agnoscunt, nec adorant.* Rationes à repugnantibus: quia de DEO pessimè sentiunt, cum illi Providentiam, Justitiam, ac Misericordiam adimunt: quia, ut remunerantem negent, animos nostros esse immortales inficiantur.

" Illine D E U M norint & adorent, " qui otiosum quendam Deum confinxerint, cu- " jus nihil res nostræ humanæ interfint; qui " postquam inferiorem hunc mundum semel " extra se, aut effuderit, aut ejecerit, eum na- " turæ, casui, fortunæque gubernandum reliqueritque? qui nulla præcepta humano præscripserit generi, legemque nullam, cum hæc, ut " perperam loquuntur & blaterant, à Moyse " efficta sint, & simplici Hæbreo populo, nomine " duntaxat Divinitatis imposita. Quem porrò " illi Deum se noscere ac adorare prædicant? " qui nec præmia virtuti, nec pœnam flagitiis, " nec Cœlum, nec in inferis supplicia, hominibus aut promiserit, aut minatus sit, aut debeat, aut sit unquam daturus? Deum proinde: quem si metuas, si spernas, si ames, si oderis, perinde tantundemque tibi est? de quo " nihil bene mereri, in quem peccare nihil unquam possis, à quo boni nihil, mali quoque " nihil præstolêre? Præsenti etenim in vita, natura & casu verti agique omnia, futuram nullam esse affirmant. Itaque ut hominem & Supremo

" premo Arbitro, & Judici vindicique Deo sub- " trahant, immortalem in nobis animum esse " pernegant, multamque Conditori gratiam " præstare videntur, si de immortalitate nostra " tantum dubitent. Id autem totum, nullo alio " fine, nulla causa, præterquam ut brutis, ut " obscenis, quas & ipsi veteres gravesque Phi- " losophi detestantur & horrent, voluptatibus " & lascivijs, spe omni metuque futuri sublato, " totos se infrænata quadam libidine, liberiùs & " impunè tradant. Honesti jam illi sapientes- " que? imo verò soli illi & honesti & sapientes, " sibi esse videntur, qui ita de DEO cogitant, " nos illis vulgus sumus, turba, fæx populi, ho- " muncionesque stultissimi, si Deum metuimus, " si potiundi præcipue bonis æternis, spem no- " stram in DEO locamus. Quis est hic itaque " deses, delicatus, piger, omnium quæ fecit, of- " ficijque negligens, otiosissimus, ut sit ipse be- " atus, dulci suo æternum indulgens immer- " susque sopori, rerum nostrarum & incurius " & improvidus, quis inquam iste aut cæcus & " hebes Deus, qui nihil quod agimus videat, aut " nimium Epicureæ tranquillitatis amans, qui " ne suam interturbet quietem, nulla guberna- " tionis, eorum quæ fecit, cura occupare se ve- " lit, molestiamque omnem à se hac ratione " rejiciat? quasi laborandum sudandumque sit " DEO, si sedulo diligenterque mundum, or- " bemque terrarum, gubernare, homines sin- " gulatim inspicere, velit, qui mundum, terras, " & homines uno duntaxat verbo eduxit & " excitavit è nihilo. Talem ergo Deum agnoscere

" ſcere, adorare talem, eſt ne Deum & agnoſce-
" re, & adorare? Habeat ille quidem innumera-
" bilia alia & ſumma, & maxima, quæ in eo
" *Theiſtæ* concelebrent, ſed ego hunc eorum
" DEUM, quo alius melior & perfectior eſſe
" poſſit: cui ſumma quædam deſunt, ſcilicet, &
" providentia carentem, & neque miſericordem,
" neque juſtum, nec amo, nec odi, nec laudo,
" nec vitupero, nec colo, nec deſpicio, pigriti-
" am tamen incuriamque ejus rideo, tantoque
" majore cahinno, quod aut illum metuendi,
" aut aliquid ab eo ſperandi cauſam nullam lo-
" cumque habeam. Maneat jam ergo ille, qui-
" eſcat æternum Cæleſti ſuo obductus ſipario
" *Theiſtarum* ac Epicureorum DEUS: Nobis
" alius DEUS eſt, Conditor, Legislator, Rex,
" Imperator, Conſervator, Judex, *Agonothetes*,
" ultor, punitor, omnipotens, ſapiens, bonus,
" juſtus, miſericors, providus, ut principium,
" ita unus & ultimus noſtri omnium finis, qui
" nec in tempore, nec in æternitate, ſatis un-
" quam amari, coli, adorarique poſſit. *&c.*

Hoc in exemplo videntur, quæ Dei agnitioni, & religioni erga DEUM repugnant. Alias propoſitiones probandas à repugnantibus habe: *Bonus eſt Civis.* Proba, ſi libet, contrarium ab effectibus mali Civis. *Bonam viciniam hic vel ille Princeps nobiſcum colit.* Proba contrarium ab effectibus malæ viciniæ. *Juſtitiâ ſtare Regna.* Proba ab effectibus injuſtitiæ. *OEconomiam publicam: Ordinem in Comitijs: curam conſervandæ in Republicâ Æqualitatis: militarem diſciplinam: educationem Juventutis: agriculturam: fidem in contractibus publicam: concordiam*

diam in Conſiliiis &c. &c. eſſe neceſſaria: hæc omnia à contrariis & repugnantibus, ſi cogites, lucem maximam acquirent.

41. *Quid eſt Comparatio?*

Cum duo vel plura in aliquo ſecum conferuntur. Ut ſapiens Ariſtoteles, ſed ſapientior Plato, qui rectiùs de animi immortalitate ſenſerit.

42. *Quot modis res comparantur?*

Tribus, vel à majore ad minus, ut Reipubl: benè conſulit, ergo poteſt & domeſticæ rei benè conſulere. Vel à minore ad majus: ut rem ſuam familiarem, benè adminiſtravit, ergo & ærarium publicum benè adminiſtrare poteſt. Vel à pari ad par. Ut, ſi ille qui defendit armis ſalutem Reipubl: laude dignus eſt, cur non & ille, qui bene conſulit Reipublicæ.

Comparantur itaq; res cum re, perſona cũ perſona, virtus cum virtute, vitium cum vitio, factum cum facto, lex cum lege, *&c.* arbor cum arbore, lapis cum lapide, ædes cum æde, fluvius cum fluvio, Civitas cum Civitate, Regnum cum Regno. *&c.* & quæ comparantur debent eſſe ejusdem generis. Unde hominem conferre cum arbore, non eſt propriè comparatio, ſed ſimilitudo, de qua mox infra. Quod ſi *vg*: Ciceronis verba *in Cat: Maj.* de Ennio afferas: *Ennius equi fortis ac victoris ſenectuti, ſuam comparat*

parat. benè id, ſed non propriè dicitur: equus enim cum homine aſſimilari aliquo modo poteſt, comparari non poteſt: niſi velis *ſenectutem* & *vires* hic eſſe comparatas, non equum & hominem. Sed hæc Adoloſcentibus nullum quæſo faceſsant negotium.

Ad inveniendam faciliùs comparationem, hæc quæſita proderunt: quod aliud huic conſimile? æquale? quod tale factum aliud? in quo eadem virtus? idem vitium, quid in hiſtoria vel in memoria hominum tale? cum quo res hæc, actio hæc, perſona hæc, comparari poteſt? ſi res hæc ibi talem produxit effectum, cur hic non producat?

Jam liquet fontem hunc ſæpe ſæpius cum aliis fontibus convenire poſſe, ut: cum antecedentibus, cum effectis, cum externo fonte ab exemplis &c. ſed quomodocunque demum rationes ab eo ductæ ſint, ad rem certe probandam ſunt fortiſſimæ & ſolidiſſimæ, nihilque fere homini naturalius ac promptius, quam mox ad comparationes recurrere.

En quam fortiter ad continuandum bellum contra Mithridatem *Cicero pro Lege Man:* Populum Romanum comparationibus cum eorum Majoribus urget, & injurias injuriis confert. *Majores veſtri,* [inquit] *ſæpe mercatoribus ac naviculatoribus injurioſius tractatis, bella geſſerunt: vos tot Civium Romanorum millibus, uno nuncio, atque uno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis,? Legati, quod erant appellati ſuperbius, Corinthum, Patres veſtri, totius Græciæ lumen extinctum eſſe voluerunt: vos eum inultum Regem eſſe patiemini, qui Legatum Populi Romani, Conſularem, vinculis ac verberibus, atque omni ſupplicio excruciatum necavit? illi, libertatem Civium Romanorum imminutam non tulerunt, vos vitam ereptam negligetis? Jus legationis verbo violatum illi perſecuti ſunt: vos Legatum Populi Romani omni ſupplicio interfectum, inultum relinquetis? Videte, ne ut illis pulcherrimum fuit tantam vobis Imperii gloriam relinquere, ſic vobis turpiſſimum ſit, illud quod accepiſtis tueri, & conſervare non poſſe. Quare ſi propter ſocios, nulla ipſi injuria laceſſiti, Majores veſtri, cum Antiocho, cum Philippo, cum Ætolis, cum Pœnis bella geſſerunt: quanto vos ſtudio convenit injuriis provocatos, ſociorum ſalutem una cum veſtri Imperii dignitate defendere?*

Aliæ jam propoſitiones hoc loco probandæ adjunguntur. *Coloni ſubditi, ad ipſos conſus dominis ſolvendos, ſublatis ſervitiis & laboribus diurnis, aſuefaciendi ſunt: agris & campis, quæ ad Dominis pagorum ſpectant, ruſticos inter partitis.* Ratio à comparatione. " Quamobrem enim apud nos tali eſſe ratione " non poſſint, quali ubique ferè ſunt in " exteris nationibus ruſtici? Perquam fructuoſum id ubique eſt eorum dominis: id " eos curis æconomicis ſolvit, id eorum æra- " rio paratam, qua vivant, importat pecuniam, id " eos, ad præſtantiora, quæ Nobilitati congruunt, " officia, idoneos ſolutosque reddit. Coloni " autem honeſta libertate donati, uti & rei ſuæ " ſecuri, & de ſuo tempore certi, tota virium " contentione laborant, quo nec ſibi, nec Do- " minis deſint. Iam ſi id apud nos, ob aliam ru- " ſtici,

" ſtici indolem, quam ſit in exteris, ſucceſſurum " fortaſſe neges, atqui in Pruſſia, atqui in Ma- " jore Polonia, atqui in pluribus jam & Mino- " ris Poloniæ & Lithvaniæ locis, pagisque, a- " gricolæ hac conditione ſunt, & dominis per- " utiles, & ſibi gnavi ac providi? proinde quid " jam dubites, ſi velis, ſi probes, ſi prudenter " rem aggrediare, idem & in pagis tuis futu- " rum? *&c.*

Vagabundos, & nullius profeſſionis homines, ſeverè puniendos eſſe, civitatibus, oppidis, & pagis, uti & Cyngaros, *pellendos.* Comparabis cum Viennenſi politia hac ipſa de re præſcripta, tam pro Urbe Vienna, quam pro omnibus Auſtriacis ditionibus; item cum politia Saxoniæ.

Gratulando Præſuli vel Senatori Provinciæ, honorem: clarioribus, qui eum in hoc ipſo vel ſimili munere anteceſſerint, Viris, eum comparare poteris. Tale illud: *magnitudine animi Ambrosium, Sapientia Auguſtinum, omni genere ſcientiarum Hieronymum, eloquentia Chryſoſtomum, ſanctitate Gregorium, ſedi huic divinitus conceſſum ſpectari &c.* Qua tamen in re, stolidius ac puerilius nihil eſſe Adoleſcentes norint, quam aut imprudentibus comparationibus uti, aut ſtulta & faſtidioſa unum alii præferendi conſuetudine excedere. *vg:* Ariſtotelem, Platonem, Aquinatem, Alexandrum, Pompeium *&c:* ſuperaſti. Parcè iſtis utendum. Magna opus eſt prudentia & delectu in comparando, ne quid nimium uni tribuas, demas alteri.

Potuit

Potuit benè Cicero Oratione pro M. Marcello, Julio Cæſari à Comparatione ſummam hanc laudem tribuere: *Soleo* inquit, *ſæpe ante oculos ponere, idque libenter crebris uſurpare ſermonibus: omnes noſtrorum Imperatorum, omnes exterarum gentium, potentiſſimorumque populorum, omnes clariſſimorum Regum res geſtas, cum tuis, nec contentionum magnitudine, nec numero prœliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec diſſimilitudine bellorum, poſſe conferri. Nec verò disjunctiſſimas terras, citius cujusquam paſſibus potuiſſe peragrari, quam tuis non dicam curſibus, ſed victoriis illuſtratæ ſunt. Quæ quidem ego niſi ita magna eſſe fatear, ut ea vix cujusquam mens aut cogitatio capere poſſit, amens ſim; ſed tamen ſunt alia majora, &c.* Hæc inquam benè de Cæſare dici, & cum Cæſare comparari à Cicerone poterant; comparat enim victorias Cæſaris ex hoſtibus reportatas cum victoria, quam de ſe ipſo Cæſar retulit, Marcellum recipiendo in gratiam, hancque ſui victoriam, prioribus omnibus comparatam, juremeritò præfert. Sed ſi tu Ducem aliquem è noſtris, his ipſis laudare verbis, & cum his ipſis comparare victoriis, & victoribus volueris, ineptè feceris. Rei enim veritas in comparando maximoperè conſideranda eſt, adulatione & ineptis hyperbolis procul.

Adhibentur plerumque in Oratione breves etiam comparationes, dextrè omnino inſertæ, quæ maximi ſunt ad perſuadendum ponderis: ut illa Ciceronis pro Milone Viro fortiſſimo,

qui intrepidus coram judicio adſtitit, nec Judicibus ſupplex fuit; eos tamen Orator ad miſerandam ſortem Milonis comparatione cum gladiatoribus hortatur: *Etenim ſi in gladiatoriis pugnis, & in infimi generis hominum conditione atque fortuna, timidos & ſupplices, & ut vivere liceat, obſecrantes, etiam odiſſe ſolemus: fortes & animoſos, & ſe acriter ipſos morti offerentes, ſervare cupimus; eorumque nos magis miſeret, qui noſtram miſericordiam non requirunt, quàm qui illam efflagitant: quanto hoc magis in fortiſſimis Civibus facere debemus?* Alia cōparatio in Orat: pro eodē Mil: qui Clodium ſceleratiſſimum plebis Tribunum occiderat: *Græci homines Deorum honores tribuunt iis viris, qui tyrannos necaverunt. Quæ ego vidi Athenis? quæ aliis in Urbibus Græciæ? quas res divinas talibus inſtitutas viris? quos cantus? quæ carmina? prope ad immortalitatis & religionem & memoriam conſecrantur. Vos tanti conſervatorem populi, tanti ſceleris ultorem, non modo honoribus nullis afficietis, ſed etiam ad ſupplicium rapi patiemini?*

Solet fieri Comparatio, & à diſſimili, id eſt: cum contrarium, è re in comparationem adducta, eruitur.

vg: Sit ſenſus: *Peſſimos Cives æterna infamiæ nota affici oportere.* Ratio à Comparatione cum re diſſimili ſeu contraria: " Si illi qui " Patriam propugnârunt armis, conſervârunt " ſalutaribus conſiliis, inſtitutis & legibus mu- " niêrunt, auxerunt gloria & opibus, Religio- " ne ac memoria hominum, perennibusque mo- ni-

" nimentis conſecrari merentur: certè jam illi " qui ſeditiones excitârunt, qui Patriæ & Civi- " um proditores fuerunt, qui libertatem venum " dederunt, qui infeſtis vicinis conſilia contra " Patriam præbuerunt, vel æterna oblivione de- " lendi, vel potius eorum Nomina perpetuis e- " xecrationibus, dirisque devovenda ſunt. *&c:*

Libertatem amiſſam non recuperari: Ratio à Comparatione cum diſſimili: " Aurum & " opes ab hoſte, vel latronibus ablatæ, ædes aut " vetuſtate collapſæ aut dirutæ, poſſeſſiones e- " reptæ aut flamma, ferrove deletæ, tempore " nobis reſtitui, & refloreſcere poſſunt: Liber- " tas ſemel amiſſa & in ſervitutem converſa, re- " cuperari ſæculis poteſt nullis. *&c.*

Hæc de Comparationibus ſufficiant.

43. *Quid eſt Similitudo?*

Eſt rerum diverſarum in aliqua re collatio.

UT: Animi in omnem partem mobilis inconſtantia, ſimilis eſt arundini flatu quovis ventorum agitatæ.

44. *Quid eſt diſſimilitudo?*

Eſt cum è rebus diverſi generis diſſimile diverſumque quid eruitur.

UT ſol occidit, reditque; Vita cum occiderit, redibit nunquam. Belluæ ſunt ſemper ſuis gratæ altoribus, homines benefacientibus ſibi non ſemper ſunt grati.

Similitudinum imagines, & ad insinuandum quidvis animo, & ad persuadendum, & ad ornandam Orationem aptæ sunt. Illas vero reperire, non tantopere difficile est, si in omnibus rebus naturalibus: Cælo, terraque, præsertim notis, & magis obviis, tuæ de qua tractas rei, simile quid diligenter quæsieris.

Sit *vg:* Sententia tua: *Sine Legibus Rempubl: nec vivere, nec moveri posse.* Quid simile in rebus est? corpus sine anima vivere nequit. *Ut corpora nostra sine mente, sic Civitas sine lege, suis partibus & nervis ac sanguine & membris uti non potest.* Cic: pro Cluent.

Mali, ne noceant aliis, è Republ: rescindendi. Quid simile? membra corporis infecta & putrida. *Ut in corpore, si quid ejusmodi est, quod reliquo corpori noceat, uri ac secari patimur, ut membrorum aliquid potius, quàm totum corpus intereat: Sic in Reipublicæ corpore, ut totum salvum sit, quidquid est pestiferum amputetur,* Cic: Philip: 8.

Ingenium ne sterilescat, semper excolendum. Quid simile? ager. *Ut agri non omnes frugiferi sunt, nisi qui coluntur: sic ingenia, nisi quæ colantur, fructum nullum ferunt.* 2. Tuscul. *Ut ager quamvis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest, sic sine doctrina animus.* 2. Tuscul.

Fortunæ vi, etiam Sapientes Viros nonnunquam succumbere. Quid simile? tempestati in mari etiam optimi gubernatores non resistunt. *Quemadmodum Gubernatores optimi vim tempestatis, sic Sapientes fortunæ impetum superare non possunt.*

Calu-

Calumniæ in innocentes Viros jactæ dispereunt. Quid simile? ignis in aquam injectus. *Ut ignis in aquam conjectus, continuo restinguitur, sic falsum crimen in purissimam & castissimam vitam collatum, statim concidit & extinguitur.* pro Rosc: Comm.

In similibus possunt quoque omitti hæ particulæ, sicut, ita, & similia. *vg: gemmæ quamvis abiiciantur in lutum, fulgorem tamen & proprietatem non amittunt. Multi quamvis in tenebris involuti fuerint, optimam naturam virtutemque non amiserunt* in Vatin: *Hirundines æstivo tempore præsto sunt, frigore pulsæ recedunt. Falsi amici sereno vitæ tempore præsto sunt, simul atque fortunæ hyemem viderint, devolant omnes.* ad Heren.

Simile postponi potest: *Vg: Populus sua sponte pacatus, hominum seditiosorum vocibus, & violentissimis tempestatibus concitari solet: ut mare, quod natura sua tranquillum est, ventorum vi agitari ac turbari videmus.* pro Cluent.

Potest solum simile absque explicatione poni. *Vg: Cygni prævidentes quid in morte boni sit, cum cantu & voluptate moriuntur.* Intelligitur mortem cum lætitia excipiendam esse.

Conglobatæ similitudines & gratiam & vim habere solent. *Vg:* "Magnis & vehemen-
" tibus incendiis restinguendis, nulla vis aquæ:
" vetustæ, malè tectæ, malè compactæ, solu-
" tæ, rimisque hianti, ac diu jam neglectæ na-
" vi aut domui, nullius Architecti sapientia:
" corpori, venenosis humoribus & serpente per
" omnes venas putredine, penitus infecto, nul-
" la

" la ars virtusque medicinæ: Reipublicæ, cujus
" diutissimè cura omnis neglecta est, in qua per-
" niciosissima & legibus jam fortiora vitia inve-
" terârunt, sanandæ, reparandæ, corroborandæ,
" nullæ leges, nulla consilia valent. &c.

Conglobatæ dissimilitudines & ornant & movent. Ut: *si bellum præsertim Civile dissuadeas*, dices: "Elementa secum ipsis non pu-
" gnant, neque se ipsa conficiunt, aqua ignem
" non ignis extinguit ignem: pluviæ ardoresque
" satis omnibus inimici sunt, non fata sibi invi-
" cem, inimica sunt. Nulla species rerum ani-
" mantium se ipsam ad internecionem delere
" quærit, non Leonum, non Ursorum castra,
" castris opponuntur, non luporum, non canum
" adversi in aciem educuntur, seseque adoriun-
" tur exercitus. Sola infelix hominum, speci-
" es, mutuam sui destructionem molitur, sola
" cohortes, legiones, copias, arma, castra, re-
" perit ad inferendum sibi invicem interitum:
" nec satis est gentes in gentes irruere, etiam
" in una gente, Provincia, Civitate, furor insa-
" nus, sitiensque sanguinis, fraternas in se ar-
" mat vertitque manus. &c.

45. *Quid est* Notatio?

Est locus per quem à nomine, rei vel personæ eruitur ratio.

Vg: LEgem à legendo dictam esse volunt, ut vel ex ipso constet nomine, ideo esse leges, ut ab omnibus legantur, ediscantur, sciantur.

In hoc itaque fonte, ethymologia, seu de-

rivatione, à quo provenit, nominis, utimur. Possunt enim & à Nomine solidè dari rationes, dum rectè ejus origo explicetur. *Vg. Juvenes, ne sint Senatores.* Senatus enim ipse nomen à Senibus duxit. *Homini prudenti futura prospicienda sunt.* Prudens enim dicitur, quasi procul videns, *Jus necessariò natum esse.* Sine jure enim nulla potest propulsari injuria, quia nihil aliud injuria est, quam res non jure facta. *Magistratum esse opartere sapientem.* Nam & ipsum nomen Magistratus, à Magistro seu docente derivatum est. *Modestia*, à modo provenit: ut ergo quis modestus sit, modum decentem servare in omnibus debet. *Ars politices ediscenda est.* Quid est enim polities? Nisi ars regendi Civitatem, à *polis* Græca voce, quæ significat Civitatem, proveniens. *Dives nulla re eget.* Dives enim appellatus à Divo est, qui nulla re caret. *Adulor* à græca voce provenit, quæ *servitutem* significat, ut pateat, adulari semper esse servile. *Philosophiæ dandam esse operam*, quid enim illa suo in nomine, nisi amorem sapientiæ sonat. &c.

Probatur non parum res ab ethymologia diversorum Nominum propriorum. Ut: Oras illas, quarum oppida Slavicis appellantur nominibus, pertinuisse forte ad Slavos populos probaretur ex ipsis vocabulis Urbium: Brema, Lubeca, Vismaria, Cracovia, in Meclemburgico. Apud Sacros Oratores laudes sumuntur à nominibus, quæ ex Hæbrea, vel alia lingva interpretari solent. Ut Augustinus: *Christi*; inquit, *Nomen à Chrismate dictum est, Chrisma græcè, latinè*

latinè unctio nominatur: ideo autem nos unxit, quia luctatores contra diabolum fecit. Divus Chrysologus: *ante causam*, inquit, *dignitas Virginis annuntiatur ex Nomine, nam Maria Hæbreo sermone, latinè Domina nuncupatur. Vocat ergo Angelus Dominam, ut Dominatoris Genitricem trepidatio deserat servitutis, quam nasci & vocari Dominam, ipsa sui germinis fecit, & imperavit auctoritas.*

Jam alias pueriles putidasque ineptias anagrammata, univoca, ut vocant, nomina, vel æquivoca, allusiones nominis ad voculas, quales sunt: Nomini Joannis sint jo & anni. In Thomæ abysso deperdi mergique tenues ingeniorum phasellos. Non Philippicis, te Philippum aggredimur. Taceat Tacitus, defloresçant Hortensii *&c.* has & id genus nugas magnopere esse vitandas tyrones Eloquentiæ admoneantur, quæ etiam in carmine & epigrammatis semper nugæ sunt.

Conjugatis non immoremur. Qualia sunt, Sapiens est, qui hanc vocem protulit, ergo sapienter illam protulisse censendus est. Rex est aut Rector, ergo regnare & regere debet. Pius ipse es, non frustra itaque pietatem promoves. Furtum commisit, & furem se neget? Quæ, & cætera hujusmodi naturam satis conjugatorum ostendunt.

§. III.

§. III.

De aliis rationum & cogitationum copiosis fontibus.

46. *Quæ illa sunt, quæ in propositione quasibet, imprimis, ac perquam naturaliter, menti occurrere solent?*

Ista nimirum: utrum res sit honesta, vel inhonesta? justa, vel injusta? necessaria, an non necessaria? utilis, an noxia? jucunda, an ingrata? facilis, an difficilis? certa seu manifesta, an incerta?

NOn quod omnia semper ex his quatuordecem locis examinanda sint, sed ea, quæ magis cuivis propositioni conveniunt.

Vg: Principi vera duntaxat dicere & deferre oportet. Nam id *honestum* in semet est, officiumque ipsum probi cujusque Consiliarii id exigit. Nam id *justum est*, Legibusque Divinis & humanis omnino cohæret. Nam id *perneccessarium* est, cum Princeps, nisi ipsi vera deferantur & consulantur, benè populos, benè quasvis personas, benè universam Rempublicam gubernare non possit, nec, si ei imponatur, à gravissimis queat liberari erroribus. Nam id *utile est*, & Principi ne decipiatur, & populis, ut eorum res verè noscat, eosque rectè gubernet. Nam licet cautè Principibus veritas dicenda sit, *non est* tamen omninò *difficile* recte honestoque cuivis Consiliario, reperire & modum

dum & tempus, quo ipsis insinuetur aut detegatur veritas. &c.

Rationes ab his locis datæ, & naturales & solidæ sunt, & non difficulter inveniuntur. Sed notio horum exactè juvenibus danda est. Itaque.

47. *Quid est Honestum?*

Quod in semet consideratum, tale est; id est, in semet bonum, in semet pulchrum & decens, in semet licitum, per se laude dignum, rectaque rationi cohæret.

Ut: quælibet virtus, quodlibet bonum opus, est in semet honestum. Contra verò:

48. *Quid est inhonestum?*

Quod in se consideratum, malum, turpe, & indecorum est.

Ut: quodvis peccatum, quævis mala actio, in semet inhonesta turpisque est.

49. *Quid est justum?*

Quod legibus Divinis, naturæ, humanisque est undequaque consentaneum.

Ut: Patriam & Cives defendere: inopibus opitulari: Principem revereri: pro beneficio gratum animum exhibere, &c. id naturæ, id Divinis, id humanis legibus conforme est, proinde & justum.

Discrimen erit inter honestum & justum: quod illud in se rem examinet, istud respectu vel æternæ vel humanæ legis rem considerat.

50. *Quid est injustum?*

Quod naturæ, Divinis, humanisque legibus contrarium est.

Ut: seditiones excitare, famæ alienæ detrahere, rapere aliena, & innumerabilia alia.

51. *Quid est utile?*

Quod fructus & commoda affert.

Ut: tributum scisendum est, quia utilitates Reipublicæ affert: hinc enim copiæ militares sustentabuntur, hinc arces reparabuntur, hinc legationes, hinc præmia. &c.

52. *Quid est noxium?*

Quod damna affert.

Ut: Venales Judices perquam noxii sunt: nam fortunas innocentibus eripiunt, Familias ad incitas redigunt, DEI, in Regnum, iram vindictamque provocant.

53. *Quid est necessarium?*

Quod omnino fieri debet, nec non esse non potest, sine detrimento vel periculo.

Ut: concordia Civium necessaria est, sine qua nihil rectè consuli, statuique potest.

54. *Quid est non necessarium?*

Sine quo res esse potest, quod superfluum, & inutile est.

Ut: Viro nimia cura vultus formæque non convenit: absque forma enim & fæmineæ pulchritudinis illecebris, viri gratia stare potest: cura hæc viro nimia & superflua est.

55. *Quid est jucundum ?*

Quod oblectamentum & voluptatem affert.

Ut: viæ publicæ, lapide sternendæ, mundandæque sunt; cætera inter dici potest: quod id magnam itinerantibus voluptatem afferat, oculos oblectet, Civitatem ornet. &c.

56. *Quid est injucundum ?*

Quod tristitiam ærumnamque affert.

Ut: ambitio nimia hominem semper inquietum reddit, perturbat, affligit, ut nec ulla re, neque se ipso sit unquam contentus.

57. *Quid est certum seu manifestum ?*

De quo nemo dubitat, quod omnibus notum est, quod negari non potest.

Ut: inter Gentes, præcipuè vicinas, bonam societatem colendam esse, manifestum est enim, nullam Gentem esse, quæ alterius ope commercioque non egeat, evidens cuivis est, præsertim vicinas inter Nationes, mille negotia rationesque mutuas intercedere.

58. *Quid est incertum?*

De quo non benè constat, de quo dubitari potest.

Ut: fidem his nunciis dandam non esse: quia res sunt incertæ, obscuræ, confusæ, omnino dubiæ.

59. *Quid est facile ?*

Quod nullo vel parvo negotio, mediocri contentione, sine magno labore, sine periculo, celeriter vel paulatim fieri potest, in quo nihil impossibile est, *seu melius latinè dicendo, quod fieri potest.*

Ut: lectus Vistulæ definiendus est. Videtur hoc difficile, sed Orator qui id suaderet, facilitatem hujus operis ostendere conaretur: pecuniæ imprimis, è Provinciis, quibus id esset commodum colligendæ, multitudinis operarum facilè in tanta pauperum copia reperiendarum, silvarum tot Vistulæ vicinarum, lapidum devehendorum. &c.

60. *Quid est difficile ?*

Quod vel fieri nequit, vel cum gravissimis laboribus, impendiis, periculisque fieret.

Ut: si quis bello offendendum vicinum Principem dissuaderet, difficultates & pericula certa belli exponeret.

Hi jam quatuordeni Loci, quos mox definivimus, sub se plurima continent, quæ Adolescentibus, benè explicari debent.

Ad *honestum* nempe, reducentur ista. *Bonum*, Nam quod bonum est in se, simul est honestum. *Licitum*, nam quod honestum est, semper facere licet, & quod facere licet, semper est honestum. *Decorum*, nam quod honestum est, etiam decet. *Laudabile, commendabile, honorificum, gloriosum, memorabile, celebrandum*; quod enim honestum in se est, laudem

dem, commendationem, honorem, famam, gloriam, *&c.* meretur. Item: *pulchrum, spectabile, elegans, dignum, dignitate plenum, honorificum, liberale, ingenuum, amplum, amplissimum, magnum, illustre, admirabile, rectum, verum, verissimum, conscientiæ consonum, virtute plenum, magnanimum, forte, heroicum, Divinum, humanum, Civile, urbanum, temperatum, moderatum, clemens, augustum, Regium, majestate plenum, grave, sapiens, prudens, liberrimum, innocens,* et multa similia. Hæc enim omnia vel insunt honesto, vel honestum sequuntur. Cum ergo ab *honesto* das rationem, æquè *à pulchro, decoro, glorioso. &c:* eandem extendere poteris, majoremque *honesto* lucem addere.

Itaque si proponas: *victis salutem & libertatem dandam esse.* Non tantum dices: *est enim id honestum,* verum etiam, ad majorem *honesti* explicationem addere potes, *est enim id pulchrum, dignitate plenum, magnum, illustre, admirabile, amplissimum, &c. quid gloriosius, quid memoria, & laude hominum dignius, quàm parcere victis, eosdemque suæ clementiæ præcones efficere?* Ex his diversis *sub honesto* epitethis & notionibus, nunc ista, nunc alia, quæ magis rei, de qua agitur, inserviat, seligenda sunt. Idem intelligendum de locis sequentibus.

Ad *inhonestum* reducentur contraria: *malum, illicitum;* quod enim inhonestum est, semper est & malum & illicitum; uti simul est & *inglorium, infame, ignominiosum, non laudabile, indignum, indecorum, non honorificum, oblivio-*

oblivione dignum, pudendum, vitiosum, flagitiosum, sceleratum, criminis plenum, rationi contrarium, honestati repugnans, parvum, pusilli animi, exile, turpe, brutum, feris propius, belluis similius, inhumanum, inurbanum, minimè civile, sævum, crudele, tryannicum, stultum, insipiens, amens, insanum, imprudens, ridiculum, vile, puerile, vulgare, servile, leve, temerarium, frivolum, execrandum, detestandum, contemnẽdum, damnandum, &c. &c.

Vg: Propositio fit: *Principibus exteris, Patriæ rationes non esse prodendas;* est enim id infame, flagitiosum, criminis plenum, turpe, execrandum *&c.*

Ad *justum* reducentur hæc, *æquum, æquitatis plenum, legitimum, pium, religiosum, sanctum, sacrosanctum, suum cuique tribuens, legibus Divinis, humanisque statutum, jussum, nixum, munitum, confirmatum, semper observatum, benè & rectè consultum, naturæ conforme, consuetudine firmatum, juri omni consonum, congruum, gentium omnium sententia & opinione probatum,* & hujusmodi *&c.*

Ut: sit Propositio: *fœdus initum cum Principe N. servandum esse:* fidem enim fœderis servare, æquum, religiosum, sanctumque est; fœdera inviolatè colenda esse, id omnium gentium, sententia, opinione, & consensu ratum est, *&c.*

Ad *injustum* reducentur contraria, ut: *injurium, illegitimum, impium, irreligiosum, sacrilegum, juri omni contrarium, derogans justitiæ, æquitati oppositum, antiquatum, obsoletum,* &c.

Vg:

Vg: Mercatores nimiis vectigalibus non esse opprimendos; est enim id justitiæ, & æquitati vehementer oppositum, injurium, illegitimum *&c.*

Ad *utile* reducentur hæc: *meriti plenum, fructuosum, salubre, salutiferum, percommodum, opportunum, tutum, securum, constans, immutabile, diuturnum, perpetuum, immortale, æternum, plurimorum bonorum & emolumentorum, fons uberrimus, privati & publici boni causa*, &c.

Vg: sine *consilio nihil aggredi oportet.* Salubre enim ac percommodum semper est consilium, mentem illuminat, impedimenta tollit, pericula prævidet, temeritatem amovet. *&c.*

Ad *noxium* hæc reducentur: *damnosum, nullius meriti, nullius frugi, vanum, inconstans, fluxum, breve, caducum, mutabile, inane, infructuosum, invidiosum, perniciosum, funestum, ferale, periculosum, grave, intolerabile, quod boni nihil, mali plurimum afferat*, &c.

Vg: De adversis conqueri non oportet. Quid enim inutilius, quid minus fructuosum, quid magis damnosum? quid vanius? questubus enim ne dum non minuitur, sed etiam magis augetur calamitas, exasperatur animus, dolor crescit *&c.*

In *necessarii* notione, hæc quoque continebuntur: *quod nec declinari, nec mutari potest, quod aliter fieri nequaquam potest, quod præteriri, omitti, deseri, sine damno & jactura non potest, quod nullo modo negligendum sit, ineluctabile,*

ctabile, insuperabile, fatale, inevitabile, omnino faciendum, sequendum, exequendum, statuendum: proculdubio ita non aliter futurum, certoque secuturum. &c.

Vg: Parsimonia & modus in ratione vivendi servandus est. Ratio: nam hoc est inevitabile: paupertatem & inopiam experiri deinde eum, qui modum non servet; id necessario sequi: quod nulla bona, fortunæ nullæ, prodigis, & imprudentibus hæredibus, satis sint futuræ; dubitari non potest, Regios quoque fundos & gazas, immoderatis exhauriri expensis. *&c.*

Contra: *non necessarium*, his poterit explicari: *quod sine eo res esse possit, quod superfluum sit, quod minimũ, quod nihil juvet, quod ad rem non conducat, quod sine damno periculoque omni negligi, præteriri omittique possit.*

Vg: Adolescentes in immatura ætate, ad exteras nationes mittendos non esse? Quæ enim necessitas? quæ utilitas, quis fructus? an ut puerilia discant, quæ minore impensa commodè domi edisceré possint? superfluæ inutilesque hæ expensæ, incommoda, pericula. &c.

Jucundo, proxima sunt: *gratum, delectabile, optabile, amabile, aptum, lætum, amœnum suave, dulce, voluptate plenum, quod animum recreat, reficit, solatur, erigit, ornat, confirmat, quod vitam tranquillam beatamque reddit &c.*

Vg: Animo prompto, ad benefaciendum quam plurimis nos esse opportet. Nescio enim quid dulcius, jucundiusque esse, quid majorem afferre menti voluptatem possit, quam conscium

um ſibi eſſe, ſe multos reddidſſe felices, quam plurimorum gratiis celebrari & laudibus?

Injucundo, conſimilia: *ingratum, inſuave, amarum, acerbum, triſte, odioſum, importunum, ineptum, crudele, terribile, horribile, abominabile, deteſtabile, quod quietem pacemque animi perdit* &c.

Vg: Ab iracundia animum cohibendum eſſe, Quid enim acerbius? quid triſtius? quid magis odioſum in ſocietate humana, homine ad furores & maledicta prono? gravem, ingratum, acerbumque & ſibi & aliis, hominem animi impotentis eſſe oportet. *&c.*

Ad *facile* reducentur: *poſſibile*, [vox non bene latina.] *ſeu quod fieri facilè poteſt, res clara & aperta, cuivis obvia, intellectu factuque facilis; uſitatum, frequens, obvium, tot exemplis probatum, conſuetum, liberum, voluntarium, veriſimile, probabile, nihil ſupra vires, quod facile confici poteſt, &c.*

Vg: DEO Optimo Max: mane ſaltem & veſpere, ſemper cultus religioſus reddendus, precesque fundendæ. " Quid enim facilius? "quid hic eſt, quod fieri non poſſit? unam ſci-"licet horæ particulam DEO conſecrare, cum "totum diei vitæque tempus negotiis & com-" modis vaces tuis? quid hic ſupra vires? bis " in diem brevi religionis actu, Deum aucto-" rem Noſtri, Patrem, Principem, Judicem, prin-" cipium, ultimumque finem noſtri omnium, " colere?

Manifeſto, proxima ſunt: *certiſſimum, evidentiſſimum, nulli dubio obnoxium, nulli ignotum, cunctis notum, id ab omnibus ſciri, rem univerſis conſtare &c.*

Vg: Circumſpectè in Aula verſandum eſſe: Ratio *à manifeſto*: " Quid enim tam manife-" ſtum eſt? quid notius? quid tam omnibus con-" ſtat? quam in Aula, cum fidem nullam, tum " amicitiam veram eſſe nullam? quid evidenti-" us eſt? quis id ignorat: in Aula privatas ſuas " cuivis penitus rationes, compendia, & com-" moda, ſuos honores, opes, potentiamque cor-" di eſſe, non amicorum bonum? quem latet, " res Aulicas ſimulatione, externæ aſſabilitatis " imagine, verbis ad imponendum effictis, ob-" ſequiorum prompta & liberali oſtentatione, " promiſſis & fraudibus ſtare? quis eſt tam pe-" regrinus, etiamſi vel uno die, auram Regiæ hau-" ſerit, qui hæc neſciat? cui hæc ignota ſint?

Contra: *incertum* ita explicari poteſt: *anceps, dubium, parum ſperandum, quod potius non ſit ſecuturum quam ſecuturum; dubio locum eſſe, nihil hac in re certi eſſe.* &c.

Vg: Rem hanc vel illam aggrediendam non eſſe. " Certum enim eſt, maximis eam la-" boribus, conatibus, & impendiis in ligere; in-" certum vero omnino eſt, ob ingentia impedi-" menta, & difficultates eam poſſe effici; in-" certiſſima ſunt, quæ ſperantur emolumen-" ta. &c.

Hic jam notandum: quod quamvis forte aliquando nonnulla ex ſuperius recenſitis inter ſe conveniant, aut nonnunquam commiſceantur, ut: neceſſarium, cum utili vel facili, noxium, cũ difficili vel incerto, juſtum, cum honeſto,

vel contra, *&c.* aut si cum supradictis topicis conveniant locis, id nihil obesse; dummodo hæc, quæ allata sunt, & his multa similia, rationes & cogitationes suppeditent, mentem excitent, & ad aliquid in ea inveniendum, pro re comprobanda juvent.

Notandum item: quod quamvis fere hic omnia in neutro sint posita genere, licet tamen non eodem solum modo, sed & quomodocunque velis, neutra hæc in nomina & verba mutare, varietatem adhibere, dummodo res bene exprimatur. *Vg*: Possum dicere: *quam acerbum est*, vel, *qua tristitia animum cruciari oportet?* Potes dicere: *pulchrum est*, vel, *pulchritudo rei hujus mentem incredibiliter oblectat.* Potes dicere: *fructuosum est*, vel, *quos hæc res fructus & emolumenta non afferret?* &c. &c.

Jam à quocunque ex his rationem sumpseris, nisi brevitas aliud exigat, uno in verbo sistendum non est, sed tota connitendum mente est, ut si *à justo* causam ducas, quam optimè *reijustitiam* explices; si *a facili*: quam maximè *facilitatem*; si *a necessario*; quam solidissimè *necessitatem*; si *a jucundo*; quam uberrimè *jucunditatem*; si ab *honestò, glorioso*: quam optimè *honestatem, gloriam &c.* ostendas, & prout par est exageres.

Vg. Curemus conservare, ac salvare ab imminenti clade Patriam. Ratio: quia id *gloriosum est.* " Dices: hoc Sanctum, hoc augustum, " hoc gloriosum est. Quid enim huic gloriæ " comparabile est: conservatæ salvatæque Pa- " triæ, & testimonium à gratis habere Civibus, &

" & memoriam transmittere posteris? eoque " nomine Brutos inter, Collatinos, Camillos, " Tulliosque censeri? Nec enim minor con- " servatoribus, periclitantium Rerumpublica- " rum ac Civitatum, quam eorum Fundatori- " bus & Auctoribus, nominis debetur celebri- " tas. Jisdem monimentis, eadem laude, titu- " lis, religione, apud omnes populos conse- " crari utrique merentur. Hac, facti nostri " perpetua recordatione, excitari nos incendi- " que oportet. *&c.* Vide in hoc exemplo, quomodo ducta *à gloria* ratio explicata est.

Vitia, crimina, rapinas, in militari vitæ genere vitandas esse. Ratio *ab inhonesto.* " Illa- " ne enim honestissima in semet, imo etiam glo- " riæ plena defendendæ Patriæ, Civiumque " tuendorum professio, in tam inhonestam, tur- " pem, infamem, & execrandam degeneret? " quid ignominiosius? quid vilius? quid dete- " stabilius? oppressore, adultero, ganeone, " fure, aleatore, raptore, & latrocinante milite? " illine non cum arcibus, sed cum arcis, pocu- " lis, puellis, gallis, gallinaceis bellandum est? " quod dedecus, quæ contumelia, quæ macula " militari sacramento, ab his sceleratis prædoni- " bus potius, quam militibus inuritur? Castra " ergo erunt flagitiorum arena, propugnacula " scelerum? *&c.*

Mediocritatem in modo vitæ servandam esse. Ratio ab *utili*, & contra *à noxio.* " Quid " enim mediocritate utilius? quid majori po- " test esse emolumento? Nec enim ulla indu- " stria, nec labor, nec fortuna ipsa, tantum no- " bis

" bis boni præstare, tantum rem nostram auge-
" re poterunt, quam cauta prudensque ratio,
" fruendi ijs, quæ jam possidere nobis licet, bo-
" nis. Opulentus divesque est, cui, quod habet,
" sufficit; illi quoque omne compendium suffi-
" cit, qui non plus, in vitæ commoda, quam
" quod habet, impendit. Et hoc est maximus
" mediocritatis fructus. Contra verò, quid ma-
" gis noxium quid majora nobis detrimenta,
" imo & ruinam, paupertatem ac inopiam af-
" ferre possit, quam immoderata rei familiaris,
" in vestes, mensas ædes, clientelas, stabula,
" canes, ludos, musicos. & id genus, prodigen-
" tia? cui nulla vel patrimonii amplitudo, vel
" Principis in nos liberalitas satis sit, quæ, ut
" plurimis abundemus, pluribus adhuc nos
" semper egere facit, quæ tanquam flamma o-
" pes nostras depascitur? &c.

Ne Mercatores potentiorum nomine & præsidio protegantur, Thesaurumque Regni faltant, lege severa cavendum. Ratio: à *noxio*, ab *inhonesto*, a *facili*, a *legitimo:* Dices. " Quam
" id damnosum est Ærario Reipubl: dum priva-
" ti suo sub nomine, diversorum generum mer-
" ces, extra Regnum duci vendique, Privilegio
" suo in fraudem Patriæ abusi, permittunt! qua
" perfidia, à tot boum millibus, à millenis vini,
" aliorumque liquorum dolijs, à tam multis fil-
" varum fructibus, à plurimis id genus merci-
" moniis, Rempubl: debitis vectigalibus & por-
" toriis frustrant? Quantum id detrimenti?
" quam gravem tot millium aureorum, quotan-
" nis jacturam, publicis reditibus affert? qua
" inju-

" injuria ob exiguum eorum lucrum Respubli-
" ca universa afficitur? Quid jam minus deco-
" rum?, minus honestum, imo quid turpius?
" quam tali ratione depeculari ac fraudare rati-
" ones Reipubl: quæstum hunc ignonimiæ, lvi-
" litatis, & mendaciorum, plenum de Republ:
" exercere, aut, ut simplicius veriusque dicamus,
" furari? Quid jam magis aut infame, aut im-
" pium, sacrilegumque est, quam contempta
" omni ob vile lucellum religione, coram publi-
" canis vectigalium, ac portoriorum custodibus,
" etiam pejerare, ac scelestissimorum perjurio-
" rum causam, tam frequentem præbere? Adeo-
" ne auri sacra fames, excœcare homines po-
" test, nihil ut illis sacrum, sanctumque sit, ut
" Divinum Nomen, tam irreligiosè fædè que
" prostituere minime vereantur, quocunque
" prætextu, sordidam eorum avaritiam obducere
" satagant? Hæccine furta & perjuria, honesto
" viro, ne dum Nobili, Patricio, Jllustribus orto
" natalibus, opulento, probo, & imprimis Chri-
" stiano conveniant? Quid jam facilius, quam
" his & DEI & Patriæ injuriis, efficacem pone-
" re obicem, tam veteribus renovatis, quam no-
" va lege lata, quæ severè tantam perfidiam
" abusumque prohibeat, & ut sive Supremus
" Regni Quæstor, sive quicunque Civis, reum
" aliquem publicæ hujus prævari cationis in foro
" Thesauri Regni convinceret, in delatoris e-
" molumentum merces fraudatoris cedant, i-
" demque perpetua ignominiæ afficiatur nota?
" Haud difficulter, nulloque negotio Cives o-
" mnes honesti & probi, qui turpibus his non in-
" hiant

" hiant lucris, legem hujusmodi concordi-
" perferent. &c.

Quamvis vero hi mox dicti fontes, ad genus *deliberativum* nati esse videntur, & in *exornativo* tamen idem eorum usus esse potest.

Vg. Salutando Regem, Præsulem, Ministrum, Senatorem, &c. Ut lætitiam communem probes, rationes invenire poteris: præsentiam ejus esse *perjucundam*, esse *perutilem*. Quare *perjucundam*? Hìc: de dignitate, virtutibus, sapientia, meritis, honoribus, ornamentis, ejus quem salutes hospitis, locus erit. Quid enim jucundius, quid magis oblectet animos, quam hunc salutare, hunc spectare oculis, quem ista commendent, in quem ista amorem, existimationem, admirationemque omnium excitent? Quare *perutilem*? Hìc: juxta conditionem, quam salutas, Personæ, expoentur: quæ commoda ac utilitates, ejus adventus, Ecclesiæ, Provinciæ, Civitati, loco, &c. afferat.

Gratias agendo pro collato tibi beneficio, Rationem duces a *justo*. Nihil nimirum justitiæ ac æquitati omni magis esse consentaneum, quam pro munere, gratum præstare ac contestari animum: ubi magnitudinem beneficii, tenuitatem tuorum meritorum ac virium, gratiam ac liberalitatē Principis, eo fine uberiùs explicares, ut pateat quam justum fasque sit, te illi referre gratias, obstrictum te ejus beneficio vivere. *&c.*

Honorem alicui gratulareris? a *necessario* ostenderes: quam munus hoc, locus hic, Provincia hæc &c. tali, tam justo, prudente, magnanimo, sapiente, illustri, *&c.* Magistratu omninò egnerit; quam necessarium sit ab eo multa corrigi, ad orbitam reduci, Rempubl: constitui, bonas leges conservari, bene & laudabiliter, ab his, qui antecesserunt, cepta continuari, & ad executionem deduci *&c.*

Sed jam & exemplorum, & doctrinæ de his locis satis, ad dandam Adolescentibus notitiam, tam excellentium naturæque conformium fontium, è quibus imprimis nosmetipsi, vel leviter cogitantes, omnia ducimus, omnia probare solemus; ad quos fontes, natura nos ipsa quodammodo dirigit, ex quibus deductis argumentis, nihil ad suadendum dissuadendum, laudandumque, aut opportunius, aut efficacius est.

61. *Suntne alia præter dictos locos, è quibus præcipuè laus Personarum duci possit?*

Sunt quam plurima; ut: claritudo natalium, dotes corporis & animi, virtutes præsertim, tum res gestæ, merita, honores, &c.

SUnt inquam quam plurima, quorum si duntaxat commemorentur capita, seu nomina, mox è vocibus ipsis cogitationes quædam, in laudem personæ in mente excitantur.

Sed ne longis immoremur præceptis, ex hac exigua quæ sequitur, Viri alicujus illustris ac virtute spectati imagine, haud difficulter conijcient Adolescentes, qui sunt isti laudum fontes, quamque multiplices ex ijs cogita-

cogitationes quodammodo nascantur & evolvantur.

Ab illustribus natalibus cogitationes in laudem. " Vir summo loco, pervetusta clarissimaque Familia natus; ijs ortus Majoribus, quibus pace & bello plurimum Respub: debet. Quamquâ vel Patris ipsius, optimi, sanctissimi, fortissimique Senatoris satis ornaretur dignitate, si tot avitis, priscisque illi fuisset carendum decoribus, Nam à pari gentis maternæ nobilitate, præter ea ab eximia pietate Matris, majorem illi adscisere lucem, superfluum est. Generis tamen ejus claritudo, propriis illius ornamentis ne comparanda quidem est. *&c.*

Ab educatione & Religione " Parentum susceptæ in eo educando curæ, [quæ nunquam nimia est, hic fuit maxima,] ita bene respondit, spem ut illorum superârit: Religione cum primis solida, ne dum imbutus, sed & exercitus, eique ita à teneris assuetus, toto ut reliquæ decursu vitæ, & principiis, monitis, regulisque ijsdem institerit, & quotidie Deum, stato semel ritu, palam coluerit, & omni superstitione remota, de rebus Divinis optimè semper cum sentire, tum mereri studuerit, & defendendis contra impios sacris nunquam omnino defuerit. *&c.*

Ab ingenio, " Jngenio claro, acri, acuto, memoria præ plurimis felici. Bonis artibus delectis, ijsque perutilibus, Philosophiæ ac Mathematicis disciplinis, cognitioni Divinarum rerum, Historiæ omnis generis, Juris-

" pru-

" prudentiæ, OEconomiæ, Jurium & Legum Patriarum, ac Politices gravissimis studijs, ita annis compluribus vacavit, ut de singulis ne dum solidè disputare, sed & istahæc docere potuerit. Eloquentia imprimis, Sapientiæ conjuncta, adeo excelluit, nulla ut ætas Reipublicæ præstantiorem illo Oratorem protulerit. Orationis illius vi ac flumini nihil restitit. Lectioni ita deditus, hanc solam ut voluptatem, & veram & suam esse senserit. Libros veteri nostraque ætate optimos, ita omnes legit, ut difficulter novi quid & boni, quod eum latuerit, reperisses. Lucubratus & ipse multa est de moribus & Republ. *&c.*

A peregrinatione ad exteros. " Nationes exteras maturus jam natu, solo sapientiæ desiderio perlustravit: Summorum hominum, in Aulis Principum, in Academiis, in re Forensi, in re militari, in diversarum artium professionibus, consuetudine ubique usus. Plus his Magistris profecit, quam si potissimam vitæ partem solitariæ contemplationi dedisset. Ad Patriam, quam mirificæ excoluit, ad Latinam, Græcam & Gallicam, quas secum domo tulerat, Italicam, Germanicam, Anglicamque linguas peregrè addidit: omnibus ceu totidem clavibus, ad recondita quævis scientiarum penetranda, usus. Quod jam adeo rarum: virtutes hominum quos vidit, solerter imitatus, in se diligenter traduxit, vitia gentium, locorum, & hominum, ipsis reliquit. Rediit, quod admodum pauci, doctior, & melior. *&c.*

A vir-

A virtutibus. " Aut qua fortè virtute ca-
" ruerit, aut quæ magis in eo eluxerit, perin-
" de difficilè dictu est: Omnis in eo virtus sin-
" gularis, præcipua, cæteris potior. *&c.*

A pietate " Pietate insignis, cum maxi-
" mis quos deinceps gessit Magistratibus & mu-
" neribo semper conjunctâ, ostendit eos, qui Prin-
" cipum gratia, opibus, authoritate & poten-
" tia florent, non omnino [quod quidam volunt]
" esse oportere irreligiosos & impios. *&c.*

A vera sapientia. " Sapientia præstitit:
" non ea cujus vis in disputando de omni re ma-
" le collocatur, sed quæ ad beate vivendum, ad
" Rempubl: rectè administrandam, omnia sua
" præcepta dirigit. Quæ cum omnia sciat, hoc
" unum nescit, se scire. Quæ tum ad summum
" pervenisse fastigium censenda est, cum nos,
" postquam plurima didicimus, in maxima re-
" rum omnium ignoratione ac dubitatione ver-
" sari sincerè intimèque fatemur. *&c.*

A Prudentia. „ Prudentiam in eo; con-
„ tinua ad res humanas, ad præterita & præ-
„ sentia mentis conversio, eorum diligens compa-
„ ratio, experientia deinde, in omni negotio-
„ rum genere longâ ætate comparata, tantam
„ effecêre; oraculi ut loco ejus responsa aut
„ haberentur, aut haberi oportuerit. Repen-
„ tinum illi subitumque fere nihil accidit, aut
„ certe in imparatum non incidit. *&c.*

A Consilio. „ Quodcunque sive publicè,
„ sive privatim consilium dedit, aut accepti fe-
„ lix successus, aut neglecti pænitentia sequu-
„ ta, illud semper probavit. *&c.*

A ju-

A Justitia. „ Justitia illius aliquid instar
„ legis æternæ præsetulit. Ab ea latum unguē,
„ orbis universi vi, ut sol à suo cursu, dimoveri
„ non potuisset. Vitam, aut si quid illa carius
„ perdere, quam injuria quenquam afficere, ma-
„ luisset. Regulam agendi, decernendi, senten-
„ tiæque dicendæ aliam nesciit, nisi fas & æ-
„ quum. Virtutem sine præmio, flagitium sine
„ pæna, quo ad licuit, nunquam sivit. *&c.*

A fortittudine animi. „ Nullo fati, nullo
„ si qua est, fortunæ impetu, robur ac firmitudo
„ ejus animi concuti unquam visa est. Pericula
„ non provocare sed contemnere solitus. Et, si
„ fortasse prospera, majorem in magnos animos
„ quam adversa vim habent, eum certe quem-
„ admodum res adversæ deprimere, ita secun-
„ dæ animos illi extollere, nunquam potue-
„ runt. *&c.*

A Constantia, Ea fuit in rebus benè ceptis,
„ bene consultis gerendis ac prosequendis, & ad
„ exitum deducendis constantia, observatus ut
„ fuerit in difficillimis indurescere, arduis ex-
„ citari & erigi. Deliberare diu solitus, sed ubi
„ rem meditatè aggressus est, nullus obex, nul-
„ la vicissitudo, nihil provisum, improvisumque
„ nihil illi obstitit. Si quid non effectum, con-
„ stitit: effici non potuisse, *&c.*

Ab æquabilitate mentis. „ Mira mentis
„ ejus, quam nihil perturbare, posse videbatur,
„ æquabilitas. Idem semper, sui semper similis.
„ Læta medius inter & tristia, neutris unquam
„ se totum dedit: ærumnas & angustias animi
„ ita clausit, foris ut in nulla hominum socie-
„ tate,

„ tate erumpere visæ sint, ne domesticis qui-
„ dem notæ. Nihil asperius nec voce, nec fron-
„ te, in eo ullibi observatum, ne in doloribus
„ quidem, nec in acutiore vi morbi. &c.

A Comitate. „ Jucunditas, comitas, affa-
„ bilitas, morumque urbanitas, pulcherrimæ
„ quædam divinæque animi ejus notæ fuerunt.
„ Talis autem ne dum constanter æqualibus,
„ sed & infimis semper patuit. Jra ejus in cri-
„ men non in Personas unquam, efferbuit. &c.

A Clementia & severitate. „ Suavitas hæc
„ severitati justæ nihil obfuit. Clementia quam
„ diutissimè potuit semper usus, & facili in reos
„ venia; qua etiam excedere, potius quam pœ-
„ næ aut promptitudine aut gravitate, maluit.
„ Corrigendo iniquos patrem semper se gessit.
„ Obstinationem solam puniendam sibi esse du-
„ xit, castigando emendare non perdere voluit.
„ Sceleribus ipsis, quæ facili contagione ad a-
„ lios permeant; implacabilis. Hæc impunita
„ noluit, ita tamen: ut in eo semper pateret
„ voluntas, crimen, non personam puni-
„ endi. &c.

A liberalitate. „ Nullam rem æquè, quam
„ benefacere ut cunctis posset, magis unquam
„ optare visus; & in largiendo tantum oblecta-
„ menti sensit, quasi ille acciperet, ille ditesce-
„ ret. Scivit tamen rectè beneficia collocare
„ non proijcere, prudentissimo eorum quibus
„ benefaceret, delectu adhibito. Imprimis re-
„ ligione duce, ejusque præceptis & promissis
„ permoventibus, veros pauperes, texit, fovit,
„ aluit; nec ullum unquam frustra manum ten-
„ dere

„ dere passus est. Deinde in amicis, clienti-
„ bus, servis; virtus, honestas, fides, ingenium,
„ diligentia, munificentiam ejus excitare con-
„ sueverant. Hominibus nullius frugi, quique
„ ut habeant quod perdant, emungunt, durus
„ adeo, ut videretur illis solis avarus. In lu-
„ dendo tanta parsimonia, ut inopem diceres.
„ Insanum esse dicebat ultro quærere, ut lusu
„ patrimonia decoquas, ut proventibus bo-
„ norum ad utilissima quæque suffecturis mar-
„ supia aleatorum, impleas. Nullum fere bene-
„ ficium illius fortuitum, casu nullum, prodi-
„ gentia, levitate, vanitate nullum; ratione &
„ consilio omnia. In opulentos, ne mercari, vi-
„ cemque præstolari videretur, omnino parcissi-
„ mus. Nec suo commodo, nec gratiarum offi-
„ ciis, aut grati animi expectatione, ne fama
„ quidem aut gloria, sed sola utilitate ejus,
„ cui benefaceret, ad bene de cunctis meren-
„ dum provocabatur. &c.

A miseratione „ Ea ratione agendi cum
„ famulis, ea miseratione in miseros, eo super
„ calamitosis animi sensu, ut videatur Patris,
„ fratrisque loco ærumnosis esse. Famulos &
„ servos, ut humiles amicos; opifices, artifices-
„ que, ut suorum commodorum administros;
„ agricolas, ut sui nutritios altoresque semper
„ intuitus. Omnes experti in eo sunt semper
„ Parentis non Domini partes & animum. In re-
„ munerandis famulis, iis ne dum justus, sed &
„ liberaliter munificus. Nunquam illi tantum de
„ Domini, quantum Dominus de promovendis
„ eorum rationibus solicitudinis præsetulit. Be-
„ ne

„ ne enim illi compertum fuit; amore mellùs
„ firmiusque, quam metu subijci regique ho-
„ mines. &c.

A Magnificentia & oeconomia. Magnifi-
„ centia & decoro in modo vivendi, eoque
„ splendore fuit, qui natalibus, & gestis in Re-
„ publica honoribus undique competeret; qui
„ authoritatem ut par est sulciret, spectabilem-
„ que redderet, qui multitudini inopum, artifi-
„ cum, operarum, mercatorumque fructum fa-
„ ceret; qui tamen rei familiaris proventuum-
„ que nunquam modũ excederet, nec se æri a-
„ lieno obnoxium faceret; sed ut factis quibus-
„ cunque impensis, providè adhuc abundèque
„ ad impendendum suppeteret. In exsolvendis
„ debitis ultra conditionem præscripti termini,
„ diem solidum elabi, passus nunquam in vita
„ est. In Ædibus, apparatu domestico, mensis,
„ comitatu, clientelis, stabulis, & id genus: o-
„ mnia quantum satis, omnia elegantia, mun-
„ da, nitida, ordinata, usui tamen inservientia, su-
„ perfluum, & nimium nihil. In opera publica,
„ in proficua Reipubl: instituta, consuetudine
„ quadam & indole, munificentissimus: multa
„ horum ex suis reditibus, immensis fere sum-
„ ptibus aggressus est, & perfecit: vix vero ab
„ aliis tale aliquid fieri pertulit, ubi insignis
„ liberalitas ejus, partem non haberet. &c.

Ab Amicitia. „Amicus fuit ijs duntaxat,
„ in quibus ob virtutem inest causa, cur diligan-
„ tur. Diu contemplatus est, quem vellet, a-
„ micum. Malo nemini, se passus est Comitem,
„ gnarus vitia serpere, in proximum quemcun-
„ que

„ que transilire, & contacta nocere. Ea since-
„ ritate & fide in amicitia, ea religione secreti,
„ ut amici, illi plus passim, quam sibi ipsis cre-
„ derent & considerent. Vita ejus tota nulla
„ fere alia re, quam obsequiis, & negotiis ami-
„ corum occupari, dies eorum utilitatibus divi-
„ di, bona sua fortunæque, non minus suo quam
„ eorum commodo patere videbantur. Non est
„ præstolatus ut peterent, carò enim nimis con-
„ stare, quod precibus emeretur, putabat. Be-
„ neficere solitus & ultrò & gratis. Exigere
„ vicem, obsequia, & officia ab amicis, turpe esse
„ credidit, beneficia enim non esse quæstum,
„ nec res in usum fructum locatas, dicebat. Vi-
„ tiis amicorum, etiam quibusdam injuriis, ira-
„ sci nunquam visus est, animum enim in ijs vo-
„ luntatemque spectabat, non quædam for-
„ tuita, &c.

A veri amore. Epaminondæ laudem, ejus esse diceres: ne semel quidem in vita mentitum esse. Veri etiam cum discrimine fortunæ, & capitis cultor. Vox ejus, fati & oraculi vox fuit. Quidquid injuratus asseruit, momentum jurisjurandi apud omnes habuit. Jam vero: ex officio, præstiti ab eo juramenti religio, nulli hominum sanctior. &c.

Ab ordine vitæ. „ Ordo ejus vitæ, diei,
„ temporisque mirabilis, ut è regula & præce-
„ pto, agere omnia visus fuerit. Quævis ejus
„ actio, horis suis & fere momentis affecta vi-
„ debatur. Nec ipsi casus & fortuita, casu &
„ fortuito illi accidere quodammodo potue-
„ runt. Sed quomodocunque tandem dies illi
„ quosdam necessitas, vel sors permiscere ausa est;
„ DEO, officio, amicis, rei familiari, & libris,

„ pars illi sua diurni nocturnivè temporis, nun-
„ quam defuit. &c.

A fide in Principem. „ Fide & amo-
„ re in Principem nulli secundus. Ingeni-
„ um, virtus, fortuna, & vita ejus, fuêre bo-
„ na Principis. Salus & gloria Principis e-
„ jus fuit bonum. Putasses, de nulla re eum co-
„ gitasse, præterquam de obsequio in Princi-
„ pem. Id vero, quod summum in tali bene-
„ volentia est, vel cum gratiæ periculo, verita-
„ tem Regi nunquam cælavit. Non suam enim
„ in Rege fortunam, sed Regem amavit. &c.

Ab amore Patriæ, „ Idem animus illi in
„ Patriam; quam etiam prætulisset Principi, si
„ persuasum illi omnino non esset, male Prin-
„ cipem à Republ: separari: nihil hæc inter di-
„ stare, aut Principis aut Patriæ esse: officium
„ utrique, ut capitis corporisque saluti, deberi
„ unum: amorem boni Civis esse eundem in di-
„ ligendo Principe, & in amanda Patria. Pro-
„ inde Regis mandata, Senatus auctoritas, E-
„ questris Ordinis & jura, & dignitas, & li-
„ bertas, ita simul cordi illi fuerunt, singulis
„ ut totus vivere, vacare totus videretur. Opes,
„ potentia, artes pacis & belli, gloria Reipubl:,
„ majora à privato nemine incrementa sumpse-
„ runt. Rei privatæ studium, nunquam penitus
„ Reipubl: prætulisse, si de nullo alio unquam
„ affirmari posset, de illo verissimum esset. Per-
„ rarum est, ut quis opes, rarius, ut quis fasces
„ & honores, rarissimum, ut quis potentiam
„ & dominationem, si cum Patriæ rationibus
„ non cohærerent respuerit, hoc ille toties, imò
„ plus etiam fecit, nam & propriam gloriam
„ quod vel summis heroibus difficile omnin.
„ factu est, non semel Patriæ cessit. &c. A

A rebus gestis. „ Si quæ egit, cogites?
„ nullum aut plus, aut laudabilius, aut utilius
„ egisse; si quam agendi voluntatem habuit, con-
„ sideres? nullius vitam & vires tantum posse,
„ nullum tantum boni Reipubl: optasse, tibi pro-
„ fecto videbitur. Divini quiddam in eo fuit,
„ semper ut moliri, conari, agere, defatigari,
„ quiescere etiam, nunquam putaretur. Dies,
„ menses, annos, factis celebribus notavit, me-
„ moriæque prodidit. Rerum gestarum fru-
„ ctu & gloria, & plurimos superavit, & pau-
„ cos summosque æquavit, &c.

A meritis, „ Natum se esse, non sibi pu-
„ tavit, sed ut Deo, Patriæ, & Principi vitam vi-
„ veret, & de genere humano perpetuo mere-
„ ri studeret. Meritorum ejus de Christiana Re-
„ publ: & Religione, de Regno & Provinciis, de
„ Rege, de Senatu, de Nobilitate, de Exercitu,
„ de Civitatibus, de conditonis & ætatis cujus-
„ cunque hominibus, de pauperibus & inopi-
„ bus; meritorum inquam ejus: in templis, cu-
„ ria, castris, monimenta, grata ubique leget,
„ observabit, narrabit posteritas, &c.

A re militari. „ Quidquid in milite,
„ quidquid in Duce præcipuum est, in eo vidi-
„ mus. Animus ille, qui nec cæco quodam fu-
„ rore, nec ostentatione, aut jactantia, sed ra-
„ tione, & religiosa Dei vitam hominum re-
„ gentis vi, omni mortis metu vacuus, suique
„ securus, nullum unquam expavit periculum,
„ doloremque contempsit. Singularis in illo,
„ cùm veteris, tùm novæ rei militaris scientia,
„ quam in eo: & continua super scriptoribus
„ de re bellica lucubratio, & diuturna belli tot-

„ que præliorum experientia, terra, mari, do-
„ mi, forisque quæsita, & propria perfecerunt
„ Imperia. Inde tanta in exercitu auctoritate:
„ miles ut ejus nutu faustius nullum præstola-
„ retur auspicium. Locus, tempus, modus, or-
„ do, qui illi videretur optimus, idem quibus-
„ vis belli expertissimis. In commeatu parando
„ ita solicitus, ita diligens, ut in castris ad ne-
„ cessitatem omnia, quædam etiam ad copiam,
„ superessent. Quocunque copias duxit vel
„ locavit, lucrum, & quæstum populis, non va-
„ stitatem afferre studuit. Res omnes ut ad fo-
„ rum quoddam pacatum, ad castra certatim e-
„ jus ab omnibus convehebantur. De rapinis,
„ de furtis, de vi, de lascivia, de impietate mi-
„ litis ejus imperio obnoxij, fere non est audi-
„ tum. Justitia, æquitas, & severitas Ducis im-
„ placabilis, imprimis vero continentissimi Im-
„ peratoris exemplum, his omnibus castra pur-
„ gavêre flagitiis. Tali Duce, tali ejus milite, tali
„ bellandi ratione, malè & infaustè pugnatum
„ nusquam est. Ita ordinatus, hac disciplinâ
„ florentissimus exercitus, victoriæ illicium est,
„ libenter eò victoria convolare solet. Liquet
„ jam. cur toties hoc Duce hostes domiti, Pa-
„ tria semper defensa, & trophæis aucta. Civi-
„ tates, Provinciæque assertæ. Armorum & no-
„ minis nostri gloria, longè latèque propa-
„ gata, &c.

Ab honoribus. „ Decus & splendorem ho-
„ noribus attulit, non ab ijs sumpsit. Honor
„ quodammodo plus illi debuit, quam honori
„ ille. Virtus & dignitas ejus, magistratus
„ quos gessit venerabiliores reddiderant. In
„ muneribus publicis, non ornamentum sui,
non

„ non plausus, non otia, sed campum optimè
„ de Republ: merendi quæsivit. Labor, vigilan-
„ tia, diligentia, perpetui ejus curulis comites.
„ Oblectabatur non titulo, sed Officio. Ejus am-
„ bitio, non ostentationem & pompam, sed vir-
„ tutis usum, ac exercitationem desideravit.
„ Elevari, non ut emineret, sed ut latius omni-
„ bus prospiceret, curavit. Quò altius, eò cau-
„ tius modestiusque, se semper continuit. Arte
„ summa usus, ut & reverentiam fascium suo-
„ rum etiam æqualibus, & quandam in se fidu-
„ ciam etiam infimis inspiraret. Quò sublimior,
„ quod perrarum est, eò melior. &c.

Plurima ejusmodi in laudandis Personis occurrunt capita; præsertim: Personarum diversitate, conditione, ætate, sexu, vitæque rationibus consideratis. Hæc mox dicta pro exemplo sufficiunt, quam hujusmodi virtutes & res, plurimas cogitationes generant, unamque ex alia nasci quodammodo adigant. Quamobrem hæc & similia laudum capita, pro uberibus laudationum fontibus accipi considerarique possunt.

Jam mox dictæ laudes, vel accurata Viri alicujus insignis, omnique virtute conspicui, similis huic, quam dedimus imago; hunc quoque in adolescentum animis fructum producat oportet, ut definitis enumeratisque his virtutibus, similem ab ijs laudem celebritatemque sui nominis studeant sibi imitando comparare.

Certe elogium superius, si cui unquam & uspiam, profecto nostro Summo Viro Joanni Zamoyscio: Duci Supr: Exercitus, Cancellario Supremo

premo Regni, ita planè convenit, ut, totum simul acceptum, ei soli proprium videri possit.

Magister vero contendet, ut & Discipuli suas quisque cogitationes, quæ in eorum mente exorientur, supra dictis identidem addant, & ut plura ejusmodi laudum capita pro varietate Personarum inveniant.

§. IV.

De cogitationibus excellentioribus.

62. *Ad quid præcipuè, cum de Inventione Oratoria agitur, eloquentiæ tyrones cohortandi asuefaciendique sunt?*

Ad prudenter, sapienterque cogitandum.

DOcendi sunt Adolescentes: cogitationes hominum in quavis materia, alias esse obvias, simplices, naturales, & ut ita dicamus, historicas; alias paulo magis elevatas, atque acutas; alias sublimes & raras cogitationes, quæ rapiant, admirationi sint, voluptatem majorem menti afferant, quæ magis placeant dignæque notatu sint. Ostendendum item iisdem est: quid sit illud, quod appellatur *Sententia*, tum quod tales omnes cogitationes in quavis bona Oratione observari possunt. Pro observandis *tribus* his cogitandi *gradibus*, scilicet, 1. *Naturaliter*, 2. *Acutius*, 3. *Sublimius*; sit materia de augendis instante belli periculo Reipublicæ copiis.

Bellum

Bellum nobis cum potente vicino imminet. Arma igitur viresque parandæ sunt, ne imparatis rebus, in summum Rempubl: conijciamus discrimen. Proprijs nobis viribus opus est, non aliunde emendicatis: nostrum enim, non alienum periculum est. In vicinorum autem amicorumque Principum ac sociorum auxiliis, spes omnis nequaquam nobis collocanda est; cum hi propriis eorum rationibus potius, quam nostris moveantur: neque suo incommodo opem eos rebus nostris laturos prudenter unquam sperandum nobis sit, neque id ab ijs aut exigendum, aut quoquomodo expectandum est. Hæ sunt cogitationes simplices, naturales, obviæ. Jam si dicas:

Nosne putemus, res nostras magis exteris, quam nobis ipsis, cordi curæque futuras? Opem quam nos ipsi nobis ferre nolimus, illi ferent? Suas illi rationes prodent, ut nostris prosint? Periculo illi suo, ne nos periclitemur, consulent? Patriamne illi nostram, plus nobis ament? an forte de servanda Republ: plus illi nobis soliciti anxijque sint? An Parisiis, Viennæ, Petropoli, Bizancii, melius de nobis, quam Varsaviæ consuletur? Hæc sunt cogitata & acutius & nervosius. Denique si rem hanc protuleris ita:

" Ego autem vos interrogo Cives, adeone jam nobis viluêre templa, religio, aræ? pro quibus Majores nostri animas & sangvinem contra impios Sacrorum nostrorum hostes ultrò toties alacresque tulêre? Adeone gloria, res nobis jam ignota est, nihilque jam stimuli in hæc pectora, atque in hos habet

" ani-

" animos? adeone nomen Patriæ jam apud nos
" eviluit, cui ſalutem, corpora, fortunas, conju-
" ges, liberos eſſe cedenda, ſemper boni omnes
" ſenſêre? adeone ipſa nobis iam eſt vilis liber-
" tas, quæ cum morte potiùs quam cum ſervi-
" tute mutanda, ſapientibus viſa ſemper eſt? Qui
" igitur legitimos hucusque Dominos abſoluta
" nobis poteſtate imperitare noluerimus, jam
" brevi è liberis tiranni ſervitia fieri, victoris
" pati compedes, & in ejus haberi mancipiis,
" perinde nobis ſit, aut ſaltem tolerabile videa-
" tur? Nos ergo poſtremi in libera Republ: li-
" beri nati, jam deinceps vilem è nobis ſervo-
" rum ſobolem victori genuerimus? Nos cata-
" ſtas, nos jugum, & vincula, quæ in poſtero-
" rum colla è noſtris defluant, primi ſubibimus?
" nos in id nati ſimus, ut quid ultimum in li-
" bertate, quid primum in ſervitute eſſet no-
" ſtra hac nedum ſpectemus, ſed & ipſimet pri-
" mi ſentiamus ætate? nos qui liberam Rem-
" publ: à Majoribus noſtris, quaſi de manu in
" manum accepimus, ſervam mox poſt nos ſe-
" cuturis tradamus? à noſtris ergo nominibus
" incipiat Tyrano & Victori deditiorũ cenſus?
" novusque ejus mancipiorum ordo & ſeries, à
" nobis texatur? Atqui id omnino futurum,
" quis tam cæcus amensque eſt, ut non videat,
" juſtas niſi copias viresque in tam evidenti pe-
" riculo nobis tuendis comparaverimus, no-
" ſtrisque jam ferme cervicibus, hoſti imminen-
" ti objecerimus. At de quo res nobis eſt? Ni-
" mirum, pro cujusque modo & fortuna de
" ferendis periclitanti Reipublicæ ſuppetiis,
" ubi de Sacris, de Salute, de gloria, de li-
" bertate, de bonis, de Penatibus, liberis, conju-
" gi-

" gibus, de communi Patria, aut retinenda, aut
" amittenda univerſim agitur. Nosne partem
" quantamlibet ultrò cedere Patriæ recuſemus,
" paulo poſt omnia quæ tenemus amiſſuri? Pa-
" triâ amiſsâ, quid in ea jam tuum & non vi-
" ctoris erit? Dum peribit Reſpub:, quid de ci-
" ve fiet? &c. In his, in quædam rarius & ſub-
limius cogitata incides.

Jam ſententias hoc loci intelligo, cogita-
tiones illas, quæ univerſales ſunt, doctrinam-
que ſive morum, ſive Reipubl: continent; ſunt-
que quædam prudentiæ regulæ. Naſcuntur ex
conſideratione eorum, quæ communiter ita
eſſe obſervantur: talesque cogitationes, partus
ſunt maturioris ingenij. Et ſi parcè ſuoque loco
adhibeantur ſententiæ, in quavis oratione ſum-
mo ornamento ſunt, mentẽq; oblectant & rapi-
unt. Verbis debent eſſe optimis ſed ſimplicibus.
Tales eſſent in dicta materia:

Infelix Regnum eſt, quod propriis niti defendique non poteſt viribus. Fœdera inter pares, ſunt fœdera: debilior, apud potentiorem gratiam quærit. In fœderibus ipſis ſanctum nihil eſt regnandi libidini. Principum nullus eſt, qui proprii commodi, protendendique Principatus causâ, nedum deſerere, ſed & obteri ſinere, aut etiam ipſemet obterere Principem vicinum nolit. Apud Principes, nihil, niſi propriæ magnitudinis & Imperij ratio, valet. &c. Hæc ſunt vera, hæc ſimplicia, hæ ſententiæ, quæ tanto-
pere menti arrident.

In hoc alio exemplo, diſcernamus cogita-
tionum diverſitatem. Plinius Trajanum laudat,
à col-

à collato ipsi per Senatum Populumque Romanum *Optimi* Nomine.

Justisne de causis S.P.Q.R. Optimi Tibi nomen adjecit? Paratum id quidem & in medio positum, novum tamen. Scias: neminem ante meruisse, quod non erat excogitandum, si quis meruisset. An satius fuit Felicem vocare? quod non moribus, sed fortunæ datum est. Satiùs magnum? cui plus invidiæ, quam pulchritudinis inest. Adoptavit te Optimum Princeps in suum, Senatus in optimi nomen. Hoc Tibi tam proprium, quam Paternum, nec magis definitè distinctèque designat, qui Trajanum, quam qui Optimum appellat. Ut olim frugalitate Pisones, sapientia Laelii, pietate Metelli monstrabantur: quæ simul omnia uno isto Nomine continentur. Nec videri potest Optimus, nisi qui est omnibus bonis in sua cujusque laude præstantior. Merito Tibi ergo post cæteras appellationes hæc est addita, ut major. Minus est enim Imperatorem & Cæsarem & Augustum, quam omnibus Imperatoribus, & Cæsaribus, & Augustis esse meliorem. Ideoque ille Parens hominum Deorumque, Optimi priùs, deinde Maximi nomine colitur. Quo præclarior laus Tua, quem non minus constat Optimum esse, quam Maximum. Assequutus es nomen, quod ad alium transire non possit, nisi ut appareat in bono Principe alienum, in malo falsum. Quod licet omnes postea usurpent, semper tamen agnoscetur ut Tuum. Etenim ut Nomine Augusti admonemur ejus, cui primum dicatum est; ita hæc Optimi appellatio, nunquam memoriæ hominum, sine te recurret. Quotiesque posteri

posteri nostri optimum aliquem vocare cogentur, toties recordabuntur, quis meruerit vocari. Examinemus hæc cogitata.

Justisne de causis S. P. Q. R. Tibi optimi cognomen adiecit? Paratum id quidem, & in medio positum, novum tamen. Hæc cogitatio est simplex, & obvia. Interrogat enim duntaxat, an justis causis Trajanus appellatus sit Optimus? Dicit hoc nomen esse paratum, & in medio positum, seu esse nomen facile, omnibus notum, in communi esse usu; potuisse & ab antecedentibus Imperatoribus accipi; hoc novum esse: quod nunc primum Trajano sit adjectum. Hanc cogitationem sequenti explicat: *Scias neminem ante Te meruisse, quod excogitandum non erat, si quis meruisset.* Et hæc cogitatio simplex & historica est. Vult dicere: si aliquis antè Imperatorum istud Optimi nomen meruisset, non erat hoc nomen difficile repertu aut excogitatu; erat tritum, in medio positum. Nullus itaq; Imperator ante te illud meruit, cum nulli ante te datum sit. *An satius fuit felicem vocari? quod non moribus, sed fortunæ datum est, Satius magnum? cui plus invidiæ, quam pulchritudinis inest?* Hæc cogitatio elevata est, involvitque sententiam. Comparat nomen Optimi cum Nominibus: Felicis, & Magni, quæ aliis ante Trajanum Imperatoribus data fuerunt. *Felicis* nomen posthabet nomini Optimi, nam non moribus sed fortunæ tribuitur. Præfert nomen *optimi*, nomini *Magni*, nam magni nomen invidiosius est potius, quam recti animi honestique signum. Et hæc cogitatio sententiam

tiam ſapit; quaſi diceret: Felicem nuncupari? hoc non moribus ſed fortunæ datur. Magnum vocari? invidiam potius excitat, quam Principis virtutem commendat. *Adoptavit Te Optimum, Princeps in ſuum, Senatus in optimi nomen.* Cogitatio hiſtorica & ſimplex. Nerva, ſciens Te Optimum, adoptavit Te in ſuum collegam; Senatus verò adoptavit te in nomen Optimi, id eſt, dedit tibi nomen Optimi. *Hoc tibi tam proprium, quam Paternum; nec magis definitè diſtinctèque deſignat, qui Trajanum, quam qui Optimum appellat.* Hæc cogitatio eſt acuta, rara, atque etiam in ultimis verbis, ſublimis. Hac laude uti poſſemus in laudando quovis optimo Principe: *Diſtinctè definitèque deſignat STANISLAUM AUGUSTUM, qui Optimum appellat.* Quid hac laude ſublimius? *Ut olim frugalitate Piſones, Sapientia Lælij, pietate Metelli monſtrabantur, quæ ſimul omnia in iſto nomine continentur.* Et elevata, & rara cogitatio eſt: frugalitatem, ſapientiam, pietatem, & omnia optimi nomine contineri. *Nec videri poteſt Optimus, niſi qui omnibus bonis, in ſua cujuſque laude, eſt præſtantior.* Hæc cogitatio ſententia eſt, & univerſale principium. *Merito igitur poſt cæteras appellationes, hæc eſt addita ut major.* Cogitatio ſimplex ac hiſtorica. Merito poſt nomina Imperatoris, Cæſaris, Auguſti, Felicis, Invicti, &c. jam Trajano data, hoc omnibus majus, Optimi nomen illi additum. *Minus enim eſt eſſe & Imperatorem, & Cæſarem, & Auguſtum, quam omnibus Imperatoribus, & Cæſaribus, & Auguſtis eſſe meliorem.* Et ſententia eſt, & ſublimis

limis omnino cogitatio. *Ideoque & Parens ſiltè hominum Deorumque, Optimi prius, deinde Maximi nomine colitur, quò præclarior laus Tua, quem non minus conſtat eſſe Optimum, quam Maximum.* Rara, acuta, & elevata cogitatio, quaſi diceret: adiuvar Dei nedum es maximus, ſed optimus. *Aſſecutus es nomen, quod ad alios tranſire non poſſit, niſi ut appareat in bono Principe alienum, in malo falſum. Quod licet omnes poſteri murpent, ſemper tamen agnoſcetur, ut Tuum.* Elevata, acuta, rara, ſublimis cogitatio & laus. Nomen Optimi non poſſe legitimè ad alios tranſire. Vel enim erunt boni Principes, quibus dabitur nomen Optimi? non ſuum tamen ſed Trajano prius datum; Trajano olim proprium, ſibi proinde alienum & aliunde adventitium & commodatum nomen habebunt. Vel ſi mali erunt? falſo nominabuntur Optimi. Si ergo evenerit, ut nomen hoc aliis poſt Te Principibus tribuatur, ſemper agnoſcetur ut Tuum, Tibique ſoli proprium. *Etenim ut nomine Auguſti, admonemur, ejus, cui primum dictum eſt, ita hæc Optimi appellatio nunquam memoriæ hominum ſine Te recurret.* Cogitatio primum ſimplex, deinde altera ejus pars ſatis elevata & rara. *Quotiescunque poſteri noſtri, optimum aliquem vocare cogentur, toties recordabuntur, quis meruerit vocari.* Hæc enimvero laus, & ſublimis, & acuta, & rara cogitatio eſt. Quæ enim laus excellentior excogitari poteſt, quam quempiam & eſſe, & ſuo jure, ac promerito dici *optimum?* aliis nomen Optimi duntaxat arrogari? cum nomine cujuslibet Optimi Principis,

pis, ſemper recordationem Trajani rediturum? Hoc modo Adoleſcentibus explicandæ exagerandæque ſunt meliores quævis cogitationes, ut in ijs guſtum voluptatemque percipiant.

63. Unde excellentiores hujusmodi cogitationes naſcuntur? & qui ſunt earum fontes?

Ingenium imprimis cujusque; matura & longior ætas; experientia vitæ & Reipubl:; auditus uſusque Magnorum Virorum, atque cum eis conſuetudo.

At hæc præceptis tradi nequeunt. A natura annisque veniunt.

Imprimis itaque fons bene cogitandi, eſt lectio & imitatio.

NImirum in Auctoribus legendis: rariores, utiliores, ſublimiores, ſapientioresque cogitationes obſervent, Profeſſorque obſervari eas ab illis faciat. Hac ratione fiet, ut & ipſi ad ſimiliter cogitandum excitentur. Præclari Oratores, Philoſophi, Hiſtorici, Politici, Ethici, Epiſtolographi, pleni ſunt excellentibus ejusmodi cogitationibus & dictis.

Fieri nequit, ut hoc loco plurima, ſuperfluum ut multa, non inutile verò erit, ut ſaltem aliqua pauca hujusmodi Adoleſcentibus proponamus; nullo quidem ordine, ſed duntaxat ut præſtantiam, pulchritudinem, utilitatem, ſapientiamque in his ſive dictis mirisque cogitationibus, ſive ſententiis caſu oblatis conſiderent.

Incido caſu in Orationem pro Sextio cujus Patrem Orator ſic laudat: "Parente P.Sextius natus eſt, homine, ut plerique meminiſtis, "& ſapiente, & ſancto, & ſevero, qui cum Tribunus Plebis optimis temporibus factus eſſet, "reliquis honoribus, non tam uti voluit, quam "dignus videri. *Quid hac laude præſtantius:* "honoribus non tam uti voluit, quam dignus "videri?

Admonet Orator: ſe in Oratione pro Sextio neminem ſtudio offendere velle, niſi ſermo ipſe naturaliter incidat in peſſimos Cives, uti Gabinium, Piſonem, Clodium. "Neque, *inquit*, "quenquam offendet Oratio mea, niſi qui ſe ita "obtulerit, ut in eum non invaſiſſe, ſed incur-"riſſe, videamur." *Iſtud certe:* "niſi in eum non "invaſiſſe ſed incuriſſe videamur, ſi benè intelligatur, expliceturque, magnopere Juvenibus placebit.

De Clodio hominum nequiſſimo ait: "At "ille nefarius ex omni ſcelerum colluvione "natus." *Poteſtne ſceleratus homo melius breviusque depingi?*

De Piſone Conſule, qui externa ſpecie ac gravitate cunctis illuſerat, & ſceleratiſſimum animum ſeveræ cujusdam virtutis aſpectu celarat, ita loquitur: "O Dij boni quam teter incede-"bat! quam truculentus, quam terribilis "aſpectu! unum aliquem è barbatis illis, [*pri-"ſcis nempe Romanis*] exemplum Imperii vete-"ris, imaginem antiquitatis, columen Reipub: "diceres intueri. Veſtitus aſperè, noſtra hac "purpura plebeia ac plenè fuſca, [*alia pur-pura*

pura fuit rubra, eaque pretiosissima; alia violaceo colori propior, & fusca rubedine tincta, quæ modestior erat viliorisque pretij, ac plebeis communior,] capillo horrido. "Nam quid ego de "supercilio dicam? quod tùm hominibus non "supercilium, sed pignus Reipubl: videbatur. „ *[Id est: supercilium Pisonis tam densum & grave aspectu erat, ut Reipubl; promitteret, cunctosque certos quasi dato pignore redderet, Virum hunc moris esse veteris virtutisque Romanæ.]* "Tanta erat gravitas in oculo, tanta contra-"ctio frontis, ut illo supercilio Respubl: tan-"quam Atlante Cælum niti videretur &c. Erat "hominum opinione, Nobilitate ipsa, blanda "conciliatricula commendatus. Omnes enim "boni semper Nobilitati favemus: & quia utile "est Reipubl: Nobiles homines esse dignos "Majoribus suis, & quia valet apud nos claro-"rum hominum & benè de Republica merito-"rum memoria, etiam mortuorum. Quia tri-"stem semper, quia taciturnum, quia subhor-"ridum atque incultum videbant, & quod eo "erat Pisonum Nomine, ut ingenerata familiæ "frugalitas videretur, favebant, gaudebant, & "ad integritatem Majorum spe sua hominem "vocabant. Ego autem tantum esse in homine "sceleris, audaciæ, crudelitatis quantum ipse "cum Republ: sensi, nunquam putavi. Etenim "animus ejus vultu, flagitia parietibus tege-"bantur &c. „ Quæ cogitationes in descriptione hac hominis simulati & ficti, an non sunt consideratione dignæ? non perelegantes? non solidæ? non sublimes? non viro sapiente & erudito dignæ? Sed jam tales innumeræ Ciceronis.

"Nihil

"Nihil est ex omnibus rebus humanis "præclarius, aut præstantius, quam de Repub: "bene mereri.

"Chari sunt liberi, propinqui, familiares, "sed omnes omnium charitates Patria una "complexa est.

"Quoniam omnia commoda à Patria ac-"cepta sunt nullum incommodum pro Patria "grave putandum est.

"Omnibus qui Patriam conservârint, ad-"juverint, auxerint, certus est in cœlo ac defi-"nitus locus, ubi beati sempiterno ævo fruan-"tur.

"*Diu se vixisse, Cæsar dixerat. Cicero respondet:* "Cum & Patriæ quod debes solve-"ris, & naturam ipsam satietate vivendi exple-"veris, satis diu vixisse dicito. Quid est enim "omnino hoc ipsum diu? in quo est aliquid ex-"tremum, quod cum venerit, omnis voluptas "præterita, pro nihilo est?

"Quid potest ei videri magnum in rebus "humanis, cui æternitas omnis, totiusque mun-"di nota sit magnitudo?

"Cogitantes supera, atque cœlestia, hæc "nostra ut exigua & minima contemnamus.

"De hominibus nulla gens est, tam im-"mansueta, tam ferrea, quæ etiamsi ignorat "qualem Deum habere debet, tamen haben-"dum nesciat.

"Si talis est Deus, ut nulla gratia, nulla "hominum caritate teneatur, valeat. Qua co-"gitatione Cicero, totâ *Theistarum* impietatem "evertit.

"Nihil est tam volucre quam maledi-

" ctum; nihil facilius emittitur, nihil latius diffi-
" patur.

" Quem metuunt, oderunt: quem quis-
" que odit, periisse exoptat. Timor, non est diu-
" turni Magister officij.

" Millies perire est melius, quam in sua
" Civitate sine armorum præsidio non posse vive-
" re. Charitate & benevolentia Civium septum
" esse oportet non armis.

" Quod allatura est ipsa diuturnitas, quæ maxi-
" mos luctus vetustate tollit, id nos præripere
" consilio prudentius debemus, neque expecta-
" re à tempore medicinam, quam à ratione ha-
" bere possimus.

Dies, stultis mederi solet.

" Non dubitat agricola, quamvis senex
" quærenti, cui serat? respondere: Dijs immor-
" talibus, qui me accipere tantundem à majo-
" ribus voluerunt, & posteris tradere. Idemque
" laborat in ejs, quæ sciat nihil ad se pertinere.
" Serunt arbores, quæ alteri sæculo prosint.

" Non temere nec fortuito sati & creati su-
" mus, sed profecto fuit quædam vis, quæ gene-
" ri consuleret humano, nec id gigneret, aut ale-
" ret, quod quum tot exantlavisset labores, tum
" incideret in mortis malum sempiternum.

" Nos, si quid tale acciderit, ut à Deo de-
" nuntiatum videatur, ut exeamus è vita, læti, &
" agentes gratias, pareamus; emittique nos è
" custodia, & levari vinculis arbitremur, ut aut
" in æternam, & plane nostram domum remi-
" gremus, aut omni sensu molestiaq; careamus.

Quid excellentius his & id genus innume-
ris

ris Ciceronis cogitationibus pro quibus quidem excerpendis totus fere exscribendus esset. Quid in his & ejusmodi cogitatis non utile, non solidum, non mirandum, non singulariter notandum, non denique pro virili parte nostra imitandum?

Jam Sallustium hic æquè totum transcribere oporteret. Quid putatis, de ea in quam casu incurro, Jugurthæ, quam ei Micipsa tribuit, laude?" Me Regnumque meum gloriâ decorâsti,
" tua virtute nobis Romanos ex amicis amicissi-
" mos fecisti, in Hispania nomen familiæ nostræ
" renovâsti. *Sed hæ sunt cogitationes simplices ac historicæ, eam quæ sequitur considera.*

" Postremo, [quod difficillimum inter mor-
" tales est,] gloriâ invidiam vicisti.„ *Quid est gloriâ vincere invidiam? Id est, ad id gloriæ pertigisse fastigium, ubi illi nihil possit nocere invidia, quæ semper alienam dirè impetit, mordet, cupitque evertere gloriam. Quam pulchra itaque laus hæc est;* " gloriâ invidiam vicisti.„

Quid illud quod mox sequitur? " Non E-
" xercitus, neque thesauri, præsidia Regni sunt,
" verum Amici: quos neque armis cogere, ne-
" que auro parare queas, officio & fide pa-
" rantur.

Quid illud ad Jugurtham, & duos filios à Micipsa dictum? " Ego vobis Regnum tra-
" do firmum, si boni eritis, sin mali, imbecillum.
" Nam concordia res parvæ crescunt, discordiâ
" vel maximæ dilabuntur.

In Oratione ad Bochum Regem, quâ eum ad amicitiam Romanorum allicit. " Amicorum
" ne-

" neque nobis, neque cuiquam hominũ unquam " satis fuit. *Quam id verè, egregieque dictum? Quis enim sanus de multitudine amicorum nimia questus est? quis bonus nolit quam plurimos, dum sese ultro offerunt, habere amicos?*

Cæsar apud Sallustium. " Qui demissi in " obscuro vitam agunt, si quid deliquêre pauci " sciunt; fama, atque fortuna eorum pares sunt, " qui magno Imperio præditi, in excelso æta- " tem agunt, eorum facta cuncti mortales no- " vêre. Ita in maxima fortuna, minima licen- " tia est. „ *Quid magis mirêre, an simplicitatem ac veritatem, an excellentiam & utilitatem hujus cogitationis?*

Cato Porcius apud eundem Sallustium. " Nolite existimare Majores nostros, armis Rem- " publ: è parva magnam fecisse. Si ita res esset, " multo pulcherrimam nos eam haberemus. " Quippe sociorum atque Civium, præterea ar- " morum, atque equorum major nobis copia, " quam illis est, Sed alia fuêre quæ illos ma- " gnos fecêre, quæ nobis nulla sunt: Domi in- " dustria, foris justum Imperium, animus in " consultando liber, neque delicto, neque li- " bidini, [*seu cupiditati plura semper habendi,*] " obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam, " atque avaritiam, publicè egestatem, privatim " opulentiam. Laudamus divitias, sequimur in- " certiam, inter bonos, & malos nullum discri- " men est; omnia virtutis præmia, ambitio pos- " sidet. „ Sed si omnia in Sallustio æquè mira sunt, certè Oratione Marij ad Populum summis ac præstantissimis cogitationibus plena [quæ

[quæ hoc loci tota inserenda esset ni præ manibus haberetur,] nihil utilius exercendis ad rectè solidèque cogitandum Adolescentibus...

Quod iam mare pulcherrimarum ejusmodi cogitationum in Livio? ubi quaquà librum aperias, in singulare aliquid profecto incides. *Messius Oratione Volscos à Romanis, quibus bellum intulerant, clausos, ac progredi nolentes, adhortatur:* " Quid igitur arma habetis? " aut quid ultro bellum intulistis? in otio tu- " multuosi, in bello segnes? quid hic stantibus " spei est? an Deum aliquem protecturum vos, " rapturumque hinc putatis? ferro via faci- " enda est, hac qua me prægressum videritis. " Agite, qui visuri domos, parentes, conjuges, " liberos estis: ite mecum. Non murus nec val- " lum, sed armati armatis obstant; virtute pa- " res, necessitate, quæ ultimum & maximum " telum est, superiores estis.

Camillus, qui Tribunus, toties cum ijsdem Militibus eundem hostem vicerat, ab exilio redux, Dictatorque factus, militem cunctantem hortatur: " Quæ tristitia, milites, hæc? quæ in- " solita cunctatio? hostem? an me? an vos i- " gnoratis? hostis, quid est aliud, quam " perpetua materia virtutis gloriæque vestræ? " vos contra, me Duce, modo tergeminæ victo- " riæ, triplicem triumphum, & ex his ipsis " Volscis & Æquis, & ex Hetruria egistis. An " me, quod non Dictator, sed Tribunus vobis si- " gnum dedi, non agnoscitis Ducem? neque " ego maxima Imperia in vos desidero, & vos " in me nihil præter meipsum intueri decet.

" Ne-

" Neque enim Dictatura mihi unquam animos
" fecit, ut ne exilium quidem ademit. Iidem
" igitur omnes sumus, & quum eadem omnia
" in hoc bellum afferamus, quæ in priora at-
" tulimus, eventum belli eundem expectemus.
" Simul ac concurretis, quod quisque didicit,
" ac consuevit, faciet. Vos vincetis, illi fugient.

In illa, ad seditiosum in Patricios Populum Romanum, cum interea hostes Volsci ad portas Urbis popularentur, contra Tribunos Oratione Capitolini Consulis de discordia Civili, quæ sensa? " Non vestram ignaviam hostes
" contempsêre, non suæ virtuti confisi sunt,
" quippe toties fusi, fugati, castris exuti, agro
" mulctati, sub jugum missi, *&c* se & vos novêre.
" Discordia ordinum est venenum hujus urbis,
" sustulêre illis animos Patrum & Plebis cer-
" tamina, dum nec nobis Imperij, nec vobis li-
" bertatis est modus, dum vos Patriciorum, nos
" Plebeiorum tædet. *&c*, Quis finis erit discor-
" diarum? ecquando unam Urbem hanc habere?
" ecquando communem hanc Patriam esse li-
" cebit? *&c*. Scandentem in aggerem Volscum
" hostem nemo submovet! in nos Viri, in
" nos armati estis? *&c*. Vellem vobis placere
" Quirites, sed multo magis volo vos salvos esse,
" qualicunque erga me animo futuri estis. *&c*.
" Assentatores publici, plebicolæ isti. [*Tribuni*]
" quia in concordia Ordinum nullos se vident,
" malæ rei se, quam nullius, Turbarum ac sedi-
" tionum Duces esse volunt. *&c*.

Hæc & innumerabilia istiusmodi ex Livio, si bene Juvenibus elucidentur, ijs ad bene cogitandum facem non præferant?

Jam

Jam quid cogitationes Taciti? quid in illo non mirêre? ubi non hæreas? " Ærarium si
" ambitione exhauseris, per scelera supplendum
" erit. „ *Monitum illud Galbæ Imperatoris ad Pisonem: si bonus esse Princeps velit, quid illi cogitandum sit,* " Utilissimus, *inquit*, bonarum,
" malarumque rerum delectus, cogitare, quid
" aut nolueris sub alio Principe, aut volueris. „
Laus pulcherrima à Galba data Pisoni: " Vita
" tua est, in qua nihil præteritum excusandum
" habeas. „ *De Romanorum indole post sublatam Rempublicam ait Galba ad Pisonem:*
" Imperaturus es hominibus, qui nec totam
" servitutem pati possunt, nec totam liberta-
" tem. „ *In homines virtutis asperæ,* " Quæ-
" dam virtutes, odio sunt. „ *De causa legum:*
" Probatum est, leges egregias è delictis alio-
" rum nasci. „ *Tiberius ad Nervam & Drusum Principes,* " Ita nati estis, ut bona, malaque ve-
" stra ad Remp: pertineant. „ *De speruendis injurijs:* " Spreta exolescunt; si irascâre, agnita
" videntur. „ *Tiberius Templum sibi dicari recusat:* " Ego me P. C. mortalem esse, hominis
" officio fungi, satisque habere, si locum Prin-
" cipem habeam, & vos testor, & meminisse po-
" steros volo; qui saris superque memoriæ meæ
" tribuent, ut majoribus meis dignum, constan-
" tem in periculis, rerum vestrarum providum,
" offensionum pro utilitate publica non pavi-
" dum, credant. Hæc mihi in animis vestris
" templa, hæ pulcherrimæ effigies & mansu-
" ræ. „

Terentius Eques Romanus, accusatus de ami-

amicitia Sejani, trucidati jussu Tiberij Imperatoris, apud quem summâ gratiâ prius floruerat, ita se Tiberio purgat: "Non est nostrum æstimare, quem supra cæteros & quibus de causis extollas. Tibi summum rerum judicium Dij dedêre, nobis obsequij gloria relicta est. Spectamus porro quæ coram habentur, cui ex To opes, honores; quis plurimâ juvandi, nocendiq; potentiâ, quæ Sejano nemo fuisse negaverit. Abditos Principis sensus, et si quid occultius parat, exquirere, illicitum, anceps, nec ideo assequâre. Ne P. C. ultimum Sejani diem, sed annos sedecem cogitaveritis, etiam Satrium atque Pomponium [*servulos Sejani*] revereabamur. Libertis quoque ac Ianitoribus ejus innotescere pro magnifico accipiebatur *&c.*

Romanum militem, in Britannos ad fugam proclives, Agricola Imperator cohortatur. "Britannorum fugacissimi ideoque tam diu superstites: acerrimi Britannorum jam pridem occidêre, reliquus est numerus ignavorum & metuentium: imponite quinquaginta annis magnum Diem. „ *De Prodigo Imperatore Ottone:* " Perdere sciet iste, donare nesciet. „ *De ejusdem Imperatoris libidinibus:* " Libido ac voluptas penes ipsum est, rubor ac dedecus penes omnes. „ *De Tiberio Imperatore,* "Dignus Imperio, nisi imperâsset. „ *&c. &c.* "Nemo unquam imperium flagitio quæsitum, bonis artibus exercuit. „

Nihil omnino inferius in toto fere Curtio. Legati Darij ad Alexandrum, ut bello & appetendis novis Provincijs modum ponat: " Periculosum est prægrave Imperium, difficile est continere, quod capere non possis. Videsne ut navigia, quæ modum excedunt, regi nequeant? Nescio an Darius ideo tam multa amiserit, quia nimiæ opes magnæ jacturæ locum faciunt. Facilius est vincere, quam tueri. Quam herculè expeditius manus nostræ rapiunt quam continent *&c:* „

Alexander Legatis Darij respondet, qui illi gratias egêre, quod captas: Matrem, Uxorêque Regiam liberaliter tractârit; Filiamque Darij nuptui ejus, & pro dote Principatum usque ad Euphratem obtulerant: „Nunciate Dario, gratiarum actionem apud hostem supervacaneam esse; & me, quæ fecerim clementer & liberaliter, non amicitiæ ejus tribuisse, sed naturæ meæ. *&c.* Bellum cum captivis & fæminis gerere non soleo: armatus sit oportet, quem oderim. *&c.* Conditiones pacis, quas fertis, si accepto, illum Victorem faciunt. Quæ post Euphratem sunt, liberaliter donat. Ubi igitur me affamini? nempe obliti estis. Nam ultra Euphratem sum. Summum ergo dotis, quam promitit, terminum, castra mea transeunt. Hinc me depellite, ut sciam vestrum esse, quod ceditis. Eadem liberalitate dat mihi Filiam suam, nempe quam scio alicui servorum suorum nupturam. Multum vero mihi præstat, si me Mesæo generum præponit. Jte: nunciate Regi vestro, & quæ amisit, & quæ adhuc habet, præmia esse belli; Hoc tegente utriusque terminos Regni, id quemque habiturum, quod proximæ lucis assi-

„ assignatura fortuna est; & me in Asiam non
„ venisse, ut ab aliis acciperem, sed ut aliis da-
„ rem. Si secundus, & non par mihi vellet ha-
„ beri, facerem forsitan quæ petit. Cæterum
„ nec mundus duobus Solibus potest regi, nec
„ duo summa Regna salvo Statu terrarum, po-
„ test habere. Proinde aut deditionem hodie,
„ aut in crastinum bellum paret, nec aliam si-
„ bi, quam expertus est, polliceatur fortunam.

Quid divinius, & illâ Darij Oratione ad Milites? „ Terrarum, „ *inquit*, quas Oceanus hinc
„ alluit, illinc claudit Hellespontus, paulo ante
„ Domini, non jam de gloria, sed de salute, &
„ quam saluti præponitis, de libertate pugnan-
„ dum est *&c.* Audete modo vincere, famam-
„ que, infirmissimum adversus fortes Viros te-
„ lum, Alexandri contemnite, Temeritas est,
„ quam adhuc pro virtute timuistis, quæ ubi
„ primum impetum effudit, velut quædam ani-
„ malia amisso aculeo, torpet. *&c.* Quodsi quem
„ è vobis nomen Gentis movet, cogitet, Mace-
„ donum illic arma esse non corpora. Multum
„ enim sanguinis invicem hausimus, & semper
„ gravior in paucitate jactura est. Nam Ale-
„ xander quantuscunque ignavis, & timidis vi-
„ deri potest, unum animal est, & si quid mihi
„ creditis, temerarium & vecors, adhuc nostro
„ pavore, quam sua virtute felicius. Nihil au-
„ tem potest esse diuturnum, cui non subest
„ ratio *&c.* Ite alacres & spe pleni, ut quam
„ gloriam accepistis à Majoribus vestris, posteris
„ relinquatis. In dextris vestris jam libertatem,
„ opes, spem futuri temporis geritis. Effugit
mor-

„ mortem quisquis contempserit, timidissimum
„ quemque consequitur. *Item alicubi:* Ji o-
„ ptimè miserias ferunt, qui abscondunt. *Alibi:*
" Fortium Virorum est magis mortem conte-
" mnere, quam odisse vitam. *&c. &c.*

Sed ut omnia ejusmodi in Curtio mirifica sunt, Orationi Scytharum Legatorum comparari fere nihil potest: „ Si Dij habitum corporis
„ tui, aviditati animi parem esse voluissent, Or-
„ bis te non caperet. Altera manu Orientem,
„ altera Occidentem contingeres *&c.* „ Sed
hæc omnium Juvenum manibus teruntur.

Lectitant omnes & Cornelium Nepotem de excellentibus Viris, in quo præstantiorum cogitationum difficilis delectus est, cum fere omnes admirabiles sint. Qualis exempli gratia illa: „ Phocion cum à Rege Philippo munera
„ magnæ pecuniæ repudiaret, Legatique hor-
„ tarentur accipere, simulque admonerent, si
„ ipse his facile careret, liberis tamen suis pro-
„ spiceret, quibus difficile esset, in summa pau-
„ pertate tantam Paternam tueri gloriam; his
„ ille: si mei similes erunt, idem hic, inquit,
„ agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem
„ perduxit; sin dissimiles sunt futuri, nolo meis
„ impensis, illorum ali, augeriqué luxuriam.
„ *&c.*

Jam quo ad cogitationes morales, illasque ubique Divinas, quid Senecam æquat? hujus sanè operum lectio, quemadmodum hominem decet cogitare, faciliùs quam quævis alia Adolescentes edocebit. En illis vel unum exiguum specimen: Ad gratum animum erga Deum

um pro tot ejus in nos beneficiis cohortatur:
„ Si pauca, *inquit*, quis tibi donasset jugera,
„ accepisse te diceres beneficium; immensa ter-
„ rarum latè patentium spatia, negas esse be-
„ neficium? Si pecuniam tibi aliquis donaverit,
„ & arcam tuam, quoniam id tibi magnum vi-
„ detur, impleverit, beneficium vocabis: tot me-
„ talla defodit, tot flumina emisit in àéra, su-
„ per quæ decurrunt navigia aurum vehentia;
„ argenti, æris, ferri immane pondus, omnibus
„ locis erutum, cujus investigandi tibi facul-
„ tatem dedit, ac latentium divitiarum in sum-
„ ma terra signa, deposuit, negas te accepisse
„ beneficium? Si domus tibi donetur, in qua
„ marmoris aliquid resplendeat, & tectum ni-
„ tidius, auro aut coloribus sparsum non
„ mediocre munus vocabis: ingens tibi domi-
„ cilium sine ullo incendij aut ruinæ metu stru-
„ xit, in quo vides non tenues crustas, sed
„ integras lapidis pretiosissimi moles, sed totas
„ variæ distinctæque materiæ opes, cujus tu
„ parvula frusta miraris, tectum vero aliter
„ nocte, aliter interdiu fulgens: negas te ullum
„ munus accepisse? Et cum ista, quæ habes, ma-
„ gnò æstimes, quam ingrati est hominis, si ea
„ nulli debere te judicas? Unde tibi istum, quem
„ trahis, spiritum? unde istam lucem? Unde
„ Sanguinem? cujus cursu vitalis continetur
„ calor? Unde ista palatum tuum saporibus
„ exquisitis ultra satietatem lacessentia? *&c.*
„ Ille Deus est, nõ qui paucas boves, sed qui per
„ totum Orbem armenta dimisit, qui gregibus
„ ubique passim vagantibus pabulum præstat,
„ qui

„ qui pascua hybernis æstiva substituit, qui non
„ calamo tantum cantare, & agreste atque in-
„ conditum carmen ad aliquam tantum oble-
„ ctationem modulari docuit, sed tot artes, tot
„ vocum varietates, tot sonos, alios spiritu no-
„ stro, alios externo, cantus edituros, com-
„ mentus est. Neque enim nostra illa, quæ in-
„ venimus, dixeris, non magis quam quod cre-
„ scimus, quam quod ad constitutum tẽporum
„ sua corpori officia, respondent. *&c.*

Jnsita sunt nobis omnium ætatum o-
„ mniumque artium semina, magisterque ex oc-
„ culto Deus producit ingenia. „ Quid cogi-
tationibus ejusmodi, quibus totus quantus est
plenus est Seneca, mentes Juvenum pulchrius
uberiusque fæcundare potest?

Brevior illa ejusdem Philosophi, „Quid
„ interest, utrum Deos neges? an infames?„
Viderint impij Philosophi, qui Dei Providenti-
am, regimen humani generis, charitatem erga
quemvis hominem, misericordiam, justitiam,
remunerationem tollunt, Deumque tot illi sub-
latis *attributis* infamant, & meliorem illorum
Deo alium à nobis optari faciunt, qui nostri
curam habeat, viderint inquam, quam idem sit
Deum negare, ac id quod Dei est, eidem tol-
lere.

Sunt & complures alii [ut de innumeris
recentioribus taceam] Auctores veteres, reper-
tuque faciliores, ut: Julius Cæsar, Plutarchus,
Æsopus, Eutropius, Florus, Velleius Pater-
culus, Polybius, Valerius Maximus, Tyrius Ma-
ximus, aliique; uti & præcipui Poëtarum: Vir-
gilius,

gilius, Ovidius, Horatius, Martialis, Juvenalis, *&c. &c.* quorum exempla adducere longum esset, quorumque lectio, experientiâ ipsâ docebit ac convincet Juvenes, fontem optimarum cogitationum præcipuum, esse libros. Itaque plurima legant, & ingenia sua illuminari, acui, elevari sensim animadvertent.

Admonitio tamen hic perneceſſaria ijs danda est: ne sola semper alta, mira, & sublimia consectentur, sed semper naturam ducem in cogitando, & in dicendo sequantur. Qui enim vellet continuo mirifica quædam promere, tandem ineptiet. Velle admiranda semper proferre, fatuitati cuidam simile est. Homines non ita cogitant, non ita loquuntur. Et hæc est pestis Eloquentiæ, Civilisque styli, velle esse semper Salustium, Senecam, Tacitum.

Pueri quidâ, aut pueris similes eos se imitari, aut etiam exæquare putabant, perridiculis quibusdam, ut appellitabant, *conceptibus*; ut: *qui Doctos homines, honoribus & opibus dignos esse* tali ratione pronuntiavit.

Philosophorum pallia merentur mutari in Purpuras. Defatigatos in Stoa, in curulibus & solijs conquiescere par est. Sceptra pro caducæo debentur Mercurio. In Gallicani Herculis, quæ illi ore defluunt aurea vincula, alatam volubilemque fortunam conijci oportet, & mancipium Reginæ animorum Eloquentiæ fieri. Æquius est in Heliconia, quam Tagi, aut Hydaspis ripâ aureum colligere pulverem. &c. Aut ille qui cæsum in bello quendam copiarum Ducem ita descripsit: *Oppugnabant Virum ceu Impe-*

Imperium, membra seu Provincias &c. Eo dementiæ deventum erat, ut hæc: Pliniana, Sallustianave appellarentur. Quod satis ostendit incredibilem humani ingenii, [ut jam paulo ante idem observavimus] levitatem, quam facile in ineptias & nugas declinet, admirabilia sectando. Legendi itaque sunt: Salustius, Tacitus, Seneca, Plinius, & similes, quod & nos tantopere commendamus; non quidem ut eos æquemus, nam cum ingenia non sint paria, citius ridiculos plerosque, quam illis pares, talis æmulatio redderet; sed legendi ideo, ut aliquid saltem ex ijs haurire possimus, & ad bene cogitandum effingi, cæterum naturæ ductum, simplicitatemque sequi quemque imprimis oportet.

Jam inter plurimas, quæ de re aliqua homini cogitanti dicenda simpliciter solidè, naturaliterque occurrunt, fieri potest, ut aliquid rarius, felicius, acutius, sublimiusque sese offerat, sed ad hoc ingenium cogendum nequaquam est. Imitatione Ciceronis hac in re præstabilius nihil. Laudandi mirandique alij, hic etiam semper imitandus est. Vi nulla ubique fluit, affectatione nulla. Et si se forte aliquando attollit, si ingenium, stylumque acuit, hoc in genere quoque superatur à nemine; rei enim natura eo loci id ab eo videtur exigere.

Quid quæso simplicius planiusque ea Amici Annij Milonis periclitantis, exilioque mulctandi allocutione? „ Nunc me una consolatio sustentat, quod tibi Anni, nullum à me „ amoris, nullum studij, nullum pietatis offici„ um defuit. Ego inimicitias potentum pro „ te

„ te appetij, ego meum sæpe corpus, & vitam „ objeci armis inimicorum tuorum, ego me „ plurimis pro te supplicem objeci, bona, for„ tunas meas, ac liberorum meorum in com„ munionem tuorum temporum contuli. Quid „ jam restat, quid habeo quod dicam? quid fa„ ciam pro tuis in me meritis? nisi ut eam for„ tunam, quæcunque erit tua, ducam meam. „ Non recuso, non abnuo, Vòsque obsecro Ju„ dices „ &c:

Quid hoc tenerius? sed hìc nihil alti, acuti nihil; ita cogitat, ita natura ipsa loquitur.

Jam paulo post, scilicet dum res ipsa voluit, quid his *Contrapositis* acutius, quid elegantius? ita enim exilium Milonis deprecatur. „ Hiccine, *inquit*, Vir Patriæ natus, usquam nisi „ in Patria morietur? hujus vos animi monu„ menta retinebitis, corporis in Jtalia nullum „ esse sepulchrum patiemini? hunc sua quis„ quam sententia ex hac urbe expellet, quem „ omnes urbes expulsum, à nobis ad se voca„ bunt? O! terram illam beatam, quæ hunc Vi„ rum exceperit, hanc ingratam si ejecerit, mi„ seram si amiserit. Sed finis sit, neque enim „ præ lachrymis jam loqui possum & hic se la„ crymis defendi vetat. &c. „ Ad tales cogitationes nonnunquam interponendas, si natura quandoque ipsa & ingenium nos provehit, obsecundemus; multa certa lectione, ætate, & experientia, ad simile quidpiam perveniri potest. Sed nos interim cogitata ejusmodi, miremur, menti imprimamus, cum magna prudentia, si possumus, etiam imitari studeamus,

mus, at enim vero præprimis: planis, solidis, naturalibus, modumque ingenij nostri non excedentibus, contenti simus.

§ V.

De Fontibus Externis.

64. *Quid sunt Fontes Externi?*

Qui non è re ipsa, sed aliunde, & extra rem, rationes probandæ rei propositæ subministrant.

Vg: P*Atrimonia cautè retinenda.* Si rationem dederis, vel ab exemplo Catilinæ, qui patrimonium dilapidavit, & deinde scelere privatam rem supplere quæsivit, vel à Sententia Ciceronis ex Officiis: *sequuntur largitionem rapinæ*; utrumque hoc non est petitum ab intimo rei, nec enim Catilina, aut sententia Ciceronis in patrimoniis reperitur.

In Genere Judiciali hi sunt Fontes externi: Tabulæ seu Leges, testes, jusjurandum, tormenta &c. quæ nos hoc loci forensi disciplinæ relinquimus.

65. *Quot itaque sunt fontes Externi?*

Illos, ad duos reducimus, suntque isti: auctoritas, & exemplum.

66. *Quid intelligitur per auctoritatem?*

Cum propositio probatur; vel cujuspiam gravis Auctoris Sententia, vel Lege.

Propositio. *Curandam nobis ov[illegible]sem-*

[illegible]er-

perque est, ut aliis simus utiles hominibus. Ratio à *Sententia.* Rectè enim Cicero in Officiis: *hoc natura præscribit,* inquit, *ut homo homini quicunque sit, ob eam tantum causam quod homo sit, consultum velit.*

67. *Quid intelligitur per exemplum?*

Cum res probatur facto alicujus, sive historia, eventu simili, apophtegmate, seu dicto vel responso cujuspiam.

PRopositio: *Religionem nunquam violandam esse.* Probatio ab *exemplo* & *apophtegmate* ex Cornelio Nepote: *Agesilaus Lacedæmonius, cum apud Coroneam Athenienses & Beothios gravi prælio vicisset, hujus victoriæ eam maximè laudem tulit, quod cum in Templum Minervæ ex fuga se victi conjecissent, quæreretur-que ab eo, quid de his fieri vellet? & si aliquot vulnera eo prælio acceperat, iratusque omnibus videbatur, tamen antetulit Religionem, eosque violari vetuit. Neque vero hoc solum in Græcia fecit, ut Templa Deorum Sancta haberet, sed etiam apud Barbaros summa religione omnia simulacra, arasque conservavit, prædicare solitus: mirari se non sacrilegorum numero haberi, qui supplicibus Deorum nocuissent, aut non gravioribus pœnis affici, qui religionem minuerent, quam qui fana spoliarent.*

Probationes ab *auctoritate* & *Exemplis,* & summi ad convincendos animos sunt momenti, & orationem mirè exornant, & eruditionem ostendunt, & pulcherrimis cogitationibus

bus locum præbent, & solidè dictionem amplificant.

Quamvis vero cum superius explicato *antecedentium* fonte, *exempla* hominum, qui antecesserunt, aliquomodo convenire videantur, nihil tamen refert, quocunque nomine sive antecedentium, sive Exemplorum à nobis denominentur.

Citatio sanè alienarum sententiarum, plerumque Adolescentes confundit, cum modum citandi difficilem esse putent, admonendi sunt igitur, paucissimis id pro re & loco absolvi posse. *vg:* rectè, vel sapienter, vel scitè, vel commodè, vel prudenter *&c.* ad rem nostram ille: *servitus est omnis miseria.* Vel optimè dixit quispiam: *exilium ibi est, ubi non est virtuti locus.* Vel audiamus Senecam, expendamus quid dixit Seneca, proferamus pulcherrimam cogitationem Senecæ, credamus Senecæ, attendamus dictis Senecæ *&c.* [quæ phrases ut libet mutari possunt] *talis est,* inquit, *Sapientis animus, qualis mundi status super lunam semper illic serenum est.* Vel: his quæ dico assentitur, vel: accedit, vel: pondus, vel: magnum addit momentum, vel: hæc confirmat, vel: probat, vel: illustrat, vel: clariùs, vel: meliùs explicat, vel: hoc idem sentit, vel: docet, vel: præmonet vel: advertit & Plato, *neque de Parentibus, neque de Patria, vindictam sumere fas nobis est.* Modos alios innumeros lectio suppeditabit, sæpe vero per hæc sola verba, *inquit, ait, testatur* &c. sententia bene annectitur, *vg. Mors,* inquit, Cicero, *servitute est potior.*

Id tamen adhuc advertendum est: in Civili-

vilibus ad Principem, Remp:, Senatum, Comitia, officiosisque orationibus; nomina Auctorum non esse exprimenda, id enim dissertationem aut Scholam sapit, sed generatim dicendum: *vg.* præclarè dictum est: sapientis est illud: bene novit Remp: qui protulit: scientissimus ille Reipubl: Consul, vel Philosophus, vel Orator, sic sensit: è justo & æquo rem hanc definivit, quidam vir sapiens: *&c. &c.* Auctor vero in margine citari poterit. Sæpe etiam sententiæ simpliciter absque ulla citatione Orationi inseri possunt, annotato duntaxat in adversarijs Auctore. *Plus apud nos vera ratio valere debet, quàm vulgi opinio.* Cicero. *Illis promissis standum non est, quæ coactus quis metu, aut dolo deceptus promiserit.* Cic. *Salus Principis, salus Reipubl: est.* &c.

Jam in exemplis adducendis innumeri quoque modi sunt. Aut una historia alterave fusiùs, aut plures breviter adducuntur, aut brevissimè duntaxat notiora prout res exigit commemorantur.

Cicero probat: neminem à defendenda Republ: deterreri oportere, calamitatibus maximorum etiam in Republ: Virorum, idque probat exemplis. *Quod si apud Athenienses, homines Græcos longè à nostrorum hominum gravitate disjunctos, non deerant qui Rempub: contra populi temeritatem defenderent, quamvis omnes, qui ita fecerant, è Civitate ejicerentur; si Themistoclem illum conservatorem Patriæ non deterruit a Republ: defendenda, nec Miltiadis exilio damnati calamitas, qui illam Civitatem paulò ante servarât, nec Aristidis fuga, qui unus omnium justissimus fuisse traditur; si postea summi ejusdem Civitatis Viri, quos nominatim appellare non est necesse, propositis tot exemplis iracundiæ levitatisque popularis, tamen suam Rempubl: illam defenderunt: quid nos tandem facere debemus, primum in ea Civitate nati, unde orta mihi gravitas & magnitudo animi videtur? tum in tanta gloria insistentes, ut omnia humana leviora videri debeant?*

Homines Græci, quos antea nominavi, iniquè a suis Civibus damnati atque expulsi, tamen quia bene sunt de suis Civitatibus meriti, tanta hodie gloria sunt, non in Græcia solum, sed etiam apud nos atque in cæteris terris, ut eos, à quibus illi oppressi sunt, nemo nominet: horum calamitatem, dominationi illorum, omnes anteponant. Quis Cartaginensium pluris fuit Annibale, consilio, virtute, rebus gestis, qui unus cum tot Imperatoribus nostris, per tot annos, de Imperio & de gloria decertavit? hunc sui Cives Civitate ejecerunt: nos illum, etiam hostem, literis nostris & memoria videmus esse celebratum.

Quare imitemur nostros Brutos, Camillos, Ahalas, Decios, Curios, Fabricios, Maximos, Scipiones, Lentulos, Æmilios, innumerabiles alios, qui hanc Rempubl: stabiliverunt; quos quidem in Deorum immortalium cœtu, ac numero repono. Amemus Patriam, pareamus Senatui, consulamus bonis, præsentes fructus, negligamus, posteritatis gloriæ serviamus: id esse optimum putemus, quod erit rectissimum: speremus quæ volumus, sed quod acciderit, feramus: cogitemus denique, corpus Virorum fortium magnorumque hominum esse mortale; animi

nimi vero motus & virtutis gloriam ſempiternam, neque Sanctiſſimo illo Herculē minus exiſtimemus eos, qui hanc tantam Remp: ſuis conſilijs, aut laboribus auxerint aut defenderint, aut ſervarint, eſſe immortalem gloriam conſecutos.

Videant Adoleſcentes quomodo hoc loci à Cicerone exempla Jlluſtrium Virorum adducta ſint, quamque vim in animos habeant. Qua in re majoris facilitatis gratia adhuc unum ex eodem Auctore adductorum exemplorum adjiciamus ſpecimen. Philoſophatur, paradoxo primo, probatque: opes, aurum, ſupellectilem pretioſam, voluptatem, non eſſe vera bona, ſed virtutem ſolam eſſe verum bonum:

Neque ego unquam bona perdidiſſe dicam, ſi quis pecus aut ſupellectilem amiſerit: neque ſæpe laudabo ſapientem illum Biantem, ut opinor, qui numeratur in ſeptem: cujus cum Patriam Prienem cæpiſſet hoſtis, cæterique ita fugerent, ut multa de ſuis rebus ſecum aſportarent, dum eſſet admonitus à quodam, ut idem ipſe faceret: ego vero, inquit, facio: nam omnia mea mecum porto. Jlle hæc ludibria fortunæ, ne ſua quidem putavit, quæ nos appellamus etiam bona. Quid eſt igitur, quæret aliquis, bonum? ſi quid rectè fit, & honeſtè, & cum virtute, id bene fieri verè dicitur; & quod rectum & honeſtum, & cum virtute eſt, id ſolum opinor bonum.

Sed hæc videri poſſunt obſcuriora, cum lentius diſputantur. Vitâ atque factis illustranda ſunt virorum ſummorū hæc, quæ verbis ſubtiliùs quam ſatis eſt, diſputari videntur. Quæro enim à vobis, num ullam cogitationem habuiſſe videantur, qui hanc Remp: tam præclarè fundatam nobis reliquerunt, aut auri, aut argenti ad avaritiam? aut amœnitatum ad delectationem, aut ſupellectilis ad delicias? aut epularum ad voluptates? Ponite ante oculos unumquemque Regum, vultis incipiam a Romulo, vultis poſt liberam Civitatem, ab ijs ipſis qui liberaverunt eam? Quibus tandem gradibus Romulus aſcendit in Cœlum? ijsne quæ iſti bona appellant? an rebus geſtis atque virtutibus? Quid? a Numa Pompilio, minus ne gratus Dijs immortalibus capedines, ac fictiles urnulas fuiſſe, quam filicatas aliorum pateras arbitramur? Omitto reliquos, ſunt enim omnes pares inter ſe præter ſuperbum. Brutum, ſi quis roget, quid egerit in Patria liberanda? ſi quis item reliquos ejusdem Conſilij ſocios, quid ſpectaverint, quid ſecuti ſint? num quis exiſtet, cui voluptas, cui divitiæ, cui denique præter Officium fortis & magni Viri, quidquam aliud propoſitum fuiſſe videatur? Quæ res ad necem Porſennæ Cajum Mutium impulit, ſine ulla ſpe ſalutis ſuæ? quæ vis Coclitem contra omnes hoſtium copias tenuit in ponte ſolum? quæ Patrem Decium, quæ filium devovit ac immiſit, in armatas hoſtium copias? quid continentia Caj Fabricij? quid tenuitas victus Marci Curij ſequebatur? quid duo propugnacula belli Punici Cneus, & Publius Scipiones, qui Carthaginenſium adventum corporibus ſuis intercludendum putaverunt? quid Affricanus major? quid minor? quid inter horum ætates interjectus Cato? Quid innumerabiles alios, nam domeſticis exemplis abundamus, cogitaſſe quidquam putamus in vita ſibi expetendum, niſi quod laudabile, eſſe & præclarum videretur? &c.

Sene-

Senectutem ad omnia ſtudia aptiſſimam, in Catone ita breviſſimè probat exemplis. *Num igitur hunc* [Catonem] *num Homerum, num Heſiodum, num Simonidem, num Steſichorum, num quos antè dixi, Iſocratem, Gorgiam, num Philoſophorum Principes Pythagoram, Democritum, num Platonem, num Xenocratem, num poſteà Zenonem Cleantem, aut eum, quem vos etiam Romæ vidiſtis, Diogenem Stoicum, coegit in ſuis ſtudijs obmutescere ſenectus? an non in omnibus ijs ſtudiorum agitatio, vitæ æqualis fuit? &c.*

Ex his liquet modus vel narrandorum, vel inſinuandorum duntaxat in Oratione, prout ubi opus eſt, exemplorum. Liquet item: quam verſatum in omni Hiſtoriæ genere, atque in optimorum lectione librorum eſſe Oratorem oporteat.

TRIA MONITA

Ad benè prius cogitandum, quam dicendum, Oratori neceſſaria.

PRimum quidem, id quod Ariſtoteles, Cicero, Tacitus, Quintilianus, alijque veteres & hujus ævi de Oratoribus Scriptores, tam copiosè tractarunt, tam ſæpè ſeduloque commendarunt; primum, inquam eſt: Oratorem eſſe oportere omnis doctrinæ & eruditionis genere præſtantem, qui excellenter cogitare velit, quique in Republ: præclaram eloquentiæ laudem aſſequi cupit. Quid enim ab homine penitus indocto, ac illiterato expectas? quid ab ignaro, tam ſuæ Patriæ, quam externarum rerum? quid ab eo, qui nihil legerit, nihil legat, nec ullum Hiſtoriæ, Politices, Philoſophiæ, Theologiæ, Legum Patriarum ſtudium, Eloquentiæ præmiſerit? Unde ille præclaras cogitationes hauriat? unde ille digna Virorum doctorum auribus judicijsque depromat? Prudentia quidem, ut toties dictum, prudentia, ſummum naturæ donum, in cogitando & dicendo perneceſſaria eſt: absque illa ſolidi nihil, levia, temeraria, & confuſa omnia, ſed ſi ſola quæ à natura orta eſt, prudentia nitêre, absque inſignis eruditionis adminiculo, tantundem tibi ac ignaro militi, & illiterato agricolæ tribuendum erit, quem multa, quæ expertus in vita eſt, quæque cum annis comperit, ſimplici quadam ratione differentem, probantemque auſcultes. Oratori certè cum prudentia, scientia, & ſapientia conjungenda eſt. Hoc monitum & multis, & ſummopere, & ſæpius inculcandum eſt Adoleſcentibus.

Alterum eſt. Qui de re quacunque Orationem agreditur, optimè rem ipſam de qua tractaturus eſt, prius oportet, intelligat. Niſi itaque perfectam plenamque rei, de qua acturus es, quamque tibi dicendam proponis, cognitionem habueris, niſi negotii totius, de quo dicturus es, penitus vim & naturam perſpexeris, niſi rationes omnes, pro re, & contra rem tibi planè pateant, niſi Perſonæ de quibus verba facturus es, & omnia quæ easdem reſpiciant, tibi nota ſint, niſi modi rei, ad effectum deducendæ quam ſuadendam diſſuadendamve ſuſcipis, in promptu ſint, niſi leges, uſus, mores, conſuetudines, exempla, judicia & teſtimonia aliorum, quæ rem tuam illuſtrent, perſpecta tibi ſint; orationem aggredi caveto. Quid enim tu

tu de vectigalibus, de monopoliis, de rationibus augendi Ærarii, de lege sumptuaria, de lustratione agrorum, de tributorum diversis generibus, de Judicijs corrigendis, de æqualitate Civili servanda, deque millenis aliis horum similibus maturè solidèque proferas, nisi penitus, quid sint hæc omnia noveris? Disce igitur prius & probè nosce, quid sit, id, de quo scripturus acturusque sis, id priùs bene ipsemet intellige, tùm cogitationes ipsæ de re bene cognita evolutæ, verbisque explicatæ congruis, solidam orationem efficient. Qui jam viri sunt, hanc rei, de qua agunt, intelligentiam, sibi ipsis, vel ab experientia, vel è libris, vel aliorum consilio procurabunt. Præceptorum verò interest, cum materiam scribendi tradunt, rem totam enucleare ac elucidare, illiusque claram & distinctam, ut vocant *idæam*, mentibus Adolescentum imprimere.

Denique si consideres, & *tuam*, qui verba facis *conditionem*, & *locum* in quo agis, & *Personas* quas alloqueris, nihil profecto tale cogitare, nihil proferre poteris, quod cum prudentia, decoro, humanitate, civilique societate perfectè non cohæreat, quod audientes, quamvis fortè contrariæ sint sententiæ, in tua Oratione offendat. Qua quidem de re plurimum diligenterque semper commonendi sunt Juvenes, ne, dum opposita aliis argumenta contrariasque opiniones defendendas suscipiunt, unquam urbanitatis legibus contrarium aliquid in dicendo committant, sed tam præsentes, etiamsi adversentur, quam absentes quascunque Personas, prout decet, tractare meminerint.

FINIS PARTIS PRIMÆ.

DE DISPOSITIONE ORATORIA.

PARS II.

§. I.

DE DISPOSITIONE ORATORIA JN GENERE.

NE dum Jnventio rerum prudenter, ſolidèque dicendarum, ſed & cum jam inventæ ſunt, earundem Diſpoſitio & Ordo, ad Artem bene cogitandi, ac deinceps bene dicendi, neceſſario pertinet.

1. *Quid eſt Diſpoſitio?*

Eſt pars Rhetoricæ quæ docet aptam, & partium Orationis, & Argumentorum Collocationem, & in ipſis probationibus ratiocinandi formam.

Alia eſt ergo Diſpoſitio *Orationis* in ſuas *partes*, alia diſpoſitio *inter ſe rationum* adducendarum, quæ *1mo*, quæ *2do*, quæ *3tio*, *&c.* loco ratio ponenda ſit, alia denique diſpoſitio inter-

interna ipsorum pro re probanda, adductorum *Argumentorum.*

Nam in paucis omnino *vel* longa, *vel* brevissima Oratione, natura ipsa docet, aliquid *præfari*, rem *proponere*, rem *probare*, *contraria* ubi opus est *refutare*, & *concludere*.

Exemplum brevissimæ Orationis hanc naturæ dispositionem sequendo. *Gratulari alicui volo in Conventu Provinciæ novum Senatorium honorem*, si id Oratione parata facio, non dicam mox, *gratulor Tibi honorem*, sed præfari debeo. *Vg*: " Gaudium, quod justus merito-
" rum arbiter Princeps, universis attulit Rei-
" publ: Civibus, cum Te Senatoriâ cohonesta-
" vit purpurâ, longe præcipuè ad nostram Pro-
" vinciam pertinet, [*rem propono*] ut in ea, am-
" plissimum, hunc, quem es consecutus hono-
" rem, meo omniumque Nomine, cum tibi tum
" nobismet ipsis vehementer gratulor. [*Rem*
" *probo quare gratulor tibi.*] Neque enim pul-
" chrius obtinere præmium tua semper specta-
" ta virtus, tuumque ingens de Patria me-
" rendi studium potuit, nec prudentia, ac sapi-
" entia tua illustriore poni loco, unde in uni-
" versam Rempubl: Consilij Tui lucem diffun-
" das, quam cum ad sublimem hanc, inter Re-
" gni Optimates, beneficio Regio provectus
" Curulim es. (*Probo quare nobis gratulor*)
" Sed si tuo id bono, certe non minore & no-
" stro id tibi evenisse agnoscimus. Quanta
" enim est hujus nostræ Provinciæ, ejusque Co-
" mitiorum hæc gloria, tantæ apud Regem, Ci-
" vesque omnes Auctoritatis & fidei, tantorum
meri-

" meritorum, tantæ in omnibus Divinis huma-
" nisque rebus & legibus doctrinæ & scientiæ,
" tantæ in re militari experientiæ & laudis, tot
" gloriosè gestis bello & pace muneribus, te
" præclaro fortissimoque Viro, Optimo ac Sa-
" pientissimo Senatore, cætum hunc nostrum
" ornari, [*Concludo*] Esto jam id felix faustum-
" que & toti Reipublicæ, & Principi, & nobis
" omnibus, & tibi ipsi: fruere quam diutissimè
" ornamentis his tuis, quo ijs & nobis tecum
" frui diu per fata liceat, & tu semper magis
" magisque cognoscere possis, quam magni
" cum dignitatem tuam, tum nostram ex hoc
" Tuo in Provincia nostra honore fortunam fa-
" ciamus, semperque æstimaturi simus.

Exemplum aliud in genere deliberativo. *Grani omnis evectionem extra limites Regni, esse lege prohibendam.* Præfari debeo vel brevissimè; " Calamitosissimi hujus temporis ra-
" tio satis vobis perspecta est Cives. [*Propono*]
" Evectionem itaque grani, cujuscunque ge-
" neris extra limites Regni lege prohibendam
" esse, minimè recuso. [*Probo*] Nummi siqui-
" dem, quo locupletiores Simus, panis vero ut
" vivamus, necessarius nobis est. Peste & bello,
" fames non est minus noxia populis. [*Re-*
" *futo Contrarium*] Quod si qui abundant
" frumento quæruntur fortasse parum se ha-
" bere pecuniæ, seque ea agere: at si omnes
" hâc causâ venditum eant omne grani genus,
" ut ut conflent pecuniam, suos tamen agrico-
" las, sine quibus vivere non possint, fame qui-
" dem interiment, pecuniâ vero postmodum
"quam-

" quamvis maximâ, panem nequaquam repe-
" rient. Jam si vendere opulentioribus licebit?
" Cur non aliis? cur non æquè omnibus? quod
" si jam omnibus? quid alimenti domi supererit?
" [*Concludo*] Justissimam itaque, providam, per-
" necessariam legem hanc fore, decretumque
" existimo. *&c.*

Hæ itaque partes Orationis omnino naturales, ex his patent exemplis, & in quavis etiam his minore, multo magis majore Oratione omnino necessariæ sunt. Quæ ut suis distinguantur nominibus, quæritur:

2. *Quæ sunt Partes Orationis?*
Quinque: Exordium. Propositio. Probatio. Confutatio, cum ea opus est, & Peroratio.

§. II.

De Exordio.

3. *Quid est Exordium?*
Est accessus quidam ad dicendum, qui rei proponendæ præmittitur.

4. *Possuntne describi modi exordiendi?*
Nequaquam: cum innumeri sint, imo fere infiniti.

QUis enim diversas hominum cogitationes, quæ occurrere cuique possunt, regulis definiat? sed quod tibi in mentem primum venit

nit ponendum, est Exordium. Pauci tamen aliqui Exordiorum modi, pro incipientibus infra ponentur.

5. *Quæ est prima exordij virtus?*
Ut sit in illo talis cogitatio, quæ facile ac naturaliter connecti possit cum propositione, talis cogitatio, quæ aliena non sit à re, de qua acturus es.

DIcturus es, *Vg: in seditiosos contra Principem*, quæ nam prima tibi cogitatio veniat connexa *cum seditione in Principem*? Possunt perquam diversæ occurrere, mihi talis occurrit: quod *inauditæ sint apud nos seditiones in Principem.* Jtaque ab hac cogitatione exordirer. " Qua cum animi voluptate, Cives,
" aut legimus, aut audivimus, Rempubl: no-
" stram, nullo hactenus seditionis in Principes
" flagitio contaminatam fuisse, pari nunc mæ-
" rore ac dolore spectamus funestissima hæc pu-
" blicæ calamitatis præludia, *&c.* Hic exponeretur res, & sequeretur Propositio: *Nascentem seditionis flammam in ipso esse extinguendam principio.*

Dicturo contra eorum sententiam, *qui bellum suaderent*, potest hæc prima objici cogitatio, cum belli dissuasione connexa: *Pacem hucusque habuimus, pace hucusque lætati sumus.* Igitur ab hac cogitatione exordium sumerem.
" Pacem & beatum otium, Cives, quo à tot an-
" nis frui nobis Divinitùs licuit, nescio, an nos
" ipsi felicitatis nostræ pertæsi, ultro turbatum

 " imus,

" imus, an illud quædam fati malignitas nobis
" invidet. [*Propositio*] Tamne inconsulto tutæ
" diuturnæque paci, bellum nobis præferendum
" videatur? quid nos cogit? quæ fatalis neces-
" sitas, quæ id deposcit utilitas, ut alienis nos
" immisceamus periculis? imò quæ certissima
" nos non absterreant mala, quæ proculdubio
" præceps nostrum sequentur consilium, *&c.*
quæ fusiùs in Oratione.

Dicturo *de flumine navigabili reddendo*, simile quid mox in mentem incidere potest: *Navigatio fluminum commercia faciliora reddit.* Hinc ordirer. " Ea quæ ad utilitatem Patriæ, at-
" que ad faciliorem comerciorum rationem pro-
" movendam necessario pertinent, si vobis hoc
" loco proponantur, Cives, & grata cunctis fo-
" re, & unanimi consensu vestro probanda, ac
" decernenda esse minime dubito. [*Expositio*
" *rei, & propositio*] agitur itaque de flumine.
" *&c.*.

Dicturo in Judiciis Regni, cum aperiuntur, *de Judicum partibus in eorum juramento contentis*, hæc fortasse prima cogitatio occurreret, *De Justitio apud Romanos indici solito.* Inde Exordium. " Utinam, Cives, ita res essent
" nostrum omnium, ut perpetuum quoddam
" justitium, ac perpetua & judiciorum cessatio,
" & à muneribus Judicum vacatio, indici in Re-
" publ: possint: Sed cum id res humanæ non
" ferant, imò potiùs innumerabiles undi-
" que, & causæ litium exoriantur & lites, cum
" tot sint semper qui justitiam sitiant, ejusque
" rectam administrationem solicitè quærant,
" dies

" dies itaque hic sacer lege patria præfinitus
" illuxit, ut vos Judices, tanto Provinciarum
" consensu delecti, utpote Viri sapientia &
" virtute spectatissimi, in hoc Regni Areopago,
" sanctum illud ac populis venerabile, auspica-
" tò ineatis officium, cujus partes in eo, quod
" solenniter emisimus jurejurando descriptas,
" non tam vobis, quàm mihimetipsi, paucis
" commemorare, pro munere meo mihi liceat.
Jam breviter de conditionibus Judicum, in juramento expressis, Præses Areopagi diceret,

Dicturus ad externum quempiam Principem *pro suppetijs in bello petendis*, primum fortasse hoc cogitaret. *Principem hunc, nedum ob amicitiam erga nos, sed & ob suam gloriam rationesque proprias, ad nos juvandos obligari.* Inde Exordium duceretur. " Si solam dun-
" taxat, Rex noster & Respubl: respicerent ami-
" citiam, quam cum ijs, & tu N. & augusta
" Domus tua constantem sinceramque semper
" coluit, jam vel hæc ipsa veteris mutuæque
" benevolentiæ, satis esset memoria, cur in im-
" minenti à fædifrago & ingrato hoste, Regni
" calamitate, affuturum sibi omne à Majestate
" tua præstolarentur, sperarentque auxilium:
" nunc vero Illud tanto majore fiducia à tua
" Majestate quærendum sibi esse non dubitant,
" quod & ipsiusmet gloriæ tuæ, & Imperij tui
" rationes, permagno tibi incitamento sint, ne
" Respubl: libertasque nostra detrimenti ali-
" quid patiatur. Tum sequeretur explicatio
" harum rationum.

Dicturo *in ipso Comitiorum vel Senatus-*

Consilij initio, primum in mentem forte veniret. *Gratias Deo imprimis, deinde Principi esse agendas*. Hinc Exordium effluereat. " Illis im-
" primis, quorum beneficio in hunc Comitio-
" rum prosperè confluximus locum, DEO O-
" ptimo Maximo immortales, Regi solennes sint
" gratiæ, è voto, & nomine universorum ordi-
" num. Nullæ satis à nobis illi victimæ, per
" quem Reges regnant, & legum conditores ju-
" sta decernunt, quod & sacrum Reipubl: caput,
" & Rempubl: incolumem, divinitus servet,
" quodque pro salutaribus Patriæ instituendis
" consiliis, & tempus nobis opportunum, &
" salutem concesserit. Jam & testificando, gra-
" to omnium erga Principem Nostrum animo,
" quæ Oratio par esse potest? qui, quam suæ sa-
" luti nostram præferat, luculenter ostendit,
" cum diurnis nocturnisq; curis, quibq perpetuo
" pro nostra securitate, & tranquillitate vacat,
" adijcere tam libenter non dubitat, incredibi-
" les, quos probè è præteritis noscit, præsenti-
" um Comitiorum labores. Sed quæ Regi vi-
" derentur gravia, Patri populorum levia hæc
" videntur incommoda. [*Propositio*] Nostrâ ita-
" que interest, & Divino muneri & Optimi Prin-
" cipis Nostri magnis pro bono publico conati-
" bus, & Patriæ totius expectationi cumulatè;
" respondere, ac ut tot iam infeliciter dissipa-
" tis, hæc tandem Comitia fausto terminentur
" exitu, tota virium contentione agere. *&c.* Se-
querentur rationes quæ probent, Comitia hæc Reipubl: esse necessaria.

Dicturus *De Republ: in Senatu Sententi-*
am,

am, cogitaret fortasse imprimis: *tam propositiones à Rege ad deliberandum porrectas, quam ipsasmet actiones Regis, esse Reipubl: salutares.* Ab hac itaque cogitatione ita ordiretur: " Quē-
" admodum rogationibus ad deliberandum Se-
" natui & Reipubl: à Majestate Tua porrectis
" nihil Patriæ salubrius, cogitari potest, ita &
" nihil evidentiùs est, & animo vere paterno
" Majestatis Tuæ, unde hæc de bono nostrū o-
" mnium anxietas & sollicitudo derivatur, &
" operibus ipsis Majestatis Tuæ veri populorum
" Parentis, quæ ad bonum Reipubl: constan-
" ter tendunt. Non est hujus loci hæc ad cal-
" culum revocare. Pax ipsa & beata hucusque
" tranquillitas Regni, fons & origo omnium,
" quibus frui nobis licet, bonorum & commo-
" dorum, opus manuum tuarum est, soli tuæ
" sapientiæ providentiæque debetur. Quæ jam
" nobis consulenda præscribis Rex Auguste, tu
" illis tuo præluces consilio, cui utinam hu-
" mana non obsit, & nunquam obfuisset mali-
" gnitas, fortunatam felicemque haberemus
" Rempublicam. *&c.* Ad ipsas jam rogationes accedo.

Gratulaturus *Diem Natalem Principi, vg: Primati*, primam hanc cogitationem arripio,
" Conscius tibi ipsi es Princeps, quam potenti
" præsidio, res nostras tutatus sis, quantisque
" nos beneficiis constanter affeceris; proinde
" dubitare non potes, non alio ullo fonte, sed
" è sola grati animi obligatione, officia hodie
" erga te nostra proficisci. Gratulamur majore,
" quam verbis complecti possimus, erga te ani-
" morum

" morum propensione, Tibi quidem Natalem
" tuum, quem sanus incolumisque agis diem,
" sed & Patriæ fortunatam hanc lucem &c.

Tractaturus aliquam moralem Materiam, *vg: quam promptos nos esse oporteat, ad benefaciendum miseris;* sic à connexa cum hac materia cogitatione ordior: " Jta à natura efficti
" formatique sumus, ejus ut auscultando vo-
" cem, nisi eam aut ferina quædam educatio,
" aut aliqua pessima vis exempli domestici, in
" nobis obtuderit, ad misericordiam in miseros
" proclives nos esse oporteat. Sed quid vacua,
" & vana commiseratio proderit, si calamito-
" sis, quam possumus, non mox opem fera-
" mus? &c.

Jtem *de vero semper amando.* Jta exordior, ab observata in pueris ad mendacia propensione: " Nihil tale est, ad quod esse procli-
" vior juvenilis observetur ætas, quam quavis
" occasione data, aut ad vitium negandi, si quid
" commiserit, aut contra ad affirmandum id,
" quod re vera non fuerit. Jnde fr/dissima illa
" fatalisque in reliquum vitæ tempus, mentien-
" di consuetudo. Ad verum ergo semper aman-
" dum, semper dicendum, etiam cum periculo
" pœnæ, vehementer continuoque cohortandi
" sunt &c. Tum rationes ob quas vitari menda-
cium debeat, sequentur.

Jn his & innumeris exemplis observent Juvenes, quam nullibi à propositionis ipsius verbis sermo cœptus sit, sed aliqua ubique prælocutio facta, aliqua ubique prævia cogitatio antecessit, ad rem tamen proponendam seu de

qua

qua agitur, omnino pertinens: quæ est prima & pulcherrima exordii virtus.

Communia nimis exordia, aut negligentiæ nota sunt, aut sunt puerorum adminicula. Quales sunt: *Hæreo quid dicam in tanta Virorum sapientum frequentia* &c. *Si Oratorum Princeps, totis artubus in dicendi principio, sese contremiscere affirmavit, multo magis* &c. *Præclaris eorum qui ante me dixerunt, me conformando sententiis.* &c. *Quoniam omnia quæ hic in medium afferri solent, ad utilitatem tendere oportet, utilem rem & ego* &c. Hæc nimis generalia sunt, & multa id genus. Elevanda igitur mens est, ut cogitatio proponendæ rei propior reperiatur.

6. *Quæ altera Exordij virtus? Brevitas.*

DE brevitate Exordij id animadvertendum est: si futura sit perlonga Oratio, ut panegyricus, concio sacra; dissertatio &c. talis Oratio paulo longius non fastidit exordium: quod tamen si duodenis, quindenis, vicenis, plus minusve periodis constet, satis amplum sit, secus degeneraturum in vitium. Talium exordiorum exempla videantur in Ciceronis Orationibus, *vg:* pro Sextio, in Vatinium, pro Cælio, pro Cornelio Balbo, pro Lege Manilia, pro Archia Pòèta, pro Marco Marcello &c. &c.

Contra Antonium Philippica 2da, à suis cum Marco Antonio inimicitiis oblongum sumit exordium. *Quo nam meo fato Patres Conscripti, fieri dicam, ut nemo his Annis viginti*

Reipub:

Reipubl: hoſtis fuerit, qui non bellum eodem tempore mihi quoque indixerit? Nec vero neceſſe eſt, à me quemquam nominari vobis, cum ipſi recordamini. Mihi pœnarum illi plus, quam optarem, dederunt. Te miror Antoni, quorum facta imitere, eorum exitus non perhorreſcere. &c. &c.

Sed qui longiores ejusmodi Orationes conſcribere poterunt, ijdem certê & longiora fine Magiſtro conſcribent exordia. Orationes Civiles ſolitas cujuscunque generis, breve Exordium omnino decet.

Nos ſuperioribus exemplis, in quibus ſatis brevitas elucet, addamus unũ Legati in Comitiis. Prop: *Viarum publicarum reparationem lege decernendam eſſe.* Exordior ita. "Non ideo Cives, quod res quædam videantur perdifficiles, " etiam continuo fieri eædem nequeant. In aggrediendis rebus maximis difficultates quidem " animo occupandæ ſunt, non ut nos à bene " meditatis abſterreant, ſed ut conſilio & prudentia vincantur. Qui vero magnum aliquid " meditatur, imprimis neceſſitatem utilitatemque rei expendere debet, his moveri, his eum " incitari oportet. [*Propoſitio*] Jam itaque cum " viarum publicarum reparationem lege eſſe " decernendam, vobis proponere, induxi in animum, primam rei hujus neceſſitatem, deinde " uberes ex ea fructus, vobis ob oculos ponere, tum & difficultatibus reſpondere, mei erit, " ſi permittetis officii, *&c.*

7. *Quæ tertia Exordij virtus?*

Ut

Ut ſit facile, lentum, naturale, nec mox vehemens.

AB exclamationibus ingentibus, à vehementibus figuris mox ordiri, ſanè vel puerile vel fatui eſt. Homines non ita loquuntur, re aliqua penitus extraordinaria excepta, idque perraro, ſatiùs tamen nunquam.

Ut ſi vg: *de cæde à proditore facta, ſummi alicujus Viri vel Principis* dicendum eſſet, moderatione tamen utendum principio eſt. *vg:* " Eo ſæculo nati ſumus, eo vivimus, cujus tragici funeſtique eventus, aut veterum omnium " temporum hiſtoriæ cuivis, quantumvis incredibili fidem adſtruant, aut etiam exempla ac " facinora, quæ non ſine ſtupore memorantur, " propemodum ſuperent. Et quid jam eſt, ad " cujus duntaxat recordationem, dum legimus, " tremere ac perhorreſcere ſolemus, quid inquam eſt barbaris illis inhumanisque quibusvis temporibus, aut auditum, aut viſum, quod " noſtra hac ætate atque hiſce oculis non ſpectemus? *&c.*

Si te jam illud: *Quousque Catilina abutere patientia noſtra &c.* tantopere oblectat? atqui & neceſſitas, quæ perraro occurrit, loci ac perſonæ, id expoſcere viſa eſt, & lege tot alia Ciceronis exordia, etiam vehementer incenſi, lentè ubique incipientem reperies. Jn quem nam magis quam in Marcum Antonium excanduit? Vidiſti tamen mox ſuperiùs, quam planè lente inceperit. *Quo nam meo fato: &c.*

Sed de Virtutibus Exordiorum ſatis, cæteræ uſu & lectione. Quæramus jam:

8.

8. *Quot sunt pro incipientibus præsertim, frequentiores Exordiorum modi?*

Quamvis innumerabiles sint, aliqui tamen obvij tyronibus Eloquentiæ per exempla suggerentur.

A propria Persona.

LEgatus in Comitiis senex ad discordes Cives loquitur. "Vicies jam amplius partibus "Reipubl: admotus, Legati munere Comitijs "adfui, multa memini, multa spectavi, multa "dolui, quæ memorari piget, sed simile præ- "senti rerum confusioni, nihil unquam con- "spexi. *&c.*

Legatus Juvenis: "Ætas mea, me, quæ "agitis, quæ dicitis, observare, mirari, & silen- "tio discere, monet: sed cum mihi & ex ordi- "ne Provinciæ meæ dicendum sit, & Rempub: "in maximo discrimine versari vobiscum con- "spiciam, ejus, quam mihi præscripseram, taci- "turnitatis religione me solvi, ac libera voce "utendum hic mihi esse video. *&c.*

Capitolinus Consul in discordiis Civium ad Populum Romanum, ita à sua persona cæpit, „ Etsi mihi nullius noxæ conscius, Quirites, sum, „ tamen cum pudore summo in Concionem ve- „ stram processi, *&c.*

Mennius Dictator ad Populum, apud quē accusatus erat, à persona sua ita orsus: „ Et „ omnes anteactæ vitæ meæ vos conscios ha- „ beo Quirites, & hic ipse honos delatus ad „ me, testis est innocentiæ meæ *&c.*

Mu-

Mutius Scevola ad Regem Porsenam quem occidere voluit, à sua persona orditur. „ Romanus sum Civis, C. Mutium vocant: hostis „ hostem occidere volui: nec ad mortem animi „ minus est, quam ad cædem fuit: & facere & „ pati fortia Romanorum est. *&c.*

Cottæ Consulis senis accusati ad populum, à propria persona exordium: „ Multa mi- „ hi Quirites pericula domi, militiæ, multa ad- „ versa fuêre: quorum alia toleravi, repuli alia „ Deorum auxiliis, & virtute mea *&c.* Malæ „ secundæque res, opes non ingenium mihi „ mutabunt: at contra in his miseriis cuncta me „ cum fortuna deseruêre. Præterea Senectus „ per se gravis, curam duplicat, cui misero acta „ jam ætate, mortem quidem honestam sperare „ licet. *&c.*

Philippus Macedo inter duos Filios, quorum unus alterum parricidij accusavit, à sua Patris persona, ita exorsus. „ Sedeo miserrimus „ Pater Judex inter duos filios, accusatorem „ parricidij & reum, aut confecti, aut admissi „ criminis lubem, apud meos inventurus. Jam „ pridem quidem, hanc procellam imminentem „ timebam, quum vultus inter vos minimè fra- „ ternos cernerem, quum voces quasdam ex- „ audirem; sed interdum spes animum subibat, „ deflagrare iras vestras, purgari suspiciones „ posse: subituram vobis aliquando germanita- „ tis memoriam, meorū denique præceptorum, „ quæ vereor ne vana surdis auribus cecinerim. „ Quoties ego audientibus vobis detestatus „ exempla discordiarum fraternarum, horren- „ dos

„ dos eventus eorum retuli, quibus se stirpemq; „ suam, domos, regna, funditus evertissent? &c.

Segestis Oratio ad Romanos, auxilium contra suos implorantis, à sua persona sic cepta: „ Non hic mihi primùs erga populum Romanum fidei & constantiæ dies. Ex quo à D. „ Augusto Civitate donatus sum, amicos inimicosque ex vestris utilitatibus delegi, &c.

Otto, victus à Galba, Jmperator, ad milites incipit à sua persona. „ Quis ad vos proceserim commilitones, dicere non possum, quia „ nec privatum me vocari sustineo, Princeps à „ vobis nominatus, nec principem, alio imperante.

Cicero pro Rege Dejotaro ad Cæsarem, à sua „ persona incipit: „ Cum in omnibus causis gravioribus C. Cæsar, initio dicendi commoveri „ soleam vehementiùs, quam videtur vel usus, „ vel ætas mea postulare, tum in hac causa, ita „ me multa perturbant. &c.

Idem pro Marcello, à sua persona orditur, quod diu tacuerit in Senatu. „ Diuturni silentii P. C. quo eram his temporibus usus, „ non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia, finem hodiernus dies attulit, „ idemque initium, quæ vellem, quæque sentirem, meo pristino more dicendi.

Jta in funere Parentis exordiri à sua Persona posset filius: „ Si cui tam triste acerbumque bonis omnibus funus & ingens dolor, „ verba præcludere, me certe elinguem taciturnumque reddere, imo vitæ ipsius usum, cum „ vitæ

„ vitæ meæ auctore mihi eripere debuit. Vestra „ tamen etiam in manes optimi Parentis mei, „ quam lachrymæ omnium abunde hic testatæ „ sunt, benevolentia, gratias vel à lachrymante „ ac singultiente extorquet. &c.

Jta in Consilio Jllustrissimorum Virorum Junior aliquis à sua persona ordiretur. „ Vix initiatus in Republ: cui ad ejus nedum procurationem, sed & ipsam cognitionem multa „ adhuc desint, quod in hoc illustri summorum „ sapientissimorumque Virorum consessu verba facere ausim, & munus mihi à Provincia „ impositum, & voluntas atque alacritas, utilem aliquando, loco huic, ex me formandi „ Civem, me vobis facile excusabunt. &c.

A personis coram quibus dicitur.

Metellus apud Livium Censores populi Romani Emilium & Fulvium inter se infestos, ad concordiam hortatur, & ab eorum, quos affatur, personis exorditur: „ Non obliti sumus Censores, vos paulo antè ab universo populo „ Romano, moribus nostris præpositos esse, & „ nos à vobis & admoneri & regi, non vos à „ nobis debere. Indicandum tamen est, quid „ omnes bonos in vobis, aut offendat, aut certe mutatum malit. &c. Inimicitias per annos multos, vobis ipsis graves & atroces geritis: quæ periculum est, ne ex hac die, nobis & Reipublicæ quam vobis graviores fiant. &c.

Legatus ab Equestri Ordine ad Regem, à Persona Regis & Senatus, ita ordiretur: „ Tanta

„ ta est, tua hæc, Auguste Rex, D. C. Majestas, „ quæ & ex Regiæ Personæ, Divinum quid com- „ plexæ venerabili aspectu, & ex Summi Sena- „ tus, latus tuum circumsidentis, amplitudi- „ ne conflata est, ut nisi illam innata tibi comi- „ tate ac clementia temperares, nos, qui ab „ Equestri nostro Ordine huc missi sumus, at- „ tonitos mutosque redderet. Patrem Te ta- „ men, nedum tui Regem ac Dominum esse „ populi, cum mihimet mente repeto, ita me „ cogitatione hac erigi excitarique sentio, ma- „ gna ut animum meum fiducia subeat, benignè „ te recepturum, & officia, quæ à congregata „ Tuo jussu Nobilitate Majestati tuæ præsenta- „ re, partes nobis impositæ sunt, & Nuncium, „ quem Majestati Tuæ ferimus, de electione „ nostri Mareschalci, sub felicibus auspiciis tu- „ is concorditer facta, &c.

In Comitiis Provinciæ, à Personis coram quibus dicendum sit, ita aliquis ordiretur: „ Le- „ ctissimus hic, cum sapientia & auctoritate Il- „ lustrium Senatorum, tum magnorum eorun- „ demque consilio, amore Patriæ, & meritis in „ Rempubl: præstantissimorum, Civium cætus, „ prius à me profundæ venerationis, quam sin- „ gulis perlibenter exhibeo, officia exigit, quam „ meam de rebus, quæ præsentibus Comitiis „ tractandæ proponuntur sententiam &c.

Jta à personis Auditorum, ut: Judicum, Militum, Consiliariorum, Magistratuum, Præsu- lum, Virorum gravium, hominum doctorum, Juvenum, &c. variæ cogitationes, ordienti sermonem, subijcientur.

A per-

A Personis à quibus aliquis mittitur.

Legati Campanorum ad Senatum Romanum. „ Populus nos Campanus Legatos ad Vos „ P. C. misit, amicitiam in perpetuum, auxilium „ præsens à vobis petitum &c.

„ Rex & Respubl: perpetui fidelesque „ semper Majestatis Tuæ. amici, socij, & fœde- „ rati amplissimo, me cohonestarunt legationis „ hujus munere ut &c. „ Jta Legatus ad Princi- pem aliquem ordiretur.

Legatus à Tribunali Regni ad Regem. „ Tribunal Tui Regni Auguste Rex, quod Te „ Principem justum Tuis exhibet populis, nos „ ad Thronum Tuum, ceu, fontem justitiæ de- „ legavit, ut &c.

Dicturus nomine Provinciæ ad novum Palatinum: „ Quæ te magnopere desideravit, „ Divinitusque magnis votis expetiit, quæ, „ tuo, suoque in te honore, incredibiliter gavisa „ est, Provincia nostra, N. per me tibi auspica- „ tissimum tuum gratulatur adventum. &c.

Viri Militiam profitentes ad Tribunal Militare. „ Jlli qui vitam & sanguinem, vobis, Pa- „ triæque defendendæ, perpetuo Sacramento „ dicarunt, ante Augustum vestrum se se si- „ stunt Tribunal &c.

Senator à Rege & Senatu ad conclave Ordinis Equestris missus inciperet. „ Regis in „ vos benevolentia & amor, Senatus de vobis „ cura & solicitudo, nobis hoc muneris injun- „ xerunt, ut &c.

A Tem-

A temporis circumstantiis.

Saguntinus Orator apud Livium à calamitoso tempore ita ad Senatum loqui orditur. „ Et si nihil ultra malorum est. P.C. quam quod „ passi sumus, ut ad ultimum fidem vobis præ„ staremus, tamen ea vestra merita imperato„ rumque vestrorum erga nos fuerunt, ut nos „ cladium nostrarum non pæniteat. Bellum „ propter nos suscepistis, susceptumque, quar„ tum decimum annum tam pertinaciter geri„ tis, ut sæpe ad ultimum discrimen, & ipsi „ veneritis &c.

Cicero pro Cælio, orditur, à circumstantia dierum Festorum, quibus Cœlij exerceabatur judicium. „ Si quis judices forte nunc ad„ sit ignarus legum, judiciorum, consuetudinis „ nostræ: miretur profecto quæ sit tanta atro„ citas hujusce causæ, quod diebus festis ludis„ que publicis, omnibus negotijs forensibus „ intermissis, unum hoc judicium exerceatur, „ nec dubitet, quin tanti facinoris reus argu„ atur, ut eo neglecto, Civitas stare non pos„ sit &c.

Tempore belli inter vicinos, Comitia aliquis ita exordiri posset. „ Cum vicina omnia „ belli flamma corripuerit, ac ea longè latèque „ depascatur, arma undique sunt, sangvinis hu„ mani nulla fere satietas sit, nos beato otio „ frui, nos ad consulendum de Republ: securos „ confluere, cui id nos in acceptis referre opor„ tet, quam imprimis D. O. M. Datori servato„ rique pacis, deinde felicissimis Augusti Regis „ No-

„ Nostri auspicijs, ac singulari ejus de nobis „ in pace conservandis, tum studio, tum sapi„ entiæ, &c.

Ita Comitiorum Præses, die 10. Octob: qua pro victoria ad Chotimum Turcica, DEO Gratiæ aguntur, diei illius sessionem inchoavit. " Felicem faustumque hunc in fastis Reipubl: " diem, quo Majores nostri formidabilem ad " Chotimum profligarunt & protriverunt bar" barorum exercitum, auspicato nobis illuxisse " utinam ominari liceat, ut quum illi Rempub: " armis, voluerunt, hanc nos Consiliis hodie " salvam esse velimus. Nihil enim imprudenti" us dixero, si affirmem, non cum minore, nec " cum minus noxio, barbaris omnibus, hoste rem " nobis hic esse, cum discordibus nimirum Civi" bus, à quibus certior, quam vel ab imma" nissimis hostibus Reipubl: clades metuenda " est. &c.

A DEI Religioso Cultu.

Legatus ad Regem à Provincia. " Et ipsa " justa religio, & singularis erga Majestatem " Vestram populorum amor, imprimis nos, ad " gratias DEO O. M. litandas excitat, quod Te " Rex salvum & incolumem Reipubl: servet; " unde ei res nostras cordi esse, cum Tua salus " curæ illi est, non vanè conijcimus, &c.

Comitia aliquis orsurus. " Gratiæ impri" mis immortales Supremo Numini, ut Regno" rum & Rempubl: Conditori, Servatori, & Præ" sidi, quod hunc in locum nos omnes salvos " incolumesque coegerit, &c.

Valerius Corvinus ad conjuratos & seditiosos milites. "Deos immortales, milites, vestros, publicos, meosque ab urbe proficiscens ita adoravi, veniamque supplex poposci, ut mihi de vobis concordiæ partæ gloriam, non victoriam darent. Satis fuit eritque, unde belli decus pariatur, hinc pax petenda est. Quod Deos immortales inter nuncupanda vota expoposci, ejus me compotem voti vos facere potestis. &c.

Portius Cato ad populum. "Nulli unquam Concioni, Quirites, tam non solum apta, sed etiam necessaria, solennis Deorum comprecatio fuit, quæ vos admoneret, hos esse Deos, quos colere, venerari, precarique, Majores vestri instituissent. &c.

Plinius ita laudes Trajani orsus est. "Bene ac sapienter P. C. Majores instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium à precationibus capere, quod nihil ritè, nihilque providenter homines, sine Deorum immortalium ope, consilio, honore, auspicarentur. Qui mos, cui potiùs quam Consuli? aut quando magis usurpandus colendusque est, quam quum imperio Senatûs, Authoritate Reipubl:, ad agendas optimo Principi gratias excitamur?

A Sensu Communi seu Generali, aut universali Propositione, seu Thesi, qui modus frequentissimus est.

De tributo aliquo sciscendo acturus, ordiare à generali propositione. "Absque tributis ærarium Reipub: vacuum esse; absque nervo viribusque ærarij, pro bono & commodo publico fieri nihil posse; Rempubl:, nisi Cives contribuant, pauperem, debilem, inopemque semper fore. De legatione ad aliquem Principem, mittenda inciperes. "Legationes ubivis gentium esse necessarias & utiles. De fortalitio erigendo vel muniendo, sermonem sic inchoares. "Fortalitia esse munimenta Reipubl: necessaria. De fædere ineundo exordireris. "Nullam Gentem, absque gentis alterius ope hucusque stetisse. De monetæ correctione. "Omnia tempore minui, mutari, & deteri, nisi instaures & renoves. &c. De infortunio hoc vel illo patienter ferendo, ordieris: "Nondum esse natum hominem, qui privilegio Deorum malis omnibus exemptus sit, mundum, campum, vitam præsentem, Palæstram patientiæ esse. &c. &c.

Jta Cæsar pænâ mortis à conjuratis aversurus, à sensu generali orditur. "Omnes homines P. C. qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet.

Jta Valerius Publicola se ipsum suspicione Regni affectati purgaturus, à generali sententia incipit. "Nunquam ne ergo ulla adeo vobis spectata virtus erit, ut suspicione violari nequeat? egone me, illum acerrimum Regum hostem, ipsum cupiditatis Regni crimen, subiturum timerem?

Jta Mutianus apud Tacitum, Vespasiano, ut Jmperium acceptet, consulens, à sensu universali

versali orditur. " Omnes qui magnarum rerum " consilia suscipiunt, æstimare debent: an quod " inchoatur, Reipubl: utile, ipsis gloriosum, " aut promptum effectu, aut certè non arduum " sit; simul ille qui suadet, considerandus est, adij- " ciat ne consilio periculum suum, & si fortuna " ceptis adfuerit, cui summum decus acquira- " tur. Ego te Vespasiane ad Imperium voco, " tam salutare Reipublicæ quam tibi magnifi- " cum, &c.

Ab observatioae morum, usus, disciplinæ veteris vel præsentis, consuetudinum. &c.

Qui novam legem condendam suaderet, ordiretur. " Usu probatum est, leges eggregi- „ as, ex delictis aliorum gigni. Sic Oratorum li- „ centia Cinciam, Candidatorum ambitus Ju- „ lias leges, Magistratuum avaritia Calfurnia „ scita, apud Romanos pepererunt. Nam culpa „ quam pæna, tempore prior, emendari quam „ peccare, posteriùs est. Ergo adversus novam „ Provinciarum superbiam, dignum fide, con- „ stantiaque Romana capiamus consilium. &c. Jta cepit Pætus Traseas apud Tacitum.

Marius ad Quirites pro suo militari Imperio, ad Populum verba contra Nobiles facturus, à tali observata per se consuetudine orditur. „ Scio ego, Quirites, plerosque non ijsdem „ artibus Imperium à Vobis petere, & post- „ quam adepti sunt gerere; primo industri- „ os, supplices, modicos esse: deinde per igna- „ viam & superbiam ætatem agere &c.

Jta

Jta aliquis, Juvenes cognitione Reipubl esse imbuendos suasurus, inciperet. „ Majores „ Nostri hunc nobis usum, hoc reliquêre exem- „ plum, ut ad Consilia publica, Juvenes secum „ ducerent &c. Jta alius inchoaret: „ A ju- „ ventute mea id observatum mihi fuit, mox „ ut militiæ nomen dedi &c. Vetus disciplina „ loci hujus ea semper fuit. &c. Morem semper „ perinde laudabilem ac religiosum, Civitas no- „ stra semper hunc tenuit. &c. Suasurus aliquis cautè cum vicino potente & fallaci procedendum esse, sic inchoaret. „ Observavimus „ semper, eos qui semel fraude circumventi „ sint, majore longè cautione & diligentia uti, „ ne iterum, à vafris ijsdem hominibus decipi- „ antur. &c.

Defensurus aliquis contra popularem invidiam & contemptum, novum quempiam in Republ: hominem, ab hac observatione inciperet: „ Nihil ferè sæpius videmus, quam homi- „ nes veteri illustrique genere ortos, negligen- „ tiùs agere, Majorumque gloria, & claritudi- „ ne contentos esse, & quodam modo conqui- „ escere; novos autem homines, majore longè „ industria & labore conniti, ut quod splendo- „ ri natalium illis defit, virtute propria supple- „ ant, & adijciant. &c.

Ab adversarij persona aut sententia.

„ Etsi personæ N. dignitas, sapientia, in- „ tegritas, permagnæ mihi venerationi sint, „ cum tamen, & opinioni, & mox ejus dictis „ contrarium sentiam, id quidem meæ, quam

dc

„ de Præstantissimo Viro semper habui, semper
„ habere pergam, existimationi ne quidquam
„ derogaverit, sed quod fas mihi pro libertate
„ puto, sententiam hac de re meam, ita profe-
„ rendam mihi esse duxi, ut rei potiùs, quam
„ Orationi ejus gravissimæ, velim esse oppo-
„ sitam. &c.

„ Agnosco quantum fas est & decet, pon-
„ dus & momenta, adductarum ab N. rationum,
„ gravia omnino esse, nihilominùs quid ijs re-
„ sponderi possit & debeat, cum à vobis expe-
„ ctari videam, pari & dicentis ante me vene-
„ ratione, & mea libertate dicam. &c.

„ Minimè dubito, Præstantissimo Viro N.
„ qui ante me verba fecit, æquè nobis omnibus
„ bonum Patriæ scopum unicum esse, quamvis
„ diversi ejus à nostra opinione sententiaque
„ consilij, nam diversis itineribus eòdem perve-
„ niri solet: agendum tamen nobis est, ut no-
„ stra, quam Patriæ salutique publicæ servandæ
„ proponimus, ratio, planior vobis, expeditior,
„ securior, magisque necessaria, ut revera est,
„ pateat, &c.

„ Auditis, quæ pro re N. graviter, solidè,
„ sapienterque dicta sunt: & responsa & contra-
„ riarum rationum momenta, eadem quæso be-
„ nevola attentione excipite.

„ Si authoritati dicentis cedendum sit,
„ facile concedo: si rationi & vero, id sanè quo
„ melius detegatur, libertate sentiendi & dicen-
„ di nobis hic utendum est.

Valeriùs Tribunus plebis, contra Portium Catonem dicturus ita orsus est. „ Si privati tantummodo ad suadendum dissuadendum-
„ que, id quod à vobis rogatur, processissent, ego
„ quoque, cum satis dictum pro utraque parte
„ existimarem, tacitùs suffragia vestra expectas-
„ sem; nunc cum vir gravissimusque consul, M.
„ Portius C. non auctoritate solum, quæ tacita
„ satis momenti habuisset, sed oratione etiam
„ longa & accurata insectatus sit rogationem
„ nostram, necesse est paucis respondere. Rem
„ defendam non nos &c.

Portius Cato Julio Cæsari respondendo ita orsus. „ Longè mihi alia mens est P. C. quum
„ res atque pericula nostra considero, & quum
„ sententias nonnullorum ipse mecum reputo.
„ Illi mihi disseruisse videntur, &c.

Ab adversarij Sententia, vel rationibus occupatis.

Si quis suadeat, ut universa Nobilitas ad solvenda vectigalia & portoria, à suis proprijs mercimonijs, sese lege obliget, ita contrariam rationem occupando, inciperet. „ Notum mihi
„ optimè est: Nobilitatis privilegia esse &
„ ingentia & innumera, quæ eam, à vectigali-
„ bus & portorijs eximunt, leges in ejus grati-
„ am & beneficium latas esse plurimas, his eam
„ quamdiu velit sese posse defendere, nihilq; me,
„ quo tot Constitutiones enervem, habere fate-
„ or: sed hoc ipsum est quod suadere vellem, quod
„ per amorem patriæ oro & flagito, ut his
„ ipsis privilegijs, renunciare Nobilitas tandem
„ in animum inducat, &c.

Nabar-

Nabarzanes ad Darium Regem, apud Curtium, orationem, qua consulit ut Darius Regno se interim abdicet, præveniendo contrariæ *sententiæ* difficultates, ita orsus est. „ Scio me sententiam esse dicturum, prima spe„ cie haud quaquam auribus tuis gratam, „ sed medici quoque graviores morbos asperis „ remedijs curant, & gubernator ubi naufragi„ um timet, jactura, quidquid servari potest, „ redimit. Ego tamen, non ut damnum facias „ quidem svadeo, sed ut te, ac Regnum tuum „ salubri ratione conserves. Dijs adversis bel„ lum gerimus, &c. Jmperium alij trade inte„ rim, &c.

A Contrario.

Suasurus comitatem & affabilitatem, sic inchoaret. „ Asperitate morum nihil esse inter ho„ mines aut molestius, aut detestabilius. Suasurus liberalitatem, inciperet: „ Non frustra cæ„ tera inter vitia, fædam sordidamque, quasi „ propriis suis notis, appellari avaritiam: hac „ homine nihil esse indignius, &c. Suasurus contributionem, ordirettur. „ Pessimè eos de Re„ publ: mereri, qui ab ea opibus bonisque o„ mnibus cumulati, in rem commodumque Pa„ triæ contribuere nihil velint. &c. Dicturus de Judæis mercatura privandis, exordium duceret. „ Demirari se satis nunquam posse; à ple„ risque Christianis ita Judæos defendi, ut si „ mercatorum Christianorum res ac negotia o„ mnium interirent, ut paulatim intereunt, „ Judæos magis, quam Christianos sibi esse pro„ tegendos censerent: æconomiam & ratio„ nem lucri malè intellecti in causa esse. &c. Dicturus de Secreto in Consiliis servando, inciperet: „ Secreti negligentiam, rem esse omni „ perniciosissimam consilio. Dicturus de severioribus pænis, in violatores præcipuarum legum præscribendis, ordiretur à contrario. „ Dissimulationem & nimiam indulgentiam, in „ publicos prævaricatores legum, fontem con„ tinuarum prævaricationum esse. Laudaturus à justitia Magistratum, inciperet. „ Nihil infe„ licius contingere Reipubl: posse, Magistratibus „ injustis & venalibus, &c. Ita facilè cuivis rei reperietur contrarium.

Verba facere ad milites, Dux quidam exercitus parabat; quid illi in mentem venit? contraria verbis ad milites faciendis cogitatio, à qua apud Sallustium ita orditur: „ Com„ pertum habeo milites, verba virtutem non ad„ dere, neque ex ignavo strenuum, neque for„ tem ex timido exercitum, Imperatoris Orati„ one fieri. Quanta cujusque animo audacia „ naturâ aut moribus inest, tanta in bello pate„ re solet. Quem neque gloria, neque pericula „ excitant, nequidquam hortere; timor animi „ auribus officit. Sed ego vos, quo paucis mo„ neam advocavi. &c.

A Dubitatione.

„ Etsi dictæ, utramque in partem senten„ tiæ, ferè animum distraxerint, ambiguumque „ reddiderint, vixque, quid melius sit, menti „ occurrat, tutius tamen sequendo consilium. „ &c.

„ &c. *Vel*: „ Rectè dubitandum nobis est ho-
„ die, an, quod dicere solemus, in extremis ex-
„ trema sint adhibenda consilia? &c. *Vel.*
„ Quæri sæpe solet, præstetne fortalitiis com-
„ munire Rempubl:, quæ & ingentes sumptus
„ exigunt, & numeroso egent milite, & hosti-
„ um sæpe receptacula fiunt, an Patriam Ci-
„ vium pectoribus, in aperto defendendam re-
„ linquere? *Vel.* „ Dubitavi aliquandiu, an
„ rem toties hoc loci pro more tractatam de
„ literarum laude, pro dicendi argnmento sum-
„ pturus sim, &c. A similibus dubitationibus dicendi initium. non infrequenter, ab Oratoribus capitur. Terentius apud Tacitum accusatus de Amicitia cum Sejano, infelici Ministro Tyberij Cæsaris, dubitat, an crimen hoc fateri debeat; „ Fortunæ quidem meæ fortasse minus
„ expediat, adnoscere crimen, quam abnuere:
„ sed utcunque casura res est, fatebor, & fuis-
„ se me Sejano Amicum, & ut essem expetiisse, &
„ postquam adeptus eram, lætatum. &c.

A Simili, vel Comparatione.

In funere *vg:* „ Quemadmodum tenebro-
„ sum tempus ingratum quidem est, cum Cœ-
„ lum obducitur nubibus, copiamque imbrium
„ dejicit, pluviæ tamen omnem ferè naturam
„ reficiunt, producuntque uberes telluris fru-
„ ctus ; ita quamvis mæstus hic lugubrisque
„ templi apparatus, quadam tristitiæ nube no-
„ stros obducat animos, dolorque ingens lacry-
„ mas ex omnium eliciat oculis, lacrymæ ta-
„ men ipsæ, & solatio & fructui sint nobis o-
„ por-

„ portet. Non steriliter enim lugenda esse no-
„ bis tanti Viri jactura, quæ à virtutis operum-
„ que ejus recordatione separari non potest.
„ &c.

Pro aliqua turbulenta comitiorum sessione inchoanda. „ Aptè Rempubl: ventos inter
„ procellasque laboranti navi, sæpe conferre so-
„ lemus. Hujus rei perfectam imaginem refert,
„ præsentium Comitiorum fortuna &c.

Cohortaturus, ad sequendum in Comitiis majorem sententiarum & suffragiorum numerum, a comparatione inchoaret: „ Si nihil
„ nobis familiarius, nihil solet esse jucundiùs,
„ quam comparatione quadam, aut cum priscis,
„ aut cum clarissimis hac tempestate Rebuspu-
„ blicis, nostram conferre Rempubl:, jam quis-
„ quis omnium; quæ olim florverunt, quæque
„ nunc orbi natæ sunt, imò & nostræ veteris
„ Reipubl: consilia & Comitia in memoriam re-
„ vocârit, majore semper sententiarum & suffra-
„ giorum numero, & illas omnes, & nostram
„ Rempubl: omnia statuisse facile perspiciet:
„ quamobrem itaque, & nunc, si velimus, eadem
„ ut cæteræ omnes Respublicæ ratione nobis
„ consulere, ac Comitia concludere non posse-
„ mus? Minùsne, aut aliarum omnium Rerum-
„ publ: Cives, aut nostri Majores, minusne,
„ inquam, nobis illi, aut libertatem amârunt,
„ aut libertatis jura intellexerunt & indolem?
„ Potuit id ita fieri ubique gentium, potuit a-
„ pud nostros Majores, cur apud nos non pos-
„ sit? &c.

A dicto,

A Dicto, vel historia, exemploq; &c.

" Jn auspicatissima hac Comitiorum vel Judi-
" ciorum instauratione, sacris illis duntaxat &
" apud priscos usitatis mihi liceat uti verbis, *Su-*
" *peri approbent quidquid agitis, acturique e-*
" *stis Quirites.* Ut enim beneficio DEI O. M.
" salvi & incolumes hunc in locum confluxi-
" mus, ita & primæ solennesque à nobis Numi-
" ni ejus debentur gratiæ, & auxilium ejus re-
" ligiosæ nobis implorandum est. Regi deinceps
" Optimo. *&c.*

Terminatis feliciter Comitiis, post multa alia infeliciter dissoluta Comitia, ita aliquis ordiretur: " Quod eggregiè optimò cuidam Prin-
" cipi dictum fuit, ad Te Rex Auguste pertinet,
" videlicet: *Prosperos eventus Tibi, tristiores*
" *fortunæ debemus.* Fortunæ inquam sinistris-
" que fatis tot alia infeliciter hucusque rupta,
" ac dissoluta imputamus Comitia; Tuæ vero
" Sapientiæ, Tuæ Paternæ de nobis curæ, Tu-
" is Rex laboribus, Tuæ Providentiæ fortuna-
" tissimum præsentium Comitiorum tribuimus
" exitum. *&c.*

Pro examinandis ad Regnum Candidatis, ita quidam ab Historia Orationem orsus est. " Puderet me Majorum Nostrorum, si reapse,
" quod narrari solet, præcipiti ad Coronam Co-
" lumnæ impositum cursui, fata Regni com-
" misissent, ita enim in pedibus ac velocitate
" equorum, omnem bene regnandi conditio-
" nem, ac artem quæsisse, ac collocasse viderem-
" tur. Quod tamen sæculis illis fortasse con-
" do-

" donandum putarem. Sed puderet me magis
" Nostri, si hoc jam tempore, non perpensis tru-
" tinatisque ut par est propriis animi ad gu-
" bernandum dotibus, emolumentis Patriæ, &
" quæ offeruntur conditionibus, ad Electionem
" Regis convolandum nobis esse putaremus. *&c.*

A ratione quapiam propositionis ipsius.

Suasurus in Civitatibus præcipuis Nosocomia publica pro pauperibus esse erigenda, ordirer mox a ratione: " Triste paupertatis, ac
" calamitatis humanæ spectacu um, quod con-
" tinuo nobis in Civitatum nostrarum plateis
" vijsque objicitur, quem horrorē oculis ipsique
" naturæ incutiat, probatis id ipsimet Auditores
" Christiani. Videre enim homines, æquè ac
" nos sumus effictos, ejusdemque nobiscum spe-
" ciei, nudos, fame emaciatos, pallidos, mem-
" bris mutilos, ulceribus scatentes, ægros, debi-
" les, moribundos, super luto paleaque in vijs ja-
" centes, quibus equi & canes diligentius lon-
" gè curari soleant, ad hæc omnia non perhor-
" rescat animus? *&c.* Nosocomia itaque *&c.*

Silvas ubi non sint, esse seminandas; ordior mox à ratione necessitatis & facilitatis: " Quam necessariùs vitæ humanæ sit arborum
" lignorumque usus, quam verò facilis exem-
" plo in exteris sæpissimè usitato sit earum
" plantatio, quicunque consideret, miretur o-
" portet plurimum, cur industria hæc oecono-
" mica in tot opulentis apud nos non inducatur
" Provinciis. Immensis eæ campis & spatijs
" patent. *&c.*

Provin-

Provinciæ Cosacis confines proprias legiones habeant; incipio mox à ratione; " Quot " incursionibus, cladibus, vastitati, latrocinijs " continuis, Provinciæ nostræ, vilissimæ fæci " humani generis, Cosacis nimirum contermi- " næ, expositæ sint, cui nostrûm ignotum est? " Potentiores è nostris Civibus id sentire qui- " dem nolunt, cum nunquam ferè ijs in locis " habitent; bona vero sua ibidem sita, non suis, " sed alienis defendant corporibus, ideoque ad " communem regionis totius defensionem, " quidquam conferre recusant; at innumerabi- " li Nobilitati quæ agris ibi pagisque suis affi- " xa est, cum ferocibus illis belluis luctandum " perpetuo confligendumque est. Jam quot quo- " vis anno pagi, villæ, oppida, Castella, domus- " que Nobilium exuruntur? quot res fortunæ- " que ab his eripiuntur latronibus? imò quot " possessores Nobiles & Coloni, ab ijsdem mi- " serrimè trucidantur? &c. Non præstaret, " ne itaque ijs Provinciis proprias, easque for- " tes & numerosas legiones erigere, fortalitia " certis excitare locis? &c.

Ex abrupto ut ajunt, seu ab ipsa re.
Qui modus est priori similis.

Jta Pater Horatii apud Livium, filium victorem, capitis damnatum defensurus, ex abrupto cœpit. " Hunccine quem modo decoratum, " ovantemque victoria incedentem vidistis, Qui- " rites, eum sub furca vinctum, inter verbera, & " cruciatus videre potestis? quod vix Albano- " rum oculi, tam deforme spectaculum ferre " pos-

" possent, J lictor, colliga manus, quæ paulo " ante armatæ Imperium populo Romano pe- " pererunt. J caput obnube liberatoris hujus " urbis &c.

Jta Legati Manlii, seditione se se purgaturi mox incipiunt; " Deos hominesque testa- " mur, Jmperator, nos arma neque contra Pa- " triam cæpisse, neque quo periculum aliis fa- " ceremus: sed uti corpora nostra, ab injuria " tuta forent, qui miseri, egentes, violentia at- " que crudelitate fæneratorum, plerique Patria, " sed omnes fama atque fortunis extorres su- " mus. &c.

Jta Valerius Publicola Consul ad Tribunos seditiosos & plebem: " Quid hoc rei est, " Tribuni? Appij Herdonii ductu & auspicio " Rempubl: eversuri estis? tam felix vobis cor- " rumpendis fuit, qui servitia vestra non com- " movit Author. &c.

Jta Pacuvius parens, Calvium filium, à proditoria cæde Annibalis dehortaturus, mox cœpit: " Per ego te fili quæcunque jura liberos " jungunt Parentibus precor quæsoque, ne an- " te oculos Patris, facere & pati omnia infan- " da velis, paucæ horæ sunt intra quas jurantes " per quidquid Deorum est, dextras dextræ jun- " gentes Annibali fidem obstrinximus. &c.

Contra venales Comitiorum ruptores, ità aliquis, mox inciperet. " Libertatem nostram, " P. C. degeneraſſe in licentiam, non palam vi- " detis? vocis liberæ venum expositæ corru- " ptionem fortasse ignoratis? vocem, inquam, " liberam, emptoribus sive externis, sive dome- " sticis prostitutam, Patriæ tam sæpe exitio & fuisse

" fuisse & esse, forte vos soli nescitis? "Ab ho-
" minibus emptis vestra prodi consilia, rumpi
" Comitia, Rempubl: domi confusam convul-
" samque, foris inermem hostibus objici atque
" deseri, ignotum ne id vobis est? quid ergo
" nos moretur? ut ne efficax tanto malo, tam-
" que evidenti periculo præsto afferamus reme-
" dium? &c.

Defensurus Sacerdotium contra clamo-
res populi, ita mox ordiri à re ipsa posset.
" Hos contra Sacrum Ordinem, & Sacerdotium
" clamores, quos continuò invalescere audimus,
" ad totius Religionis ruinam vergere, mihi
" persuasissimum est. Odia hæc, in Ministros
" custodesque Sacrorum flagrantia, nihil aliud
" quam Sacra ipsa petunt, eorum Ministris aut
" contemptui, aut furori populi expositis, de
" Templis & Altaribus nostris, ac de universæ
" Religionis Sanctimonia, actum sit oportet. Si
" jam ad verum fontem querimoniarum, ac a-
" cerbissimarum accusationum, convitiorum, &
" sæpe calumniarum, quæ universim in sacratas
" Deo personas jactitari solent pervenire veli-
" mus, impietatem sæculi, malignitatemque pes-
" simè de religione sentientium hominum, pri-
" mam horum omnium esse causam, his tempo-
" ribus detegemus. Nam quod etiam boni, re-
" ligiosi, à Divino timore non alieni, cordatique
" inter nos complures viri quandoque cum cæ-
" teris statui sacerdotali non parcant, isti sane id
" ex semet non cogitant, alienis incauti sæpe in-
" ficiuntur principijs, è contagione laborare vi-
" dentur, & vel inscii, imprudentesque linguam
" impiorum loquuntur. Sed si animum, & ad
" origi-

" originem fomitemque horum odiorum, &
" quo ea tendant, maturius advertent; æque ad
" hæc generatim in Sacerdotium jacta con-
" vitia & maledicta, tanquam ad certam inde
" necessariò secuturam universæ religionis cla-
" dem, & ruinam perhorrescent &c.

Et hæc sint de exordio copiosiùs, pluribusque exemplis, cum adolescentibus maxima sit in exordiendo difficultas. Eò tamen semper redeundum est, modos exordiendi exhauriri non posse, mentem hominis, uberrimum esse exordiorum fontem; quoque cogitationes, tot esse exordiendi rationes.

§. III.

De Propositione.

9. *Quid est Propositio?*

Est brevis dicendorum in Oratione enuntiatio.

10. *Quotuplex est Propositio?*

Duplex: alia simplex, alia multiplex.

11. *Quid est simplex?*

Quæ duntaxat unum aliquid dicendum proponit.

12. *Quid est Propositio multiplex?*

Quæ in eadem Oratione, diversa, & plura dicenda proponit.

Vg: PRopositiones simplices. *De fundandis pro sene & invalido Milite hospitalibus*

bus agam. Pacem gratulabor. Fœdus ineundum suadebo. Hospitem salutabo. Ostendam continentiam ab accipiendis muneribus, perneceſſariam eſſe Judici virtutem. &c. Quivis videt, ad unum aliquid probandum in his propoſitionibus, Oratorem tendere.

Propoſitiones Multiplices: *vg:* Senator in Conſilio Senatùs dicturus, hæc ſibi dicenda proponit: 1mo *Salutabo cum aliqa laude Regem.* 2do. *poſt tot rupta Comitia de periculo Reipubl: dicam.* 3tio. *de neceſſitate corrigendi Judicia.* 4to. *de Ærario Regni.* 5to. *ad propoſitiones Regias ad deliberandum Senatui datas, reſpondebo: de augendo milite, de fœdere cum hoc vel illo vicino Principe, de Legatione, &c. &c.* Hìc, ut patet, multiplices ſunt propoſitiones.

Tales, & frequentiùs in Epiſtolis: *vg:* unam eandemque ſcripturus Epiſtolam ita præmeditor. *Gratias agam pro amico obſequio mihi reddito, gratulabor recuperatam ſanitatem, commendabo cauſam amici præſidio, nunciabo aliquid novi. &c. &c.*

Diſcrimen inter ſimplicem & multiplices Propoſitiones eſt, quod ubi ſimplex Propoſitio eſt, ibi Oratio tota ad unam rem tendit, ubi multiplex, ibi Oratio ad plures res certo quodam ordine ſe ſe ſequentes ſpectat. Æquè verò ferè frequentes ſunt in re Civili, tam in Epiſtolis quam in Orationibus, tam ſimplices, quam multiplices Propoſitiones.

Adoleſcentes itaque monendi ſunt, quod ille qui velit rectè aliquid ſolidèque ſcribere

bere, aut dicere, neceſſariò debeat imprimis Propoſitionem concipere: ſine qua neque Oratio, neque ulla Epiſtola, fieri poteſt. De hac Propoſitione, continuo eum cogitare oportet, ut illam exponat, explicet, probet, ab ea non recedat, vel paulò digreſſus ad eam redeat, eam pro ſcopo Orationis vel Epiſtolæ in mente habeat, donec illi videatur, ſatis eſſe factum rei vel rebus ad dicendum à ſe propoſitis. *vg: Gratulor Duci exercitus, ejus honorem:* hoc itaque mihi menti hæret; *Gratulor honorem Duci:* hæc eſt propoſitio mea, quid ergo de illa dicam? quæ mihi cogitationes orientur? *Lætitiam publicam exprimam.* Quare? *Magna enim id Patriæ felicitate evenit, quod illi faſces militaris Imperij collati ſunt.* Quare magna felicitate Patriæ? *Quia eſt belli ſcientiſſimus, quia ſummas virtutes Imperatoriias, in eo cuncti elucere obſervant, quia maxima prudentia, conſilio, animi fortitudine, continentia, juſtitia, clementia,* &c. *pollet, quia ducendi regendique exercitus artem, propria experientia longisque, & domi & foris ſtipendiis, acquiſivit. Quia tot bellis & Miles & ductor interfuit, totque jam palmas & trophæa collegit. Præterea, quia talibus eſt ortus Majoribus, qui domeſtico ſint illi exemplo, & normâ ei præbeant, bene gerendi militaris Imperij* &c. Quid inde? *ergo felix eſt futura Patria tali Imperatore: ergo lætandum eſt cunctis, quod talis, tantusque Dux, Copiis Reipubl: à Principe delectus ſit,* &c. *ergo & Principi, & Patriæ præclarum hunc delectum, & Tibi N. quod hunc ſis conſecutus*

cutus honorem vehementer gratulor, *&c.* Hic alia mihi cogitatio, non aliena à mea Propositione advenit, nempè:. *hoc autem tanto libentiùs ac alacriore animo faciam, quod & ego & mea Domus benevolentia præsidioque Tuo, singulariter gloriemur, undè ad publica gaudia, etiam privata accedant solatia. &c.* Denique. *precabor Duci optimam diuturnamque militaris ejus Imperij fortunam.* Jn hoc exemplo Adolescentes vident, quam ad hanc Propositionem: *Gratulor Tibi Ducis honorem,* omnes cogitationes tendant.

Quemadmodum autem in exordiendo cogitandum est bene, quatenus exordium naturale & proprium sit cuilibet propositioni, ita æquè curandum est, ut Propositio naturaliter & eleganter ex exordio media quadam prudenti & industria, transitione, effluat ad propositionem. *Exẽpli gratia*: Propositio. *Rei monetariæ corruptæ esse omnino lege providendum.* Sit exordium à sensu generali huc tamen tendente. „ Mala omnia quo longiore „ tempore, serpere permittuntur, eò longè difficiliora ad curandum redduntur. Negligentia tempestivi remedii, eò res adduci Solent, „ ut deinceps medela illis, nulla possit afferri. „ [*Transitio ad Propositionem*] Jam quod periculosius malum Reipublicæ contingere potest, corrupta re nummaria, & vitiato penitùs interiore aureæ argenteæque pecuniæ „ pretio ? Si enim nummi nervi Reipubl: bene „ omnino nuncupantur, quod igitur corpus „ quodlibet, solutis aut fractis nervis & compagibus,

„ pagibus, hoc depravata re pecuniaria, erit „ Reipubl: corpus, siccum exsangue, debile, miserum, & ruinæ ac casui omnino proximum. „ Majore itaque aut imprudentia, aut Reipub: „ neglectu peccare non possumus, quam si pernicioſè satis hucusque retardatũ dilatumque, „ adhuc in longiùs tempus rejiciamus, corruptissimæ apud nos rei monetariæ remedium: „ [*Propositio effluit*] cui lege præsentium Comitiorum omnino providendum est. *&c.* Hic Adolescentes dispiciunt, quam bene, solidè, eleganterque, transitio ab exordio facta sit, ad Propositionem: quod in tot aliis superius positis ac infra ponendis exemplis observare jubebuntur.

Notent id quoque: quod Propositio, aut verbis expressis enuntiatur, qualia sunt: *Dicemus, agemus, tractabimus de hac vel illa re. Ostendemus hoc vel illud. Hoc erit meæ Orationis argumentum. Ita judico, ita sentio, ita statuo*, *&c.* & similia,

Aut Propositio fit, absque ejusmodi aperta enunciatione, sed ita res ipsa proponitur, ut facilè auditor intelligat, hac de re Oratorem acturum, *vg*: præmisso exordio ex sententia: „ In omnibus rebus agendis præsertim verò in „ Consiliis, confusione ac perturbatione, nihil „ pernitiosiùs est. Nam ut certo stant ordine, „ & terrena & Cœlestia omnia, ita absque recto ordine, & in rebus humanis boni nihil „ sperandum est. Ut itaque consilia & Comitia „ nostra, quam optima ut par est ratione procedant, ordo quidam in proponendis ad consultan-

„ ſultandum materiis, neceſſarius omnino eſt,
„ ne, priusquam una de re tota deliberatio fini-
„ at, & de ea aliquid ſtatuatur, alias quascun-
„ que obtrudere, ulli unquam fas ſit. *&c.* Hic quivis videt, qualis ſit pro iſta Oratione Propoſitio.

Jam ſtabilita Propoſitione ſimplici, ulterior Oratio ſive Epiſtola, mox poſt propoſitionem factam, ſtatim *in puncta duo vel tria*, clarè dividi eleganterque poteſt, & ita ſequens Oratio optimo procedet ordine. De ſacris Concionibus ita in puncta partiendis, alibi ſeparatim tractaturi ſumus, quò eos qui hac inſtitutione egerent, remittimus. Hic duntaxat de Civilibus Propoſitionibus ſermo.

Eas itaque quas Orator daturus eſt, Propoſitionis ſimplicis rationes, præmeditatur, & in Oratione præſertim graviore mox poſt Propoſitionem partitur. *vg:* Svadeo: *Nobilitatis numerum non eſſe augendum:* Rationes meæ ſunt: *quia id eſt noxium Reipubl: quia id eſt indecorum Reipubl:*. Jam Propoſitione facta, mox adjungo partitionem argumentorum ita.

Ego Nobilitatis numerum his Comitiis minime augendum eſſe cenſeo, tum quod id noxium, tum quod id indecorum eſſe ſentiam Reipublicæ. Prima parte itaque ſequentis Orationis, ſeu confirmationis probare debeo: quam id ſit *noxium*, altera parte: quam id ſit *indecorum* Reipublicæ.

Noxium nimirum; „ Nam id opes veteris
„ Nobilitatis neceſſario minuit: quantum enim
„ novæ Nobilitati è bonis fundisque accedit,
„ tantum veteri ex ijsdem decedat neceſſe eſt.
„ Lati

„ Latifundia Reipubl: non augentur, poſſeſſo-
„ res augentur; bona quoque ac beneficia Re-
„ galia diminui, nam in plures diſtribui neceſ-
„ ſe eſt, honores etiam à veteribus in novas
„ transferri familias, *&c. &c.*

Alteram partem deinde, *quod ſit idem indecorum Reipubl.* probabo: „ Turpe enim eſt
„ Patriæ in tam ingenti Nobilitatis numero, jam
„ tantam paupertatem egeſtatemque ſpectari;
„ quid ergo augeamus miſerorum numerum?
„ Hi ſiquidem qui nunc Nobilitate donarètur,
„ quantascunq;, mediocres certè, opes habeant,
„ eæ inter poſteros diſpertientur. Aut verò ab
„ ijs augebuntur? aut minimè. Si augebun-
„ tur? damno id omnino vetuſtioris Nobili-
„ tatis fiet; ſi minimè? eorum profecto poſte-
„ ri ad ſummam tenuitatem devenient. Nonne
„ id pudori eſt genti Nominique Polono? Nec
„ minus iſtud aliud: Nobilitatem nempe olim
„ pro ſummis de Patria meritis, ſanguine, tro-
„ phæis, laureiſque, ſola commendatione & te-
„ ſtimonio Imperatorum collatam fuiſſe, nunc
„ vero pro præſtitis privato alicui Civi, Fami-
„ liæquæ ſervitiis, eandem conferri, *&c.* Notent in hoc ſequentibusque exemplis Juvenes, quam rationes hæ duæ ſtatim Propoſitioni adjunctæ, bonum ordinem, quantumque lumen in Orationem ſequentem infuderint.

Cenſeo: *poteſtatem retardandi, ſiſtendi, ac rumpendi Comitia, tollendam eſſe*: Rationes allaturus ſum, *Quia absque hac poteſtate libertas nobis ſalva & integra eſt. Quia hæc poteſtas licentia eſt potius quã libertas, quia hæc poteſtas maximo eſt damno Reipublicæ, Quia hæc poteſtas*

stas risui ac contemptui exterorum nostra exponit consilia. Has rationes tota Oratione pertractandas, mox post factam propositionem, ita brevibus significa: " Meo, omniumq; qui re-
" ctè de Republica sentiunt, judicio. potestas
" hæc retardandi, sistendi, rumpendique Comi-
" tia lege perpetua omnino prohibenda est.
" Omnes idem mecum profecto sentietis, dum
" absque hac potestate. libertatem nostram sal-
" vam integramque nobis mansuram, dum po-
" testatem hanc licentiam potius quam liberta-
" tatem esse, dum potestatem hanc summo esse
" Reipubl: damno, dum potestatem hanc deni-
" que dedecori nobis esse, apud orbem univer-
" sum seriò considerabitis.

Deinde singulas ex his rationibus in Orationis cursu, unam post aliam probandas accipio. *vg:* " Ac imprimis, quis non videt, non pla-
" nè intelligit, libertatem nostram, non in hac
" certè potestate impediendi ac dissolvendi Co-
" mitia, sed in aliis longò rebus omnino consi-
" stere? Libertas vera in eo est, ut non absoluta
" unius Principis voluntate, sed nostro Consilio,
" sententia ac consensu, leges condantur, an-
" tiquentur, mutentur, tributa scifcantur, bel-
" lum indicatur, pax statuatur, fædera inean-
" tur, legationes expediantur, jus Civitatis do-
" netur, ærarium publicum, judicia ac Tribuna-
" lia Regni administrentur, & sexcenta ejusmo-
" di. Libertas nostra in eo est, ut in Comitiis
" liberè, quavis de re nostram proferamus sen-
" tentiam; commoneamus magno animo, si quæ
" nobis videntur devia; leges, consuetudines. &
" Pri-

" Privilegia nostra, fortiter omnique studio de-
" fendamus, firmemus, tueamur; sed non in eo
" libertas nostra sita est, ut unius aut incredi-
" bili pertinaciæ, aut venundatæ voci, omnes
" cedere oporteat, quæ potius servitutum o-
" mnium, turpissima, ac vilissima servitus est.
&c. &c.

Ad secundam rationem ex prædictis, transeo. " Non libertas ergo hæc est, sed potiùs
" gravibus Sapientibus, cordatisque Viris, ac il-
" lustribus Civibus indigna, & indecora licentia.
&c. &c. Jta hac probata tertiam, tertia probata quartam rationem assumo.

Gratulor parata Oratione *Senatorium honorem*; rationes gratulandi invenio, & mox post Propositionem, easdem ita primum brevibus attingo. " Primarium hunc itaque in nostræ Pro-
" vinciæ confessu Magistratum, meo omnium-
" que Nomine, Tibi nobisque majorem in mo-
" dum gratulor. [*rationes duæ*] & quod præ-
" claris in nos ac Rempubl: meritis tuis, præ-
" mium consecutus sis. & quod ijs omnibus,
" præstantissimis dotibus ornamentisque excel-
" las, quæ certissimam spem in nobis excitent,
" dignitatem hanc tuam, singulari fore Reipu-
" blicæ bono & præsidio. Jta in primo puncto, præterita ejus merita, & opera celebrarentur, in secundo puncto, virtutes, sapientia, prudentia, magnitudo animi, labor, diligentia, legum & Patriæ amor, fides in Principem. *&c.*

Gratulor *Tribunalis Præfecti, seu Mareschalci honorem*: Rationes mihi occurrunt: eum præsertim qui Areopago præsidet, oportere esse exem-

exemplo aliis, his tribus rebus, justitia, sapientia, & diligentia. Hanc laudem in tria puncta divido, in *1mo.* ejus justitiam, in *2do.* sapientiam, in *3tio.* diligentiam laudaturus. Itaque post exordium aliquod, Propositionem ita concipio: " Non minus Tibi igitur, quam universæ Rei" publ: maximopere gratulor, Te supremum A" reopago huic contigisse Præsidem, qui cer" tissimè futurus sis, exemplo nobis omnibus, " & justitiæ, & sapientiæ, & diligentiæ, quæ in " præstantissimo hoc, tantopere desiderantur, " munere. *&c.*

Suadeo *Ut Respublica suis propriis viribus, non vicinorum Principum præsidio, auxilioque fidat.* Rationes mihi occurrunt tres, id enim securiùs est Reipubl:, id gloriosiùs, id faciliùs. Propositionem post exordium aliquod formo, & mox in puncta dicenda partior ita: " Rempubl: proprijs suis viribus & armis po" tius, quàm vicinorum Principum præsidio, " suppetijsque fidere opportere, quivis plane " intelliget, qui perpendere nobiscum voluerit, " id & longe securiùs, & profecto gloriosiùs, " & sanè facilius esse Reipublicæ. *Tum primum punctum probandum aggredior:* " Secu" rior certè longè, suis quam alienis viribus fu" tura semper Resp: est. Quilibet enim Princi" pum ita judicat: rationes sui proprij Regni, " cæteris omnibus sibi semper anteponendas " esse. Suam ergo, quàm Nostram potiùs utilita" tem, cordi necessario habent, quicunque illi " sint, vicini Principes. Tum nos forte juvari " ab ijs videbimus, si communi nobiscum invol" verentur periculo; sed etiam si illi, se salvis, " nos

" nos perire videant, perire nos proculdubio si" nent. Jam si aliquid ad nos defendendos con" tribuent, gratisne id facturi sunt? mihi vero " persvasum est, quod si illi suum commodum " & incrementum etiam cum nostra clade & " ruina conjunctum animadvertant, nos potiùs " aggredi, quàm defendere, minimè dubitabunt. " Id ita fieri, id ita fore perpetua nobis expe" rientia constat. Hæccine itaque est nostra se" curitas? non potius proprijs standum viribus? " *&c. &c.* At quam & longè idem nobis est " gloriosius? Semperne enim nos ex aliena " pietate, & miseratione pendere? *&c. &c. Similiter tertium punctum.* " Jam denique facili" ùs est Reipubl: certum numerum Copiarum, " statis alere stipendijs, quam tum cum opus " est periculumque adurget, immensos in au" xiliarium militem, cui parum fidas, cujus " agendi ratio parum ab hostili differre solet, " profundere sumptus, *&c. &c.*

His similibusque exemplis, adolescentes vident, quam post Propositionem simplicem, adjuncta mox brevibus sequentium rationum partitio, & pulchrum ordinem in Orationem inducit, & laborem ingenij faciliorem reddit, & mentem ac memoriam audientium juvat.

Jam brevibus dicamus de Propositionibus, in una Oratione, aut Epistola, multiplicibus. Hæ duobus fere modis contingunt. Primus est, dum principales Propositiones, duæ vel tres, secum aliquomodo connexæ, aut una ex alia effluentes, enuntiantur, *vg.* agemus *de necessitate* concludendæ cum hoste pacis: agemus *de utilitate*

tilitate, reducendæ pacis: agemus *de conditionibus* stabiliendæ pacis. Hæc tria differentia inter se sunt, probare *necessitatem*, deducere *utilitates*, definire *conditiones* pacis; & singula singulis partibus Orationis egent.

Alia exempla. Dicemus *Nobiles Adolescentes, non esse ad exteras Nationes pro Studiijs Literarum mittendos.* Dicemus, *Nobiles Adolescentes in Patria esse literarum, scientiarumque studiis instituendos.* Dicemus denique *Nobiles Juvenes certæ jam firmiorisque ætatis, ac adultioris ingenij, esse peregrinatione perficiendos.* Hæc tria diversa sunt ut quivis videt, quamvis secum aliquomodo connexa.

Arma vel studia Nobilitati esse utilia; Plebejs esse utilia.

Tributum à capitibus esse tollendum, tributi aliud genus esse omnino statuendum. Non prius tributum capitale tollendum esse, quam aliud aliquod tributi genus statuatur.

Fœdus mutuæ defensionis, cum Principe non esse ineundum. Fœdus, ut vocant, neutralitatis esse cum utraque parte belligerante statuendum.

A Vectigalibus per leges Nobilitatem liberam esse. Optime Patriæ amore Nobilitatem facturam, si huic suo jure renunciet, & in vectigalia ærario Reipubl: solvenda consentiat.

Saluto Te Palatine, ut totius Reipublicæ decus & columen maximum, ut præcipuum Provinciæ hujus ornamentum, ut meum domusque meæ singulare præsidium.

Hæ & similes propositiones principales sunt

sunt, pro una eademque oratione, aliqua inter se relatione cennexæ.

Alius modus multiplicium propositionum est in una Oratione vel Epistola, cum: ut principio innuimus, plures tractandæ materiæ seu argumenta dicendi, per puncta unum post aliud annotantur, quales sunt præsertim Orationes Senatoriæ. *Ut: Regi gratias agam pro cura Reipublicæ. Neutri parti bello præsenti, nos immisceri suadebo. Modum accelerandæ in Tribunalibus justitiæ proponam. De corruptione Judicum ejusque remedio dicam. De flumine N. navigabili reddendo; de salis fodinis. &c.*

Talia diversa quæcunque argumenta, [in Epistolis præsertim familiaribus] locum habent. Quamvis verò, initiò Orationis aut Epistolæ, in loco propositionis non ponuntur, nec auditori vel lectori constet, Oratorem vel scriptorem, de ijs hac Oratione vel Epistola tractaturum, revera tamen materiæ hæ singulatim acceptæ, totidem propositiones diversæ sunt, & singulæ quantum opus est, vel strictim, sua ratione & probatione egent.

Generatim dicendo: propositiones omnes, debent esse planissimæ, clarissimæ, intellectu perfaciles, verbis quam fieri potest perpaucis, propriisque constare, sublime omne ac obscuritas in ijs vitari debet, ut in tot superioribus exemplis patet. Quid ista puerilia? *Phaetontis casum producam*, qui dicere voluit: *Homines qui supra suam conditionem se se tollant, casui obnoxios esse. &c.* In laudativo genere, pueriles illæ allegoriæ & antonomasiæ vitandæ sunt: ut si quem

quem probare velis esse flumen, fulmen, solem, aquilam, thesaurum, navim, &c. Nihil tale sumi ad dicendum debet, ubi nugari ac ineptire oporteat.

Captatio benevolentiæ in longioribus Orationibus, post Propositionem factam bene convenit. *vg: Benevola quæso attentione me dignemini.* &c. *Si me dicentem attentè benevoleque audire voletis.* &c. *Non abutar patientia vestra.* &c. &c.

§. IV.

De Confirmatione.

13. *Quid est Confirmatio?*

Est ea potissima Orationis pars, qua rem propositam deducimus, probamus, explicandoque vel ratiocinando firmamus.

Vg: P*Rivatis commodis amicitiam anteponendam esse.* Quo id confirmo? *ratione, exemplis &c.* " Palam enim est illum verum non esse amicum, qui amicitiæ, commoda prætulerit sua. Verè siquidem diligere aliquem, esse illum plus suis rebus & rationibus diligere. Jam si his amicum posthabueris, pluris igitur quam amicus, tua omnia sint tibi oportet. Videmus manifeste nihilque apud nos sæpius [ut exemplo res clarius pateat] videmus inquam duos inter Cives diu amicitiam viguisse. Vacavit munus aliquod, quod è Regis beneficio pendet, uterque ad idem munus

" nus competitores sunt; unus tamen majore quadam ratione quam alter, id enim aliter non solet accidere. Unus nempe alteri comparatus, plus jam illo habere videtur; uterque tamen rem eandem magnis studijs & æquali contentione petunt. Si ille qui plus habet consequitur? qui minus habet dolere & irasci incipit, refrigescit amicitia. Si ille qui minus habuit obtinuit? ægerrimè fert & indignatur alter. Jstosne tu putes veros fuisse amicos. Si fuissent? aut inter eos facile convenisset, quod æquum erat, ne alteruter peteret: aut uterque dum petit, & unus obtinet, qui non obtinuit, æquè amici ac suo bono gauderet & commodo; amicitia majore adhuc confirmaretur nexu. Quæ dum tam vili ratione refrixit, aut verò etiam extincta est, certè vel nulla fuit vel profecto exigua. Amicitiam ego itaque veram Pompejum inter ac Cæsarem nunquam intercessisse credam, siquidem illos dominandi potentiæque libido ita aliquando collisit, ut ex amicis, si Dijs placet, hostes sibi infestos reddiderit &c. Commodi ergo proprij immoderata cupido, pestis venenumque est amicitiæ" Nihil ergo est aliud confirmare, quam rem propositam rationibus firmare.

Jam in priore Parte de arte cogitandi ostensum est, rationes pro re quavis ex fontibus internis aut externis erui, aut potius ex ingenio cujusvis effluere. Ut autem id verissimum est, cogitationem humanam liberrimam esse, nec ulli legi humanæ subjici, ita æquè verissimũ est

eſt, nulla regula eam poſſe ligari. Quot mentes, ſeu ingenia, tot modi cogitandi, & cogitationes inter ſe ordinandi. Adeoque præceptis hic inſudare ſuperfluum eſt. Sume, exempli gratia, brevē Cornelij Coſſi ex Livio Orationem ad milites. Propoſitio eſt. *Certiſſimam fore è Volſcis Romanorum victoriam.* Duabus rationibus id probat: Vatum fauſtis præſagijs. & Romano modo pugnandi, cum imparibus Volſcis. „ Noſtra, *inquit*, victoria eſt milites, ſi quid Dij „ Vatesque eorum in futurum vident. Itaque " ut decet certæ ſpei plenos, & cum imparibus „ manus conſerturos, pilis ante pedes poſitis, „ [*hoc eſt, in terra defixis*] gladiis tantum dex„ tras armemus, ne procurri quidem ab acie „ velim, ſed obnixos vos ſtabili gradu, impetum „ hoſtium excipere. Ubi illi vana injecerint „ miſſilia, & effuſi ſtantibus vobis ſe intulerint, „ tum micent gladij, & veniat in mentem uni„ cujuique, Deos eſſe qui Romanum adjuvent, „ Deos qui ſecundis avibus in prælium miſe„ rint. Tu Quinti, Equitem intentum ad pri„ mum initium moti certaminis teneas: ubi hæ„ rere jam aciem collato pede videris, tum ter„ rorem Equeſtrem, occupatis alio pavore, in„ fer, invectusque ordinem pugnantium diſſipa. Si Orationis hujus vim conſideres, excellens, omnino eſt, quæ ſpem certam vincendi, animis militum infuderit. Si, quomodo orſus, qua arte, quo ordine rationes poſuerit? totum dicentis ingenio propriæque ejus arti attribues. Ratiocinatio tamen talis erui ex hac Oratione poteſt: *Vates è ſecundis auſpiciis Deos Romanis adfore*

adfore præſagiunt: Volſci impares impetu primo valent, miſſilibus pugnant, Romani fortiores ſunt gladijs: ergo noſtra victoria eſt.

Hic patet: qualeſcunque rationes ad rem confirmandam dentur, quæcunque cogitationes ex his rationibus in mente multiplices oriantur, qualicunq; ordine in Oratione exponantur, ſemper tamen latere quandam intellectus *ratiocinationem*: quæ ad ſimplicem cogitandi & probandi aliquid ordinem, ſemper poteſt reduci: id quod maxime juvenes, ut obſervent, doceri debent.

Argumentum itaque imprimis Orationis quam legunt, aut Epiſtolæ, Adoleſcentes detegant. *Argumentum* vero dicendorum, hoc loci, idem eſt ac *Propoſitio.* Deinde diſpiciant, quibus confirmatur rationibus *argumentum* ſeu *Propoſitio.*

Epiſtola ſit pro Exemplo è Plinio. Argumentum, ſeu ejus Propoſitio eſt talis. *Ego Plinius rideo vanitatem ludorū Circenſium, & illorum tempus ſtudijs impendo.* Nota: *pugillares* de quibus agit in epiſtola hac, chartas eſſe vel tabellas ceratas. *Pannum*, de quo agit in hac ipſa epiſtola, fuiſſe quatuor Aurigarum colores, qui notabant quatuor urbis factiones in ludis Circensibus, è quibus una uni, altera alteri, acclamabat.

Plinius Calviſio ſuo S.

" Omne hoc tempus, inter Pugillares ac " libellos, jucundiſſima quiete tranſmiſi. Quem" admodum, inquis, in urbe potuiſti? Circenſes " erant;

" erant; quo genere spectaculi, ne levissimè qui-
" dem teneor. Nihil novum, nihil varium, ni-
" hil quod semel spectasse non sufficiat. Quo
" magis miror tot millia virorum, tam puerili-
" ter identidem cupere: currentes equos, insi-
" stentes curribus homines videre. Si tamen
" aut velocitate equorum, aut hominum arte
" traherentur, esset ratio nonnulla; nunc fa-
" vent panno, pannum amant, & si in ipso cur-
" su medioque certamine hic color illuc, ille
" huc transferatur, studium favorque transibit,
" & repente agitatores illos, equos illos quos
" procul noscitant, quorum clamitant nomina,
" relinquent. Tanta gratia, tanta authoritas
" in una vilissima tunica. Mitto apud vulgus,
" quod vilius tunica est, sed apud quosdam gra-
" ves homines; quos ego quum recordor, in re
" inani frigida, assidua, tam insaciabiliter desi-
" dere, capio aliquam voluptatem, quod hac
" voluptate non capiar. Ac per hos dies li-
" bentissimè otium meum in literis colloco, quo
" alij, otiosissimis occupationibus perdunt. *Vale.*

Quare ergo Plinius contemnit Ludos Circenses? Ratio: *quia* idem semper in ijs spectatur, novi nihil: *quia* in ijs populus coloribus pannorum, seu suis factionibus, non melioribus equis, aut vectoribus applaudit. Ergo apud Plinium ludi Circenses merentur contemptum, ergo bene tempus hoc studijs potius, quam spectaculo impendit. Hæc est latens bona & recta, in epistola hac, ratiocinatio.

Quandoquidè ergo, in omni oratione & Epistola, *ratio* & *ratiocinatio* intellectus, reperitur, ac

ac reperiri debet, quamvis evidenter non pateat, quamvis pro genio scribentis vel dicentis ordo cogitationum permutetur, edocendi itaque sunt adolescentes:

14. *Quæ sunt ratiocinandi, seu argumentorum formæ?*

Quatuor præcipuè: Syllogismus, Enthymema, Inductio, Sorites.

De Syllogismo.

15. *Quid est Syllogismus?*

Est ratiocinatio constans propositionibus tribus, majore, minore, & ex ijs consequente.

Ne hic misceatur Logica, exemplis sequẽtibus, Juvenes moxfaciliùs Syllogismum concipient.

Quidquid Reipubl: nocet, avertendum est. Sed venalitas honorum ac munerum, Reipublicæ nocet. Ergo avertendaest. Externi Principes suæ propriæ Gentis rationes præferre debent & præferunt, Reipubl: Nostræ rationibus & commodis. Sed externi Legati, qui suos Principes præsentant, idem cum suis Principibus sentiunt & sentire debent. Ergo externi Legati, rationes & commoda suorum Principum, rationibus nostræ Patriæ præferunt. Contra hostem munire & defendere Rempubl: oportet. Sed miles munit & defendit Rempubl. Ergo miles conservandus, ac bene solvendus est. Religio & cultus Dei, Regna, Respubl: & Principatus conservat. Sed Religio apud nos negligitur. Ergo Regnũ nostrũ cõservari

 non

non potest. Parentes, liberi, fratres, consanguinei, amici, fortunæ, honores, bona, nobis cara sunt. Sed Patria hæc omnia complectitur. Ergo Patria nobis cara esse debet. Fluvij navigabiles utiles sunt. Sed fluvius N. potest reddi navigabilis. Ergo curandum est ut aptus navigando reddatur. Voluptates, homines effæminatos reddunt. Sed Juvenes hi & illi sunt voluptatibus dediti. Ergo nihil præclari ab ijs expectandum est.

Ejusmodi Syllogismi ad regulas Logicas examinandi non sunt, sufficit ut Tyrones Rhetoricæ, *majorem* esse generaliorē, *minorem* esse paulo restrictam Propositionem, *consequentem* verò ex utraque efluere, exemplis intelligant, similesque Syllogismos forment.

Cuilibet *majori* & *minori* Propositioni, addi potest sua ratio, vel plures rationes. *vg: Major.* Amici decipi non debent. *Ratio.* Decipere enim aliquem, est illum graviter offendere. *Ratio hujus.* Nam fraude & circumventione honesti hominis, quid indignius? *Ratio hujus.* Qui enim à te amari se putat, & deinceps te cum illo fraudulenter agere animadvertit, an non turpiter sibi illusum à te esse intelligit? *&c.* *Minor.* Sed mentiri est decipere amicum. *Ratio.* Aliud enim mente cælare, aliud verbis dicere, an non est hæc manifesta amici deceptio? Amicus credit, dum illi aliud pro alio affers, itaque a te fallitur, & hæc illusio non est ne gravis offensio amici? *Consequentia.* Amicis itaque mentiendum nunquam est, peccarique turpius ac indignius contra

tra amicum non potest, quam mendacio. *&c.*

Major item. In quovis bonorum delectorumque Virorum consilio, plurium opinioni ac sententiæ cedendum est. *Ratio Majoris.* Nam pluribus viris dignis sese opponere, arrogantiæ est, quasi tu unus cæteris, aut plus fortè sapias, aut illis sis melior. Plures siquidem recti, prudentes, honestique homines, quales è Provincijs deliguntur, & quales delectos existimari oportet, si in unam rem consentiant, meliùs illam expendisse supponuntur, quā id fieri unius judicio possit. Rationi itaque, naturæ, & libertati est propius, ut unus plurium sequatur sententiam, quam ut plures unius sese submittere cogantur arbitrio. *Minor.* Sed in nostris Consilijs Comitijsque omnino sit secus.

Ratio. Inter delectos enim præcipuos è Provincijs viros, inter quos fieri nequit ut plures honestiores non sint, quamvis in tanto cætu & numero, etiam aliquos, pauciores certè, minus honestos irrepere fortasse contingat, unus tamen sæpe sæpius cogit omnes ad sentiendum secum, & ni idem secum sentiant, aut retardat & impedit, aut etiam dissolvit Comitia; unus cæteris omnibus, amantiorem se Patriæ, peritiorem legum, prudentiorem, sapientiorem, honestioremque esse arbitratur, omnes uni deferre, obedire, ac morem gerere adstringuntur, nunc quidem uni nunc alij: quamvis evidenter hominem aut errare, aut malignè agere videant, aut voce vendita Remp. prodere; omnes nihilominus mutos esse, subjicique oportet uni: qua servitute quid crudeliùs, quid into-

intolerabilius in libera Republica natis? &c. *Consequentia.* Ergo tali licentiæ modus ponendus est &c.

Sive autem à Syllogismi *minore*, sive à *consequentia*, sive à *majore* argumentum tuum in Oratione incipias, perinde est, prout melius, propiùsque quid menti occurret. Syllogismus sit. *Injustum est, inaudita parte altera, condemnari: sed ego inauditus condemnor: ergo injustè condemnor.* Possum mox *à consequentia* incipere. "Si quem unquam, me profecto, gravissima injuria affici, & injustitia opprimi, dum ita condemnor, Dij hominesque agnoscunt. *Minor.* Defensionis enim naturalis mihi potestas eripitur, locus dicendi adimitur, accusatoribus plus nimio temporis indultum. Mihi pars horæ negatur, res & monimenta quæ attuli, superficietenus visa simul & rejecta fuisse, omnes qui spectant obstupuerunt. *Major.* Jam inaudita parte altera judicari condemnarique, quid magis justitiæ ac æquitati repugnat? an non facilè accusator disertus, & acusatio multis vero similibus exagerata occupare solet mentem Judicis? onne sæpe falsa, specie depicta veri, ejus religioni illudunt? Proinde Deus ipse Supremus Judex, cui omnia patent, disceptaturum se tamen cum reis edicit & præmonet, ne fas esse possit homini, reum ab eo non respondentem damnari. &c.

Sit alius Syllogismus *Permixtio Officiorum ac jurisdictionum ubique est perquam noxia. Sed in hac Civitate vel Republ: commiscen-*

scentur Officia & Jurisdictiones. Ergo id perquam noxium Reipublicæ. Incipio *à Minori.* "Officiorum ac jurium, perturbationem maximam, quis apud nos non videt,? peregrinus sit oportet in Patria. Descripta legibus singulorum munera, cui sunt integra? In Ministeriis, in Tribunalibus, in Castris, in Civitatibus & oppidis. &c. &c. *Major.* Jam permutatione Officiorum, ac juris dicendi, quid funestiùs esse potest, cuicunque Civitati & Rèipublicæ. &c. &c.

Sit item Syllogismus: *Nihil faustius lætiusque est, quam cum Sanctis, Sapientibusque Pastoribus provtdentur Ecclesiæ. Sed nostra Tetali Præsule, divinitùs est ornata Ecclesia. Ergo nihil nobis faustiùs lætiùsque contingere potuit.* &c. A quacunque vis Propositione, gratulationem incipe.

De Enthymemate.

16. *Quid est Enthymema?*

Est argumentatio continens Propositiones duas: Antecedentem & Consequentem, quæ ex antecedente effluit.

Vg: Libri optimi sunt Magistri, bonique; unius libri diligens lectio, plures annos Scholæ, fructu profectuque superare potest: ergo libris legendis tempus impendendum est.

Qui semel decepit, semper putatur decipere posse; ergo talem hominem vitare opportet.

Divitiæ & opes, nobis cōcessæ sunt: non ut sint voluptatum illecebræ, aut superbiæ fomites, sed ut ijs rectè utamnr, ac egentioribus opitulemur; ergo

ergo ijs ad benefaciendum utere. Pace nihil jucundius, nihil generi humano utilius, nihil beatius; ergo pax omni studio conservanda est. Tributa Principi ac Reipublicæ, etiam authoritate Divina jussa sunt, ergo ijs non est defraudanda Respubl: Principes DEI locum munusque gerunt, ergo de ijs malè non est loquendum. *&c.* Jn his exemplis Adolescentes vident: post datam rationem in antecedente, consequentiam inferre, esse idem: ac *Enthymema* formare.

Antecedenti rationi, sua quæ illam probet *ratio*, & huic probandæ altera, atque iterum alia, donec res bene deducatur addi potest. Quo loco Adolescentes notent, *Enthymema* & *Collectionem*, ut vocant, *Rhetoricam*, idem fore. *Collectio* enim *Rhetorica*, est *Argumentatio talis, quæ ad probandam antecedentem propositionem, colligit & adjungit rationes, & insuper rationum rationes, tam ex fontibus, quam ex exemplis, & sententijs, donec prima ratio data, quam optimè deducatur, & ferè indubitata reddatur.* Et hoc est docere & persuadere, hoc est dicere bene & solidè, hoc est Oratorem esse. Id quod vehementer juvenibus inculcandum est, ut quæ asserunt seu proponunt, ita probent, ita elucident, ita novis rationibus fulciant, donec ipsimet, ita rem esse in semet, convincantur, ut alios convincere possint. Mens nostra, dum cogitare velimus, rationes rationum, quousque necessariæ sunt, suppeditabit. *Vg.* Superior antecedens Propositio. *Opes non ut sint voluptatum illecebræ aut Superbiæ fomites, sed ut ijs rectè*

rectè utamur, non solum pro nostro sed & Reip: commodo: & egentioribus opitulemur, à DEO nobis concessæ sunt. Hæc inquam *Propositio antecedens*, eget probari & illustrari *rationibus*. DEUS enim, qui est Conditor & Distributor opum, eas malo fine, & in sceleris incitamentum ac stimulum hominibus non potest tribuere. Secus etenim instrumenta nobis peccandi, quod cogitare indignum est, DEUS ipse tribueret. Potius igitur ita sapienter universo humano providit generi, ut Divites & toti Reipub. prosint, & egentiorum miserationem ac curam habeant, cum eisque, quantò plus teneant, tantò liberalius partiantur. *Ratio Rationis.* Aliter enim in supremo universi hujus Rectore ac Præside Providentia communis desideraretur, si privatis omnia, Reipub: juvandæ nihil: si opulentis quam plurima, pauperibus autem, ne modum quidem vivendi reliquisset. Sapientiæ ac bonitatis certè ejus intererat, providere utrisque. Unde impiè Divinum pervertit ordinem, ac Providentiæ, Sapientiæque DEI O. M. protervè reluctatur ille, qui magnis, in suæ fomenta superbiæ ac luxuriæ, abusus opibus, eas & ad Rempubl: juvandam, ubi opus est denegat, & nudos omnique ope destitutos pauperes sinit fame sitique perire. *&c. &c.* Tali modo rationes aliæ post alias, firmare debent propositionem antecedentem.

Sit altera Propositio. *Principum exterorum commendationes non esse quærendas, ad obtinenda à Rege beneficia.* *Ratio per Enthymema.* Commendationes Principum extero-

terorum quærere, res est noxia Reipubl:, *Consequentia*, ergo peccat in Regem & Rempubl: qui eas sollicitat. *Antecedentem Propositionem* firmo aliis atque aliis rationibus. " Perquam " noxium est profectò Reipubl:, externas com- " mendationes exorare. Sic enim Respublica " à suismet Civibus tuta esse non potest, qui ex- " ternis Principibus obstricti obligatique sint. " *Ratio hujus*. Tales siquidem Cives, Domi- " norum extraneorum potiùs, quàm proprii " Regis & Patriæ rationibus & commodis gra- " tificari solent, cum incrementa sua commen- " dationibus eorum debeant. *Ratio hujus*. Nam " falsus quidam honor, falsa honesti ac decori " opinio, ne ingrati esse videantur, ita animos " eorum occupat, malint ut esse proprio Prin- " cipi Patriæque ingrati, & hujus rationes pro- " dere ac deserere, quam ejus, cujus beneficio " omnias se debere putant. Metuunt præterea, " ne, si quod à novis jubentur Dominis facere, " fortasse recusent, omni ope destituantur & " spe, quam in meritis suis ullis de Repbl: aut " de suo Principe collocare non possunt. Jtaque " cæcè externis imperiis parent. Proprio au- " tem obcæcati commodo, facilè persuadent si- " bi, rem se Patriæ agere, dum quid contra Pa- " triam suumque Principem, è mandatis alienis, " agunt. Hinc illæ inter Cives discordiæ, hinc " diversa inter partes studia, hinc in omnibus " Consiliis diffidia, hinc scissio in Republ:, hinc " Comitiorum ruina, libertatis clades, omnium " Patriæ bonorum interitus. *Adhuc ratio*. Ne " hac de re dubitemus, Divino ipsi assentiri nos " oper-

" oportet Oraculo, nemo, inquit, duobus Domi- " nis servire potest, quin unum odio, alterum " prosequatur amore. Jam cum sentias: nisi " tibi commendatio affuisset, munus hoc, Præ- " fecturam hanc, honorem hunc, te consecutu- " rum non fuisse, satis evidens est, qui, Domi- " norum tuorum, amori & benevolentiæ tuæ, " qui odio & contemptui sit propior, illum nem- " pe ames necesse est, qui te ita commen- " dârit, præ illo, qui magna nonnisi commē- " datione coactus, tibi beneficium præstiterit. " Jam si tales complures, alienis obstrictos Do- " minis, Rex & Respublica Cives numerent, quid " jam de Patria sperandum est? Quod si uni " externa hæc auxilia sollicitare liceat? cur non " liceat alteri? Si aliis? cur non plurimis? Si " plurimis? cur non omnibus? Actum igitur " de nobis est, si id genus tolerentur vitia. " *Adhuc ratio ab exemplo*. Prudentiùs Veneti: " apud quos, si eorum Civis externi alicujus " gratia Principis aliquid obtinere auderet, e- " tiam jure Civitatis privatur. Quærat alium " cui servire prætulerit Dominum, Patrijs bonis, " honoribus, imò & focis indignus. Probè e- " nim isti intelligunt posse neminem, Dominis " servire duobus, quin prodat alterutrum. Vide qua contentione Antecedens Propositio Enthymematis, probata sit.

Exemplum in laudativo genere, ubique enim tendendum est, ut ratio ratione firmetur, *Gratulando honorem*. Antecedens: *Peridoneus est N. ad Senatoris munus cum laude gerendum, ergo illi meritò, hic collatus est honor.*

Ratio

Ratio Antecedentis. " Fide namque in Regem, meritis in Rempubl:, amore boni publici, virtute & candore animi, sapientia & consilio, magnopere omnibus commendatur. *Ratio Rationis. In qua singula mox dicta probari debent.* Fide certè intaminata, Regi probatus est. Nam ut ab ipsa electione Principis, semel eidem adhæsit, ejus omnium mandatorum ac nutuum studiosissimum se semper exhibuit, & tam in Provinciarũ Conventibus, quam Reipub: comitijs, rationes Majestatis, constanter ubique tutatus est. Huic autem erga Principem fidei, studium de Patria benè merendi, sanctè semper laudabiliterque conjunxit. Ad Comitia pluribus legationibus, ad Tribunalia, toties Deputati Judicis munere religiosè diligentissimèque functus. In Castris veteranus miles, & Ductor, egregiusque disciplinæ militaris custos. Inter officia semper Reip. vitam otiumque partitus, gessit eorum nullum, quo de ea optimè non meruerit, hæcque adeo ejus, cùm Patriæ tùm boni publici amorem, palam copiosèque testantur. Vacare enim obsequijs, commodisque Reip. augendis incumbere ita visus est semper, ut si privatæ propriæque rei nulla afficeretur cura" *&c.* Jta alia suis rationibus illustra & firma, nihil ut, quod asseris, non probatum relinquas.

De Inductione.

17. *Quid est Inductio?*

Est Argumentatio, qua plures simul rationes, vel exempla, vel Sententiæ inducuntur, & ex ijs trahitur Consequentia.

Discrimen inter Enthymema & Inductionem, hoc est: quod Inductio pluribus simul rationibus confletur, Enthymema una ratione benè, ut mox dictum, probata.

Exemplum Inductionis è pluribus rationibus. Propositio. *Hominibus exteris patrias opes & munera conferenda non esse.* 1*ma Ratio.* " Non frustra profectò, in hoc universi ambitu " suis sunt Gentes discretæ limitibus, nisi ut earum quælibet, faciliorem modum vivendi ex " illa telluris parte, habeat, quam cuivis Pro- " videntia definivit. 2*da.* Adventitij semper " injurij sunt inquilinis & incolis; horum enim, vetera bona, in novos advenas partiri ne- " cesse est. 3*tia.* Acsi inumerabilis propriorũ " Civium multitudo & copia, non adesset ubique, quæ vix in Patrio solo sustentari jam pos- " sit. 4*ta.* Præterea: naturale est sinistro oculo, " extraneorum in sua patria opes, potentiamque aspicere, cum proprij Cives Majorum suorum bonis & ornamentis translatis in exte- " ros spoliari se videant. 5*ta.* Quid quod ex- " teri homines cum apud nos ad opes, munia, " Magistratusque perveniant, insolentes mox, in- "tolerabiles, aut vix tolerabiles fieri persæpe so- " leant? 6*ta.* Adeoque satis providè nostræ præ- " cavêre leges, ne exteris cum injuria Civium " bona possidere liceat, ne præfecturis lucrosis- " que in Aula admoveantur officijs. 7*ma.* Cer- " tè Nostrates in alijs Gentibus, tam fortunati

non

" non sunt, & vix, ac ne vix quidem eorum a-
" liquis, apud exteros pedem figit. *Conse-*
" *quentia.* Liquet jam utrum nobis ferenda sit,
" adventitiorum aliunde hominum tanta co-
" pia. *&c.*

Contrarium exemplum, itidē per Inductionem multarum rationum. *Externos homines, á Regum & Reipubl: beneficijs arcendos non esse.* *Ratio 1ma.* "Excludere è Re-
" gno, & ab omnibus Reipub. beneficijs arce-
" re exteros, hoc sanè est contra societatis hu-
" manæ jura, contra charitatis vinculum, quo
" nationes omnes connecti oportet, contra i-
" psiusmet humanitatis leges, quinimo barbari
" aliquid in hac sententia inesse videtur. *2da.*
" Non homines certè exteri, sed homines ma-
" li Patria excludendi sunt; *3tia.* Si nationum
" remetiamur origines, omnes gentes ex adve-
" nis conflatæ sunt, advenis debent omnia. *4ta*
" Nunc quoque quot utiles accrescere possunt
" Reipub. Cives, si beneovlè recipiantur exteri.
" *5ta.* Ab industrijs profectò hominibus exter-
" ris, innumera afferri solent, quæ liberales Me-
" chanicasque artes apud nos augeant mirèque
" perficiant. *6ta.* Jam pars hæc quam incoli-
" mus telluris, multò pluribus habitatoribus e-
" get, quorum industria, solum hoc procul du-
" bio fructuosius ac opulètius redderetur. *7ma.*
" Invidia proinde hæc, ac livor in exteros, si
" bene cogites, vitium est animalibus proprium,
" quod maximè observatur in canum genere,
" qui novos adventitiosque ferre nequeunt, id
" quod in hominibus ratione præditis lo-
" cum

" cum habere non debet. *8va.* Insolentia, si
" quæ offendit, exterorum hominum, com-
" primenda est, sed non ideo omnes exteri Re-
" gno excludendi. *9na.* Leges quidem aditum
" exteris, ad Præfecturas & munia prohibent;
" & hoc æquum est; non vetant tamen, quin
" advenæ possint Civitatem contrahere, & in Ci-
" vium numerū cum id merentur admitti. *10ma.*
" Sed & præter Præfecturas muniaq; Reipubl.
" aut Regum, sunt alij exteris hominibus,
" pro cuiusque conditione, vivendi subsistendique
" modi. *Consequentia.* Quamobrem huma-
" nitati propiora, ac magis consentanea senti-
" amus: vagos nimirum, otiosos, nulliusque fru-
" gi homines admittendos non esse: dignos
" verò, honestos, ac virtute præditos exteros
" homines, etiam quæramus, invitemus, & mo
" dis omnibus ijsdem opitulari curemus."

Epistola hæc cujusdam, qui *se meruisse Regis beneficia* probat; argumentationem, quæ inducit multas rationes, continet. *Quamis conticescere suis de rebus omnino præstat, si te vanæ duntaxat gloriolæ causa imprudenter celebratum eas; tamen dum necessitas vel invitum cogit, sua retexere, Viro honesto sibi que bene conscio, nihil officit. Regi ab ipso Interregni tempore (ne Augustum ejus Parentem memorem) in Electionis ac Coronationis Comitijs, cùm mea fides, tùm mea fuère, ut non inutilia, ita cognita, & probata officia. Bona Patrimoniumque meum non minorem aliis jacturam, & damna pertulere. Etiam mei periculo capitis causam Principis tutatus sum. Ad conciliandos*

animos

animos Civiumq; reducendâ concordiam, & Reipubl: pacem, postremus non fui; innumeros adhuc eorum, quæ tum egerim, testes habeo. Muneri Ministerij mei à compluribus admotus annis, curavi ne quis me diligentia vinceret. In Patria & extra Patriam partes semper implevi Officij. Nec saluti, nec viribus, nec sumptibus unquam peperci meis. Quintum jam lustrum Regi & Reipublicæ do operam. Comitijs nullis absens, ab Aula nunquam semotus, à nullo unquam publico exemptus obsequio. In totâ vitâ mea, plus Reipubl: quam rei domesticæ curandæ, otij mei hucusque cessit. Pro tribunali Regio, magna mihi pars ætatis, in administranda ejus populo justitia, præterijt, insumptaque est, & insumitur. Quæ compendiis domesticis & industria œconomica confeci, divitem me nulliusque beneficij indigentem fecissent, nisi urbs ista majorem redituum partem abligurisset. Negotijs gravissimis tam intra quam extra Regnum gerendis, itinerum longorum incommodis ac impensis, ad nutum Principis & pro rationibus Reipubl: me nunquam subduxi. Invidiam multorum, expertus quod opinione asperius est, superavi. Et quoniam & hoc Patriæ imprimis debemus, Liberos illi meos frequentemque familiam magnis curis eduxi, educavi, sustineo. In his omnibus, beneficijs Regijs fontique propior, parcius ijs usus sum, quam ferè cæteri omnes. Multa quæ mihi in manu fere erant, alijs jussu Principis dimisi. Pollicitis & spe præmiorum semper sui suffultus: prima & opima quæ vacarent, nulli disertius sæpiusque promissa

missa quam mihi. Hæc igitur dum præstolor dum opportunè peto, certum mihi est, me iniquum & importunum, bono, pio, justoque Principi non visum iri.

Cremutius apud Tacitum se in Senatu defendit, accusatus coram Tyberio, quod Brutum & Cassium laudârit. Inducit exempla & rationes. *Verba mea P. C. arguuntur, adeo factorum innocens sum. Sed neque hæc in Principem, aut Principis Parentem, quos lex Majestatis amplectitur. Brutum & Cassium laudavisse dicor, quorum res gestas quam plurimi composuerint, nemo sine honore memoravit. Titus Livius Eloquentiæ & fidei præclarus imprimis, Cn. Pompejum* [qui fuit hostis Cæsaris] *tantis laudibus tulit, ut Pompejanum eum Augustus appellaret: neque id amicitiæ eorum offecit. Scipionem, Affranium, hunc ipsum Cassium, hunc Brutum, nusquam latrones & parricidas, quæ nunc vocabula imponuntur, sæpe ut insignes Viros nominat. Asinij Pollionis scripta egregiam eorundem memoriam tradunt. Messala Corvinus, Imperatorem suum Cassium prædicabat: & uterque opibus ac honoribus perviguêre. Marci Ciceronis Libro, quo cælo Catonem* [hostem Cæsaris] *æquavit, quid aliud Dictator Cæsar quam rescripta Oratione, velut apud judices respondit? Antonij Epistolæ, Bruti Conciones, falsa quidem in Augustum probra, sed multa cum acerbitate habent. Carmina Bibaculi & Catulli, referta contumeliis Cæsarum leguntur. Sed ipse Divus Julius, Divus Augustus & tulêre ista, & reliquêre, haud facilè dixerim*

vim moderatione magis an sapientia. Namque spreta exolescunt, si irascare, agnita videntur. Non attingo Græcos, quorum non modo libertas, etiam libido impunita. Aut si quis advertit, dictis dicta, ultus est. Sed maxime solutum [id est liberum] *& sine obtrectatore* [id est accusatore] *fuit, prodere de ijs quæ mors odio aut gratia exemisset. Num cum armatis Cassio & Bruto, ac Philippenses campos obtinentibus, belli Civilis causa populum per conciones incendo? At illi quidem septuagesimum ante annum perempti, quomodo imaginibus suis noscuntur, quas nec victor quidem abolevit, sic partem memoriæ apud Scriptores retinent: Suum cuique decus posteritas rependit. Nec deerunt, si damnatio ingruit, qui non modo Cassij & Bruti, sed etiam mei meminerint.*

His exemplis vident Adolescentes, quam naturalis & frequens sit per *Inductionem* Argumentatio.

De Sorite.

Vim & robur hujus argumentationis aliqui mihi non satis percipere videntur, qui eam vel rejiciunt, vel duntaxat leviter attingunt. Dum sine falso, sine sophismate fit, est valida & fortis ratiocinatio. Definitur Sorites: *Est argumentatio quæ multas ratiocinationes acervatim convolvit atque complectitur.* Sorites significat *acervum*, nam in eo plures, una ex alia effluentes Propositiones, seu rationes ponuntur, quarum quævis sit vera oportet, tum consequentia ex illis vera elicitur.

Exem-

Exemplum. Propositio sit. *Jus rumpendi Comitia, evertit Rempublicam.* Soriten formaturus ordior â longe. *Propositio 1ma,* "Regna "& Resp: sine Consiliis stare nequeunt, cum ne "domus quidem diu stare absque consilio "possit. *Propositio 2da.* Consilium naturale & "unicum nostræ Reip: sunt comitia Ordinum; abs-"que his enim apud nos recti nihil statui, corri-"gi potest nihil; hæcque est forma Reip: *Proposi-"tio 3tia.* Comitia vero in Legatis præsertim, "Provinciarum fundantur, hi primi oportet bo-"no Reip: provideant, mala Reip: avertant. *Pro-"positio 4ta.* Legati autem Provinciarum vendi-" cant sibi ius, retardandi, extenuandi, rumpendi " comitia. *Propositio 5ta.* Jam jus rumpendi " comitia nulla lege fultum est, cum Legatis, le-" ges libere dicere & consulere quæ sentiant, " non comitia rumpere ius tribuerint. Abusu " illud orum est & crevit, factionibus & pe-" cunijs tum potentiorum Civium, tum exter-" norum fovetur, palamque in perniciem consi-" liorum Reip: quibusvis comitijs, hoc iure le-" gati utuntur. *Consequentia,* Ergo hoc ius " Legatorum nulla lege fundatum, cum con-" tinuo dissolvit comitia, evertit ac tollit omne " consilium Reip, proinde & ipsammet tollit & " evertit Remp." Vide quam ratiocinatio hæc est justa, gravis, & solida. Nota rem hic esse: non de *jure vetandi,* in quo libertas sita est, quodque sacrum ac sanctum liberis omnibus populis in commune consulentibus esse oportet, sed de jure *rumpendi* Comitia, quod nulla lege permittitur.

Exem-

Exemplum aliud. Propositio sit. *Curatores prodigis juvenibus dandos esse à Principe: nam prodigentia ipsorum maximo est damno Reipublicæ.* Sorites. Propositio *1ma.* " Juvenes è claris nati Familiis, comodis ut plu-
" rimum patrimoniis gaudent. *2da.* In liber-
" tatem emancipati suique juris Domini facti,
" prudentia, quæ seris venit ab annis, carent, in
" vitia proni sunt, adulatoribus & parasitis sti-
" pantur eisque se totos dedunt. *3tia.* Adula-
" tores persuadent Adolescentibus esse eos o-
" pulentos & divites, lautissimè itaque ijs esse
" vivendum. *4ta.* Cum Juvenibus ita persua-
" sum est, conviviis, voluptatibus, luxui vesti-
" um, clientelis, ludis, equis, canibus, *&c.* pe-
" cuniam prodigunt. *5ta.* Reditibus in hæc
" exhaustis, debita contrahunt, & patrimonia o-
" nerant. *6ta.* Dilapidatis patrimoniis, in ege-
" statem incidunt, quam, aliter asueti, impatien-
" tissimè ferant oportet. *7ma.* Egestate co-
" acti etiam illicitis modis rationem quam
" cepêre vivendi continuant; tamdiu nummos
" mutuo quærunt anxieque captant, donec fi-
" dem omnem apud creditores amiserint; tum
" aleis alijsque periculosis ludis marsupia resi-
" cere curant: deinde ad vicinorum bona &
" pagos jura sibi causasque confingunt, & vici-
" nos exagitant; denique ad seditiones & bel-
" la civilia, vehementer aspirant, in his fortu-
" næ melioris spem collocando. Tandem in Co-
" mitiis Reipubl: venum se potentioribus ac
" externis prostituunt; in Tribunalibus quæ-
" stum è sententiis faciunt. *&c.* Hæ omnes antece-

tecedentes propositiones, quarũ una ex alia effluit, veræ sunt: vera itaque consequentia: *prodigentia igitur Juvenum perniciosa est Reipub:, ergo prodigis adolescentibus curatores sunt dandi.*

Naturalis itaque est hæc per Soriten ratiocinatio, & sæpe vel non considerantibus, ipsamet occurrit. Hæcque de quatuor Argumentationum formis satis sint.

Quo loco admonendi sunt Juvenes: quod Oratores, aut Epistolarum Scriptores, quamvis tum minimè de formando Syllogismó, Enthymemate, Collectione, Inductione, Sorite, cogitent, tamen unum aliquid ex istis semper formant, quoties solidè & ordinatè ratiocinantur.

Certè Imperator Marius, homo plebeiæ stirpis, literarum rudis, sed Eloquentia Civili ac militari natura ac usu præditus, formas argumentationum ignoravit, lege tamen sequentem Orationem ejus, & egregiam ibi ratiocinationem reperies. Electus Imperator contra Jugurtham, Nobilitatem Romanam, quæ munus Imperatorium illi plurimum invidit, perstringere voluit, & semet contra Nobiles defendere. Naturaliter ita, quæ dicturus erat, præmeditatus est. *Imperium militare mihi collatum nobilitas otiosa & invida ægerrimè fert, ego ostendam, qualis ego sim homo novus, & quales sint nobiles isti veteres. Inde patebit eorum invidiam esse injustam.* Hoc itaque argumentum, hæc Propositio est Orationis hujus, quæ Propos: istis continetur verbis: *Ego illud intelligo Quirites, omnium ora in me esse conversa, æquos bonosque favere, Nobilitatem locum invadendi me quærere.*

Quan-

Quando dicit quod *Nobilitas locum seu occasionem invadendi se quærat*, etiamsi verbis id claris non proponat, intelligitur tamen istud: *& ego hac Oratione me, contra obtrectantem mihi Nobilitatem defendam, & ejus invidiam esse injustam monstrabo.*

In exordio, quod ab observatis moribus Nobilium duxit, duo discrimina inter se & Nobiles posuit. *Unum:* quod Nobiles, dum Imperia petunt, supplices & industrij sint, dum ea obtinent, superbi & ignavi, sibi vero contra videri, scilicet majore cura officia & Magistratus Reipublicæ administrari debere, quam peti; seque bene noscere. quantum illi oneris inter factiosos & invidos impositum sit. *Alterum* Quod Nobilitas factis Majorum se contegat, aliisque præsidijs, quæ sibi nulla sint, præter innocentiam & virtutem. Hæc paucis præfatus, contra invidiam in se Nobilitatis rationes adducit.

1ma. Ego omnem ætatem in optimis artibus egi, mihi bene facere jam ex consuetudine in naturam venit: ergo nec vos Quirites decipiemini, qui me Imperatorem jussistis, & Nobilium invidia contabescet. Hæc ratio incipit à verbis: *quo mihi acrius &c.* ad verba: *in naturam venit.*

2da. Nobiles hi veteres, cum nullius sint stipendij, id est cum in castris nunquam meruerint, ignari sunt belli: ego tot stipendia merui, bella vidi, gessi, ergo mihi injustè invidetur. Hæc ratio incipit à verbis: *quæso reputate*, ad verba *invident honori meo. &c.*

3tia. Nobiles hi veteres, Majores suos, facta

cta eorum fortia, & imagines jactitant, ego Majorum decoribus careo, sed meis proprijs nitor: ergo frustra vos accusant, quod mihi summum honorem imperii contuleritis: hæc ratio à verbis *verum homines corrupti superbia. &c.* ad verba: *istæ sunt imagines &c.*

4ta Nobiles rudem me Literarum Græcarum, me sordidum & incultis moribus ajunt. At ego scio quæ militis, quæ Ducis sunt; munditias mulieribus, convivia & luxum Nobilibus relinquo: ergo injustè turpes Viri ante me præmia exposcunt. Hæc ratio à verbis: *non sunt composita verba mea &c.* ad verba illa: *Reipublicæ clad: sunt.*

Denique cohortatione militum finit.

Hæc Enthymemata ex ejus ratiocinatione eruuntur. Quomodo jam naturali oratione tecta sint, Adolescentes legendo attentè observent: " Scio ego, Quirites, plerosque non ijs-
" dem artibus Imperium à nobis petere, & post-
" quam adepti sunt gerere: primo industrios,
" supplices, modicos esse, deinde per ignaviam
" & superbiam ætatem agere. Sed mihi contra
" videtur: nam quò universa Respubl: pluris est
" quam Consulatus aut Prætura, eò majore cu-
" ra illam administrari, quàm hæc peti debe-
" re. Neque me fallit, quantum cum vestro
" maximo beneficio negotij sustineam. Bellum
" parare simul & ærario parcere, cogere ad
" militiam eos, quos nolis offendere, domi fo-
" risque omnia curare, & ea agere inter invi-
" dos, occursantes, factiosos, opinione, Quiri-
" tes, asperius est. Ad hoc: aliis, si deliquêre,
" vetus

" vetus Nobilitas, majorum fortia facta, cogna-
" torum & affinium opes, multæ clientelæ,
" omnia hæc præsidio adsunt: m hi spes omnes
" in memet fitæ, quas necesse est virtute & in-
" nocentia tutari: nam alia infirma sunt. Et il-
" lud intelligo, Q. omnium ora in me conversa
" esse, æquos bonosque favere, [quippe benefi-
" cia mea in Rempubl: procedunt] Nobilitatem
" locum invadendi me quærere. Quo mihi a-
" crius adnitendum est, ut neque vos capia-
" mini, & illi frustra sint. Ita ad hoc ætatis à
" pueritia fui, ut omnes labores & pericula
" consueta habeam. Quæ ante vestra beneficia
" gratuitò faciebam, ea uti accepta mercede de-
" seram, non est consilium Qu rites. Illis diffi-
" cile est in potestatibus temperare. qui per
" ambitionem, sese probos simulavêre, mihi,
" qui omnem ætatem in optimis artibus egi,
" bene facere jam ex consuetudine in naturam
" vertit. Bellum me gerere cum Jugurtha jus-
" sistis: quam rem Nobilitas ægerrimè tulit.
" Quæso, reputate cum animis vestris, num id
" mutari melius sit. Ecquem ex illo globo no-
" bilitatis ad hoc, aut aliud tale negotium mit-
" tatis hominem, veteris prosapiæ ac multarum
" imaginum, & nullius stipendij: scilicet ut in
" tanta re, ignarus omnium, trepidet, festinet,
" sumat aliquem ex populo sui Officiij monito-
" rem. Jta plerumque evenit, ut quem vos im-
" perare jussistis, is sibi Imperatorem alium quæ-
" rat. At ego scio, Quirites, qui, postquam Con-
" sules facti sunt, acta majorum & Græcorum
" militaria præcepta legere cæperint: præpo-
" steri

" steri homines: nam legere quàm fieri tempo-
" re posterius, re atque usu prius est. Compa-
" rate nunc, Quirites, me hominem novum cum
" illorum superbia. Quæ illi audire & legere
" solent, eorum partem vidi, alia egomet gessi,
" quæ illi literis, ea ego militando didici. Nunc
" vos existimate, facta an dicta pluris sint. Con-
" temnunt novitatem meam, ego illorum igna-
" viam: mihi fortuna, illis probra objectantur.
" Quanquam ego naturam unam & communem
" omnium existimo, sed fortissimum quemque,
" generosum esse. Acsi jam ex patribus Albini,
" aut Bestiæ quæri posset, mene an illos ex se
" gigni maluerint: quid responsuros creditis?
" nisi sese liberos quam optimos voluisse? Quod
„ si jure me despiciunt, faciant idem majoribus
„ suis, quibus, uti mihi, ex virtute Nobilitas
„ cæpit. Invident honori meo: ergo invideant
„ labori & innocentiæ, periculis etiam meis: quo-
„ niam per hæc illum cœpi. Verum homines
„ corrupti superbia, ita ætatem agunt, quasi
„ vestros honores contemnant: ita hos petunt,
„ quasi honestè vixerint. Næ illi falli sunt,
„ qui diversissimas res pariter expectant, igna-
„ viæ voluptatem, & præmia virtutis. Atque
„ etiam quum apud vos, aut in Senatu verba
„ faciunt, pleraque Oratione Majores suos ex-
„ tollunt, eorum fortia facta memorando cla-
„ riores sese putant: quod contra est, nam quã-
„ to vita illorum præclarior, tanto horum so-
„ cordia flagitiosior. Et profecto ita se res ha-
„ bet. Majorum gloria posteris quasi lumen est,
„ neque bona eorum, neque mala in occulto
„ pa-

„ patitur. Hujusce rei ego inopiam patior. Q.
„ Verum id quod multò præclarius est, mea-
„ met facta mihi dicere licet. Nunc videte,
„ quam iniqui sint. Quod ex aliena virtute sibi
„ arrogant, id mihi ex mea non concedunt:
„ scilicet quia imagines non habeo, & quia mi-
„ hi nova Nobilitas est, quam certè peperisse
„ me quam acceptam corrupisse melius est. E-
„ quidem ego non ignoro, si jam mihi respon-
„ dere velint, abunde illis facundam & com-
„ positam orationem fore. Sed in maximo ve-
„ stro beneficio, quum omnibus locis me vos-
„ que maledictis lacerent, non placuit reticere,
„ ne quis modestiam in conscientiam duceret.
„ Nam me quidem ex animi mei sententia læ-
„ dere nulla Oratio potest: quippe vera, necesse
„ est bene prædicet: falsam, vita moresque
„ mei superant. Sed quoniam vestra consilia
„ accusantur, qui mihi summum honorem, &
„ maximum negotium imposuistis, etiam atque
„ etiam reputate num eorum pænitendum sit.
„ Non possum fidei causa, imagines neque
„ triumphos, aut Consulatus Majorum meorum
„ ostentare: at si res postulet, hastas, vexillum,
„ phaleras, alia militaria dona, præterea, cicatri-
„ ces adverso corpore. Hæ sunt meæ imagi-
„ nes, hæc mea Nobilitas, non hæreditate reli-
„ cta [ut illa illis] sed quam ego plurimis meis
„ laboribus & periculis quæsivi. Non sunt
„ composita verba mea, parvi id facio: ipsa se
„ virtus satis ostendit: illis artificio opus est,
„ ut turpia facta oratione tegant. Neque li-
„ teras Græcas didici, parum placebat eas di-
„ scere: quippe quæ ad virtutem doctoribus
„ nihil

„ nihil profuerant. At illa multo optima Reip.
„ doctus sum: hostem ferire, præsidia agitare,
„ nihil metuere nisi turpem famam, hyemem
„ & æstatem juxta pati, humi requiescere, eo-
„ dem tempore inopiam & laborem tolerare.
„ His ego præceptis, milites hortabor: neque
„ illos arctè colam, me opulenter: neque glo-
„ riam meam labore illorum faciam. Hoc est
„ utile, hoc civile Imperium. Namque cum tute
„ per mollitiem agas, exercitum supplicio co-
„ gere, id est Dominum non Imperatorem esse.
„ Hæc atque alia Majores vestri faciendo, seque
„ & Rempubl: celebravêre. Queis Nobilitas
„ freta, ipsa dissimilis moribus, nos illorum æ-
„ mulos contemnit, & omnes honores non ex
„ merito, sed quasi debitos à vobis repetit. Cæ-
„ terum homines superbissimi procul errant.
„ Majores eorum omnia quæ licebat, illis reli-
„ quêre, divitias, imagines, memoriam sui præ-
„ claram: virtutem non reliquêre, neque pote-
„ rant. Ea sola neque datur dono, neque ac-
„ cipitur. Sordidum me & incultis moribus a-
„ junt: quia parum scitè convivium exorno, neq;
„ histrionem ullum, neque pluris pretij coquum,
„ quam villicum habeo, quæ mihi libet consi-
„ teri Q. Nam & ex parente meo, & ex alijs
„ sanctis viris ita accepi, munditias mulieribus,
„ viris laborem convenire: omnibusque bonis
„ oportere plus gloriæ, quam divitiarum esse:
„ arma non supellectilem, decori esse: quin er-
„ go quod juvat, quod charum æstimant, id
„ semper faciant: ament, potent: ubi adolescen-
„ tiam habuêre, ibi senectutem agant, in con-
„ viviis

„ viviis, dediti ventri, & turpissimæ parti cor-
„ poris: sudorem, pulverem, & alia talia relin-
„ quant nobis, quibus illa, epulis jucundiora
„ sunt. Verum non est ita, nam ubi se omni-
„ bus flagitiis dedecoravêre turpissimi viri. bo-
„ norum præmia ereptum eunt. Ita injustissimè
„ luxuria & ignavia, pessimæ artes, illis qui
„ coluêre eas, nihil officiunt: Reipubl: innoxiæ
„ cladi sunt. Nunc, quoniam illis, quantum mo-
„ res mei, non illorum flagitia poscebant, re-
„ spondi: pauca de Republ: loquar. Primum
„ omnium de Numidia bonum habetote ani-
„ mum Quirites. Nam quæ ad hoc tẽpus Jugur-
„ tham tutata sunt, omnia removistis: avaritiam,
„ imperitiam, atque superbiam: deinde exercitus
„ ibi est, locorum sciens, sed me hercule magis
„ strenuus quam felix, nam magna pars ejus
„ avaritia, aut temeritate Ducum attrita est.
„ Quamobrem vos, quibus militaris est ætas,
„ adnitimini mecum & capessite Rempubl: ne-
„ que quenquam ex calamitate aliorum, aut
„ Imperatorum superbia, metus cæperit. Ego-
„ met in agmine atque in prælio, consultor
„ idem & socius periculi vobiscum adero: me
„ vosque in omnibus rebus juxta geram. Et
„ profecto Dijs juvantibus, omnia matura sunt,
„ victoria, præda, laus: quæ si dubia aut procul
„ essent, tamen omnes bonos Reipubl: subve-
„ nire decebat. Etenim nemo ignavia immor-
„ talis factus est, neque quisquam parens libe-
„ ris, ut æterni forent, optavit, magis uti boni
„ honestique vitam exigerent. Plura dicerem,
„ Quirites, si timidis virtutem verba adderent,
„ nam strenuis abundè dictum puto.

Ut

Ut in tota hac Oratione naturâ ipsâ ratiocinatur, ex antecedentibus rationibus consequentias infert; ita & omnes viri graves, maturique ingenij, quamvis ad formas argumentationum minimè reflectant animum, semper ratiocinari solent, multo tamen ordinatius, faciliusque illi, qui â Juventute debita forma ratiocinari didicerint. Nam certè & hæc Oratio, est potius eruditissimi hominis Sallustij, quam Marij, quæ etiam contra innatam Nobilitati superbiam ac ignaviam, Adolescentibus Nobilibus quoddam antidotum est.

Hactenus de Confirmatione. Sit jam:

§. V.

De Confutatione.

18, *Quid est Confutatio?*

Est pars Orationis, quà rationes contrariæ enervantur.

TAmetsi non in quavis Oratione, sæpius tamen necessaria est Confutatio. Nam non satis est rem suam adductis pro sententia tua rationibus probare, sed necesse est etiam ea quæ opponi possunt, prævertere, vel oppositis argumentis respondere. Hæc autem Confutatio, vel post Confirmationem locum habet, vel ante Confirmationem præmittitur, vel quandoque cum ipsa Confirmatione miscetur; ordinatè tamen agendo, præsertim si graviores objectiones dissolvendæ sint, à Confirmatione Confutatio separanda est. Porrò, quæ diximus de

Con-

Confirmationis interna dispositione, in qua Syllogismi, Enthymemata, &c. naturaliter reperiuntur, ea pariter de Confutatione intelligenda sunt: æquè enim confutando adversas rationes, ratiocinandum est.

Jam imprimis transitiones à Confirmatione ad Confutationem, vel contra, necessariæ sunt, quarum infiniti sunt modi juxta cogitationes hominum. *Vg. Facile res patebit, si obstacula difficultatesque amoveantur, plerique enim contra sentiunt.* &c. *Egi hactenus ut rem esse ita ostenderem, nunc quæ nostræ solent opponi sententiæ producantur.* &c. *Audistis quæ firment sententiam nostram, jam quibus eam plerique infirmare sibi posse videntur, paucis habetote.* &c. *Sunt tamen non pauca, nec parvi momenti, ad quæ respondendum mihi esse videtur.* &c. *At ne eorum argumenta qui contrarium volunt, vel metuere, vel studio præterire videamur.* &c.&c. Aut brevius, *Quid ad hæc alij? plerique? nonnulli?* &c. *At isti inquiunt,* &c. *Dicent fortasse? si quæras? si opponas? si asseras? si neges?* &c. Sed si Confutatio Confirmationem præcederet, dicerem. *Vg. Primò tamen loco tollenda mihi omnino videntur, quæ rem hanc retardare hucusque mihi visa sunt.* &c. *Cum meum vobis consilium sententiamque aperio: mox plerosque interrumpere me velle video, meque impeti ac occupari quodammodo sentio.* &c. *Pace vestra primum ad respondendum adversarijs me cogi intelligo.* &c. *Sed sublatis primum quæ contra adduci solent, faciliùs deinceps*

inceps planiusque mea procedet Oratio. &c. Hæ, vel similes breviores transitiones necessariæ sunt.

Exemplum Confutatationis post Confirmationem. Propositio sit. *Milites à Civilibus rebus & Consiliis in Republ: separandos esse.* Rationes quæ id probent ac confirment, essent, *Vg:* " Ad milites enim defensio Reipubi:, non " Consultatio de Republ: spectat, sagus non to- " ga ijs propria. Milites omnia manu & vi pro " more agere, rationi eos ac deliberationi, dum " viribus valent, locum non daturos. Militaria " consilia indole sua, ferocia & violenta sunt. " Romanâ, Carthag:, Athenien:, & omnes veteres " Resp: perdidêre, à Patribus ad milites transla- " ta consilia, dehinc enim Resp:, istæ vacillare " cæperunt & corruerunt. Divulgato Impe- " rij Roman: arcano: posse Imperatores à mili- " te eligi, omnia Principum impleta cædibus, " Electiones vi armis & sanguine stetêre, nec " aliter miles eligere, nec aliter consulere po- " test. Gubernatio militaris paci inimica est, ad " bella anhelat, bella quærit, gloriam, commoda " & incrementa Reipubl: in nulla alia re præ- " terquam in solis armis statuit, artes pacis con- " temnit & odit, humanæ societati ac viciniæ " infesta est semper, æquè suis semper formido- " losa ac vicinis &c. &c. *His & idgenus rationibus præmissis, comemorataque propositione, ad Confutationem transeo.* " Adeoque si tutam ve- " limus Rempubl:, suffragia secura & legitima, " sententias & consilia libera, metuque omni " vacua, sejungamus militem à Cive, huic Con- " silia.

" filia, illi arma & stipendia relinquamus. Sed
" adeone facilè, dicat aliquis, in nostra Republ:
" miles à consiliis & re civili separari potest?
" Quid est enim apud nos Nobilitas? nisi mili-
" taris Status? cui ignotum est, Nobiles antea,
" Polonos appellatos fuisse milites? priùs certè
" apud Polonos est militem vocari quam Nobi-
" lem, excludere itaque à rebus Civilibus mi-
" litem, quid est aliud quam excludere Nobi-
" lem? Jam si miles nobilis civilibus apud nos
" privetur Magistratibus, amoveaturque à Con-
" siliis, quis nobili satus sanguine, si Comitijs
" ac Tribunalibus renuntiandum est, arma por-
" tare, in Castris vitam degere præferet? quis
" sponte velit juribus Nobilitatis privari & exui?
" & an ideo sit ijs privandus miles, quod Patriæ
" defendendæ det operam? quod Reipubl: tu-
" endæ vitam sanguinemque consecratum eat?
" quod pro Religione & Legibus caput & pe-
" ctus in vulnera offerat? &c. *Hæc & id genus*
Orator sibi opponere debet, & ea confutare. Vg:
" Gravissima equidem hæc esse videntur; sed si
" rem penitiùs introspicias, speciosa quam ve-
" ra potius. Nos enim ab armorum studio, tan-
" tum abest, ut Nobilitatem avocare velimus,
" potius ut ad quærendam factis militaribus glo-
" riam, Nobiles esse natos sentiamus. Sed ideo-
" ne Gallus, Hispanus, Italus, Germanus Miles,
" Centurio, Tribunus, aut ignavus, aut inglori-
" us est, aut vincendo minus hosti idoneus, quod
" illustri cum sit natus loco, se in Aulæ vel Rei-
" publicæ Consilia non ingerat? quod Judex,
" quod Legatus, quod Minister, quod Senator,
simul

" simul ac Miles, non sit? longe igitur id ve-
" rissimum est, posse esse Virum Nobilem, opti-
" mum fortemque militem, absque Civilibus mu-
" niis & Magistratibus. Deinde vero, quis ita
" cogitet: Nobiles destinatos ad arma, nunquam
" Reipubl: partibus immiscere se posse? imò
" vero cum juventutem, robustamque ætatem
" in armis exercuerint, ac quò plura stipendia
" meruerint, eò propiores sint ad omnia Reipu-
" blicæ ornamenta, & munera, Præfecturis
" donentur, Officiis Regni ac Provinciarum
" ornentur, ad Senatum & Ministeria adlegan-
" tur; sed non tum, cum in Castris merentur,
" Consilia Reipubl: agitent; ne videantur
" simul eodemque tempore, & servi & Do-
" mini Reipubl: esse; à Castrorum Officiis ne ad
" civilia, vicissimque avocentur, ne simul & ij-
" dem imperitent, & ijdem obediant. Hoc est
" enim revera illud, quod apud nos militarem
" disciplinam ac obedientiam solvat necesse est,
" uti eam continuo solvit, cum Comitiorum
" spiritu Nobilitas vult in exercitu agere, Præ-
" fectisque suis jura æqualitatis perpetuo sonet,
" quæ cum Legibus Militaribus conciliari ne-
" quaquam possunt. Hic est ille fons & origo,
" tam exiguæ in nostris copiis militaris disci-
" plinæ, sine qua exercitus formidabilior fit o-
" portet suis, & Reip:, quam hosti. Discernenda
" itaq; sunt ista: Miles & Civis, Civis & Miles, ut
" quamdiu miles est, civitati serviat, non Civi-
" tatem regat. Jam ne miles nobilis, aut priva-
" tum se, jure Reipubl: putet, aut ne ij Nobi-
" les qui stipendia mereri recusent, præmia for-

" tium

" tium virorum occupent, & præripiant: ij soli
" qui stipendia dena saltem numerent, [cæptis
" non prius, quam ab anno 19no. stipendijs] ad
" Præfecturas & munera, & honores & curules
" Reipubl: vocentur, ac ijs qui domi egêre æ-
" tatem, præferantur. Tum vale Castris dicto, ad
" Rempubl: accedant. Qui vero diutius aut
" perpetuo militiam profiteri cum laude præ-
" tulerit, gradibus ille ac perhonorificis Mi-
" litaribus augeatur Officiis, ille bene meren-
" tium pane copiosius cumuletur, ita subsellia
" & curules aliis non gravatim relinquet. Si
" vero jam & è Civlii statu ac curia, ad Castra
" Nobilibus redire libuerit, Magistratusque mi-
" litares ambire, id ita plane sit illis liberum,
" ut tamen relinquant Civilia, finito militari
" obsequio & stipendijs, ad ea si volent reditu-
" ri. Hoc discrimine & ordine facto, nos &
" disciplinam militarem, & Reipubl: Consilia in
" tuto ponemus. Jam ergo intelligitur, nos cum
" separari Civilia à Militaribus consulimus, nec
" cupiditatē gloriæ in nobilibus cohibere, nec
" militaribus è Nobilitate viris ad Reip: munera,
" Consilia, Tribunalia, Comitia, Senatum, ullo
" modo aditum præcludere velle, sed duntaxat
" militaria à Civilibus, ut par est sejungere, ne
" Curia à Castrensibus vim, Castra à Curiatis so-
" lutionem, ut sit, disciplinæ ferant. *&c.* Ita Con-
" futationem esse fortem seriamque oportet.

Exemplum, in quo *à Confutatione*, Orator, statim post Propositionem, ratiocinari incipit. Sit Propositio. *Statuendum esse, ne mercatura Nobilitati deroget.* Præmitto Confutatio-

„ nem

nem, ante Probationes Propositionis, ita: " At
" enim principio mox complures mihi oppo-
" nuntur exageranturque leges, quibus, ita No-
" bilibus personis mercatura apud nos interdi-
" citur, ut si eam exercerent, statim jus no-
" bilitatis amittant. Sed enim vero, Cives, hæ
" ipsæ leges sunt, quas ego antiquari, & in me-
" liores utilioresque mutari cuperem. Leges
" enim, quæ certis temporibus, bonæ salubres-
" que visæ sunt, aliis temporibus & alias ob
" causas sua bonitate excidere solent, oportet-
" que eas in salubriores converti. Ita apud Ro-
" manos Patritiorum matrimonia cum plebeiis
" primum prohibita, deinde non tantum con-
" cessa, sed etiam laudata fuêre. Quot jam &
" apud nos sanctæ antea, deinde eædem revo-
" catæ leges? *&c. &c.* Sed reapse, Mercatorem
" & Nobilem esse, dicet aliquis, contrarium vide-
" tur involvere: manu scilicet, ad ensem nata,
" tractare mensuram vel ulnam: nunc in for-
" nice, nunc in Curia comparere: hic de pan-
" ni vel corij pretio, hic de Republ: disputare:
" quis hæc in uno homine conjuncta, simulque
" esse posse, satis bene concipiat? quis hæc se-
" cum stare, & conciliari asserat? ille qui
" mentem inductis à juventute præjudiciis er-
" roribusque exuerit, ille, qui non ita, ut à pu-
" ero cogitavit, de rebus cogitet, sed qui libe-
" ra ratione maturoque judicio utitur. Manus
" hæ certæ Nobiles, nec omnino ad ensem, nec
" omnino ad ulnam à natura datæ sunt, ulnam
" vel ensem stringere perinde illis est. Ab opi-
" nionis duntaxat ocupatæ sententia ad ratio-

 „ nis

" nis Tribunal rem transfer, sane non id quod
" rides, sed tuus risus tibi ridiculus pro-
" fecto videbitur. Apud Britannos certè vete-
" res illæ illustresque Familiæ nihiloque infe-
" riores sunt nostris, in quibus tamen fratrum
" unus diligentis laboriosique mercatoris, al-
" ter Reipubl:, Areopagi, vel Senatus Officia
" laudabiliter gerunt, Isq; qui mercaturam exer-
" cuit, egregiè fratri, si locus, est in Republ: ad-
" ministranda succedit. Claritudini nominis, ac
" Nobilitati nihil ab honestissima mercaturæ
" professione decedit, plurimum potius utilitatis,
" industriæ, opumque ab hoc fonte Nobilibus
" accedit Familiis. Adeo omnia ex opinione
" pendent, ut apud nos etiam equos, boves,
" porcosque, tam suos quam coemptos pluris
" vendere, nihil: aurea, argentea, pannum, aut
" sericum divendere, plurimum bonis natalibus
" obsit. &c. &c. Jta Confutatione præmissa,
honestatem jam utilitatemque mercaturæ,
quamque id esset ingens pauperis Nobilitatis
subsidium & fulcrum, ostenderes.

Confutationem Confirmationi misceri hoc
exemplo patebit. Propos: sit: *Nobiles, Nobilibus
non serviant.* Ratio: „ Non videsne enim, quod
„ servire, perinde sit ac æqualitatem amittere?
„ servus, qui potest esse par Domino suo? At,
„ inquies, morem hunc fuisse nostratibus vete-
„ rem. Mos quidem vetus est, sed & vetus cer-
„ tè cujusdam abjectioris animi origo. Nobi-
„ les enim illi spiritus, quodam usu servitutis
„ degenerent, necesse est. Longo æqualibus fa-
„ mulatui assueti, ut diu illos superiores suos
„ agno-

„ agnovêre & Dominos, ita eos deinceps non
„ revereri solum, sed & vereri sunt soliti. Do-
„ mini vero assuefacti imperitare æqualibus, eos
„ etiam contemnere non dubitant, & servilem
„ ab ijs observantiam ac obsequium exigunt.
„ Et miremur jam, Nobilitatem etiam in Comi-
„ tijs Provinciæ ac Reipub:, Dominorum jussa &
„ imperia cæcè sequi & exequi? Putant sane
„ semper, qui servière, è Dominorum se pende-
„ re nutu, omnemque se ijs debere fortunam.
„ Ita ab ineunte didicerunt ætate. Hinc ille
„ contemptus nobilitatis, qua Proceres tanquam
„ servilibus ad omnia instrumētis utuntur. Lega-
„ tos ipsos Provinciarum, ac Judices ceu tibias,
„ ut libet, inflant, ut non quæ animus ac con-
„ scientia dictet, sed quæ Domini velint, in Are-
„ opago, & in Curia Comitiorum loquantur.
„ Quo, quid Equestri Ordini aut vilius aut eti-
„ am iujuriosius? Quo jam itaque, [si id tanto
„ malo est Reipubl:] quo inquies vertenda est
„ nobilis Juventus illa? quid faciendum de tot
„ inopum Nobilium Equitum liberis? si pau-
„ per parens, in clientelam ditioris non addicat
„ filium, quid domi de eo fiet? Aulæ nunc so-
" læ Procerum, nutrices altricesque sunt mul-
„ torum è nobilitate Juvenum. Quid facien-
„ dum de Nobilium, inopumque Equitum li-
„ beris? Reipubl: interest prospicere, quid de
„ ijs faciendum sit. Copiæ nimirum militares
„ augendæ. Officia multiplicanda in Exercitu;
„ id quod optima Nobilitatis parens, laudabili
„ utilique exemplo facit, Gallia. Et hæc ipsa
„ augendi apud nos militis gravissima omnino
„ esset

„ esset Reipubl: causa, ut Nobilitati tam nume-
„ rosæ & pauperi modus vivendi ne desit. Qua
„ in re perridiculum imprudensque est dene-
„ gare tributa, cum pro exercitu numerosiore,
„ nihil aliud esset, quam pro alenda Nobilitate,
„ proque propriis liberis contribuere. Jam mi-
„ litaris vitæ genus Nobilitati est maximè con-
„ gruum. Alii reliqui ad Sacerdotia, & Religi-
„ osos Ordines, alij ad Tribunalia, alij ad Au-
„ lam Regiam, alij in externorum Principum co-
„ pijs, rationem vivendi reperirent; ita à turpi
„ servitutis apud æquales assuetudine liberare-
„ tur Nobilitas. &c.

Hæc exempla Confutationis sufficiant, in qua, ut vides, curandum est, ut, cum opus est, contrariæ rationes & opiniones diligenter prævideantur, ac graviter refutentur.

§. VI.

De Epilogo.

19. *Quid est Epilogus?*

Est ultima Pars Orationis, qua res proposita ex dictis infertur, & majore quadam vi, ad id de quo agitur probandum, vel improbandum, sequendum, vel vitandum, Orator Auditorem adducit.

SIve longior, sive brevissima Oratio quævis, quomodocunq; tandem finienda est. In genere deliberativo, ubi suadetur vel dissuadetur res, concludendum est brevibus gravibusque verbis, quæ

quæ dicta sunt in fine Orationis colligendo, & inculcando. In genere demonstrativo, si *vg.* gratuleris aliquid, ultimo loco votis ac precationibus concludes. In Epistola etiam quavis, est suus finiendi modus, quo de animi tui sinceritate, grato animo, æstimatione, amore, veneratione, hunc cui scribis securum reddas. Hoc ita fit naturæ ductu, ut in quovis sermone humano, res de qua verba facta sunt, in fine dicendi brevibus repetatur, & diligenter quo ad fieri potest, audienti, vel legenti insinuetur. Sine tali fine, Orationi cuivis necessarium quidpiam deest. Non solum itaq; aut prætermittendus, aut perperam tractandus non est Epilogus, sed maximam in eo diligentiam adhibendam esse, in eo magnam vim consistere, Adolescentibus persuasum sit.

In Epilogo, præsertim ubi serio res acta, & probata est, per quam juvat, rationes fusius in Oratione tractatas brevissimè ultimo loco colligere, & conclusionem ex illis elicere: *Vg:* Si quis in re morali contra mendacij vitium perorârit, tresque causas in Oratione exagerârit: *quod mendacia honori personæ detrahant: quod mendacia fidei cujusvis privatæ derogent: quod mendacia fidem publicam evertant:* In Epilogo hæc ita commemoraret. " Vidistis quam ho-
" nori, bonæ famæ, honestati & decoro men-
" dacia majorem in modum noceant: expendi-
" stis quantum falsitas semel detecta, fidei cu-
" jusvis, apud omnes detrimenti afferat: intel-
" lexistis, quam mendacia fidem etiam publi-
" cam è societate humana tollant, sanctissi-
" mum

" mumque hoc generis humani dissolvant vin-
" culum: tam ergo ob privati honoris, honesti-
" que, quam ob fidei apud alios, quam denique
" ob fidei publicæ in Republ: conservandæ rati-
" ones, facilè inferetis, quemadmodum pestis
" instar & flammæ, sint cuivis ingenuo hone-
" stoque Viro, devitanda mendacia. Et nostra
" itaque ipsorummet, & Patriæ, ac humani ge-
" neris causa, veritatem amemus, abhorreamus
" à falsitatis ac simulationis vel umbra, mens
" semper cum lingua cohæreat, sermo noster ut
" Divina Oracula docent, sit semper, est est, non
" non: ita & honoris integritatem, & fidei no-
" stræ authoritatem, & fidei publicæ sancti-
" tatem inviolatam servabimus.

Privatas rationes, Patriæ posthabendas esse. Rationes quæ id suaderent, longius in Oratione propositæ, ita in Epilogo colligerentur: " Cum itaque minime jam dubitare possi-
" mus, Patriæ felicitatem nostram esse, Patriæ
" mala & infortunia nostra esse: infelici Patria,
" nos esse felices non posse: Patriam vero feli-
" cem, nos felices, fortunatosque reddituram;
" amore itaque, si non Patriæ, quod justum san-
" ctum, æquissimumque est, certè vel nostri i-
" psorummet amore, ac propriæ felicitatis no-
" stræ studio, privatas rationes & commoda, quæ
" bono Patriæ, id est nostro, obsunt, publicis
" ejusdem rationibus posthabeamus. Fatalis
" ambitio, æmulatio, odia mutua, vindictæ, ha-
" bendi cupiditas, & id genus pestes, procul sint
" à bonorum Civium animis; pax, concordia, ju-
" stitia, opes, salus, integritas, ac defensio Reip:
" pri-

" primæ ac unicæ causæ & regulæ nobis sint,
" quibus privata metiamur commoda, cedant
" hæc, si nocent universæ Patriæ, commodis
" quæ nobis ab ea florente copiosius refunden-
" tur. Simus boni liberi, qui Parentum suorum
" bono minimè invident, non ignari Parentum
" fortunam, æquè suam esse. Bona certè Patriæ
" nostrum patrimonium sunt, hoc ampliare, hoc
" fovere, hoc promovere cordi nobis sit &c.

Agrorum Colonos gravi servitute eximendos & honesta libertate donandos esse. Rationes duæ longiùs in Oratione pertractarentur, 1ma, *quod libertas homini sit innata: servitute vero ita vilescat, ut omnem sui curam abijciat:* 2da. *quod libertas honesta Colonis reddita, nedum non diminuat, verum etiam augeat dominorum utilitates.* Hæ fusius in Oratione pertractatæ rationes, ita in Epilogo colligerentur: „ Vidimus jam gravem turpemque servitutem
„ esse humanæ penitus contrariam intolera-
„ bilemque Naturæ, eam homines mutare in
„ pecora, eas esse barbariores cæteris gentes,
„ quæ vel regi nolint, ac omne detrectent im-
„ perium, vel quæ nimia servitute premantur;
„ extrema hæc esse: tam nimiam licentiam,
„ quam servitutem nimiam, utramque belluis,
„ quam hominibus potius convenire, hominem
„ oportere regi, non vero ut pecudem, jugo,
„ freno, stimulis ac verbere trahi: rusticum, quam
„ diu mancipium est, non posse suum non odis-
„ se Dominum. Vidimus jam libertatem hone-
„ stam, agricolis redditam, nihil penitus domi-
„ norum derogare opibus ac reditibus, imò u-
„ bique

„ bique gentium, ubi rustici libertate gaudent,
„ plus è pagis & bonis suo provenire Domino:
„ agricolam, suæ personæ, suæ Domûs, sui tem-
„ poris, suæ rei familiaris securum, majore, imò
„ maxima cura propriam rem suam agere, si-
„ xum vero certumque censum, sive rebus, si-
„ ve parata pecunia Domino libenter persolve-
„ re, Dominum molestissimis œconomiæ agre-
„ stis solutum curis, è paratis nummis ac re-
„ ditibus liberaliùs commodiusque vivere, ac
„ familiæ suæ & Reipubl: vacare quietiùs pos-
„ se; de domo, vita, alimentis, pecoribusque
„ agricolæ minime sollicitum esse, ut quem,
„ à suis servilibus officiis, liberum suæ curæ re-
„ liquerit. Hæccine itaque adeo humanæ natu-
„ ræ conveniens hominis regendi ratio, hæc-
„ cine nostra etiam emolumenta tam liquida,
„ nos non permoveant, ut Agricolas belluina ac
„ gravi servitute solutos, honesta quadam liber-
„ tate donemus, è mancipiis honestos patres
„ familias, nobis vero bonos fidelesque servos
„ faciamus? Probemus id quæso vel in uno,
„ quopiam imprimis pago, quod cum tanto e-
„ molumento & fructu, in aliquibus jam Pro-
„ vinciis nostris, à diversis Dominis feliciter pro-
„ batum conspicimus, & si propria experientia,
„ idem quod illi, vel in uno animadverterimus
„ pago, certissimum mihi est, nos ipsos, ad ex-
„ tendendam super omnibus possessionibus no-
„ stris hanc agricolis libertatem, ultro etiam
„ convolaturos.

Hæc de Epilogo seu peroratione, quam quandoque etiam omitti usu venit, in breviori-

bus

bus præsertim Orationibus, vel in Epistolis familiaribus, sed tum aliquid saltem tale ponitur, quod Epilogi suppleat vicem. Tales sunt ut plurimum ex Historicis excerptæ Orationes, in quibus brevitatis gratia omittuntur epilogi.

§. VII.

De Naturali cogitationum ordine.

HÆ quinque Orationis, de quibus hactenus tractavimus partes, Orationi quidem naturales sunt: & quamvis aliquando, aut exordium, aut Epilogus omittantur, aut propositio non expressè ponatur, Adolescentes tamen ad eas observandas maximopere asuefaciendi sunt: cum enim tali ordini asuefacti fuerint, illum deinceps perutiliter servabunt.

Maturiora enimvero, ac exercitatiora ingenia, ita quidem scribunt, ut naturæ ductum & cogitationes suas duntaxat sequantur, ordinem omittere, ac artificium fere ignorare videantur; latebit tamen semper, in præclara quavis eorum Oratione, & ordo, & solida ratiocinatio, quamvis vix ac ne vix quidem ars appareat.

Accipiamus Valerij Corvini Dictatoris ex Livio Orationem, qui militem Romanum Capuâ reducem, Duce Quintio seditiosum, Patriæ minitantem, Urbique jam proximum [cum suo exercitu Roma progressus,] alloquitur, & ut ad officium redeat, hortatur. Certè dicturo non ar-

tis

tis præcepta, sed cogitationes hæ duntaxat oboriebantur: *A Religione Deorum incipiam*, quæ magnam vim, in animos habet, dicamque: *precatum me esse Deos, ut mihi non victoriæ è Civibus, sed concordiæ partæ gloriam darent.* Ex hac cogitatione alia nata est: *satis enim ex hostibus vincendis, nobis est & erit gloriæ, cum Civibus pax quærenda est.* Has cogitationes ista sequitur, ex ijs nata: *quod itaque à Dijs precatus sum, ut vos ad concordiam reducerem, hoc mihi, vos milites, præstare potestis, id est, ut pacem bello Civili præferatis.* Quare vero pacem bello Civili præferre debetis? hinc rationes, & pulchræ cogitationes oriuntur: Quia *meminisse debetis, vos in Patrio solo, non in hostico Volscorum aut Samnitum castra posuisse, vos exercitum esse nostrorum Civium, non hostium Romanorum.* Quia *meminisse debetis, me vestrum fuisse toties Consulem, me Duce, vos, tot hostes vicisse: à me vos nulla injuria affectos, imo comiter tractatos fuisse: qualis Consul fui, talem me Dictatorem fore. Neque nunc ego vos primus aggrediar, sed ut vos me vestrosque Cives primi ferro petatis, præstolabor.* Inter has cogitationes venerunt Valerio in mentem *veteres seditiones, in quibus tamen ad arma inter Cives ventum non erat: uti in secessione populi ad montem Aventinum, & sub Coriolano.* Tum concludit Valerius allocutione T. Quintij seditiosiorum Ducis, cui suadet: *honestius esse etiam fugere, quam pugnare contra Patriam, & ut ad colloquium potius, quam ad pugnam properet, æqua postulet &c.*

Hæc

Hæ cogitationes una ex alia, naturaliter Valerio profluebant. Vides tamen solidam esse in ijs ratiocinationem, & ordinem. Exordium ducit à Religione, & Deorum invocatione. Propositio est in ijs verbis: *Vos me voti compotem facere potestis*, id est: *pacem bello civili præferre, quod mihi in votis est.* Confirmatio ab ijs verbis incipit: *si meminisse vultis*, ubi rationes tres, ad pacem & concordiam suadendam adducit: *1ma.* est; à consideratione Patriæ, *2da.* à consideratione suæ personæ Consulis & Dictatoris: *3tia.* ab exemplis veterum seditionum incruentarum. Epilogus est à verbis: *T. Quinti &c.* Lege orationem, & ad hæc mox dicta animum reflecte.

„ Deos [*inquit*] immortales, milites, ve-
„ stros publicos, meosque ab urbe proficiscens
„ ita adoravi, veniamque supplex poposci, ut
„ mihi de vobis concordiæ partæ gloriam, non
„ victoriam darent. Satis fuit eritque, unde
„ belli decus pariatur: hinc pax petenda est.
„ Quod Deos immortales inter nuncupanda vo-
„ ta expoposci, ejus me compotem voti vos fa-
„ cere potestis: si meminisse vultis, non vos in
„ Samnio, nec in Volscis, sed in Romano solo
„ castra habere: si illos colles, quos cernitis,
„ Patriæ vestræ esse: si hunc exercitum, Civi-
„ um vestrorum: si me Consulem vestrum, cu-
„ jus ductu auspicioque priore anno bis legio-
„ nes Samnitium fudistis, bis castra vi cepistis.
„ Ego sum M. Valerius Corvinus, milites: cu-
„ jus vos Nobilitatem beneficijs erga vos, non
„ injurijs sensistis: nullius superbæ in vos legis,

„ nul-

„ nullius crudelis Senatus Consulti Author: in
„ omnibus meis Imperiis, in me severior, quam
„ in vos. Ac si cui genus, si cui sua virtus, si
„ cui etiam Majestas, si cui honores subdere spi-
„ ritus potuerunt: ijs eram natus: id specimen
„ mei dederam, ea ætate Consularum adeptus e-
„ ram, ut potuerim tres & viginti annos na-
„ tus Consul Patribus quoque ferox esse, non
„ solum plebi. Quod meum factum dictumve,
„ Consulis, gravius, quàm Tribuni, audistis? Eo-
„ dem tenore duos insequentes Consulatus ges-
„ si: eodem hæc imperiosa Dictatura geretur, ut
„ neque in hos meos & Patriæ meæ milites
„ mitior sim, quam in vos [horreo dicere] hostes.
„ Ergo vos prius in me, strinxeritis ferrum, quam
„ in vos ego: isthinc signa canent, isthinc clamor
„ prius incipiet, atque impetus, si dimicandum
„ est. Inducite in animum, quod non induxe-
„ runt Patres, Avique vestri, non illi, qui in Sa-
„ crum montem secesserunt, non hi qui postea
„ Aventinum insederunt. Expectate dum vobis
„ singulis ut olim Coriolano, matres, conjuges-
„ que crinibus passis obviæ, ab urbe veniant.
„ Tum Volscorum legiones, quia Romanum
„ habebant Ducem, quieverunt: Vos Romanus
„ Exercitus non destiteritis impio bello? T.
„ Quinti, quocunque istic loco seu volens, seu
„ invitus constitisti, si dimicandum erit, tum
„ tu in novissimos te recipito: fugeris etiam ho-
„ nestius, tergumque Civi dederis, quam pugna-
„ veris contra Patriam. Nunc ad pacificandum
„ benè atque honestè inter primos stabis, &
„ colloquij hujus salutaris interpres fueris. Po-
„ stula-

„ stulate æqua, & ferte: quanquam vel iniquis
„ standum est potius, quam impias inter nos
„ conferamus manus.

Hac Oratione Valerius militem seditiosum domuit.

Artificium ergo hic vides cælatum, sed vides simul cogitationes inter se bene ordinatas, unam ex alia quodammodo nasci, vides ordinem & ratiocinandi vim, atque Orationis partes.

Quare si vis optimè intus, tuam Orationem, Epistolamve disponere, nihil consultius est, quam ut super hac re, de qua dicturus es, mentem, prout par est, suspendas, & cogites; tum cogitationes tuas simplices, uti veniunt, sine ullo quæsito ornatu verborum, quam simplicissimè & ruditer in paginam effunde, nihil de vocum delectu, aut amplificatione anxius, nisi rem considerando, & ad ratiocinationem solidam attendendo, ac ut unum ex alio effluat. Tum quæ rudius ita annotasti, relege, amplia, & orna.

Volo vg: *Gratulari reditum ab Exercitu Regij Principis Poloniæ.* Cogito ita simpliciter. „ Salvum Te Princeps & incolumem, inter tot
„ belli pericula optabamus, quamobrem pluri-
„ mum lætamur, quod Te sanum & salvum in
„ Patriam reducem salutemus. Cogito, quare lætamur, quia „ tanto major nobis oboritur læ-
„ titia, quanto tu Princeps majoribus periculis
„ fuisti expositus, quibus defunctus integer &
„ incolumis ad nos redis. Scimus Te in obsidio-
„ nibus NN. in occasionibus NN. in prælijs.
NN.

„ NN. ita ubique affuisse, ut Ducis & militis „ partes expleveris, ut milites Tuos exemplo „ docens, medium Te semper hostilibus armis „ ignibusque injeceris, scimus te victoriam jam „ jam elabentem retinuisse, ac hostium mani- „ bus ereptam, nostris copijs reddidisse. Admirati „ sunt in Te cuncti, prudentiam in consulen- „ do, & robur invicti animi in exequendo, & „ magnitudinem mentis in superandis pericu- „ lis. Cum vero Tu nihil Tibi metueres, nos Ti- „ bi metuimus, & pro Te non semel contre- „ muimus. *Cogito, quare Tibi metuimus?* „ quia enim Regias verè in Te dotes virtutesque „ noscimus, clementiam, justitiam, liberalita- „ tem, comitatem, amorem populi, religionem, „ sapientiam &c timuimus ne magnanimitas „ Tua has omnes virtutes, cum charissima po- „ pulis vita Tua, in certum discrimen adduceret. *Cogito ulterius, quid inde sequitur:* „ Quod „ salvus & incolumis DEO Te protegente redi- „ eris? inprimis gratissimas Providentiæ, ac tu- „ telæ Cœlesti, pro integritate Tua liramus „ hostias, deinde Tibi ex animo optamus, ut &c. &c.

Ratiocinationem hanc simplicem, & satis bene ligatam vides, adeoque hæc ruditer, breviterque projecta, singula repete, orna, & amplia, ita egregiam orationem confeceris *Vg: Quo ardentioribus supplicationibus & fusis ad Superos votis salutem tuam, Princeps, inter tot gravissimi belli incommoda & pericula, Reipubl: conservari divinitus expetiimus, eo nunc majore ac uberiore gaudio, integra incolumique Te salute redu-*

reducem salutamus. Tanto enim copiosiore nunc nos lætitia afficis, quanto cùm pluribus, tùm gravioribus & evidentioribus periculis, toto in armis vere, æstate, & autumno, sacrum tuum objecisti caput &c. &c. ita sequentia.

Volo: *Confœderationem dissuadere.* Cogito: & cogitationes, quæ mihi oriuntur, ruditer in chartam effundo. Cogitationes venirent mihi *Vg:* "Terremur identidem nescio quibus "de Confœderatione, aut tacitis nuncijs, aut "suspicione periculi. His ego quidem minimè "deterrerer, si uti exempla Majorum, qui Con- "fœderationes ante nos inierant, ita & virtu- "tem Majorum haberemus. Recti & Sancti ho- "mines Majores nostri, qui generali quodam "fœdere, & sacramento, se se ad defendendam "Rempubl: obstringebant, nihil nisi Patriam "præ oculis habuêre. Nos privatorum com- "modorum cupiditate, ambitu, vindicta, dolo- "re in Principem ob denegata beneficia, o- "dijs mutuis ac æmulationibus incensi, & ani- "mati, putamus bene nos agere, si normam "quandam Confœderationum, quam Majores "nostri nobis reliquerunt, temerè imitemur, "nihil de eorum innocentia, nihil de vero amo- "re Patriæ, parum aut fere nihil de bono pu- "blico solliciti: dum res nostras augendi oppor- "tunitatem, aut excitemus, aut oblatam aucu- "pemur. Bonum publicum, libertates ac leges "prætexitis, ingentibus è Confœderatione "emolumentis ac fructibus, in Rempubl: re- "dundaturis, simplicibus imponimus. Mihi ve- "ro reapsè, nihil magis Reipubl: noxium, nihil

 "omni-

" omnino inutilius Confæderatione videtur. Vi-
" deamus paucis: *quam perniciosa, ac proinde*
" *minime necessaria sit.*

Nihil certè perniciosius illa Patriæ. Principi est adversa, Senatui & Primoribus est periculosa, Nobilitati est omnino damnosissima.

Principi adversa est. " Quamvis enim
" Regium nomen prætexere, pro defensione
" Majestatis & legum, nos sacramento obstrin-
" gere, fidem integerrimam nos Regi servare,
" principio semper protestemur; tamen Regiam
" potestatem restringere, contra eandem ta-
" citè aliquid moliri, fere semper Confæderati-
" ones assolent. Principia Confæderationum,
" semper pro Rege sunt, media citra Regem,
" finis contra Regem. Hæc molimina paula-
" tim deteguntur, ac in lucem prodeunt. Di-
" vinis illis verbis Reges quodammodo uti pos-
" sunt: populus iste labijs me honorat, cor au-
" tem eorum longè est à me. Hæc nostri Sigis-
" mundi, hæc Michael, hæc Augustus experti.
" Confæderatio vivente Principe, vinculum &
" jugum grave est Principi. Si Rex ipse qui-
" dem Confæderationis Auctor, Svasor, Dire-
" ctor, Caput, Principium & anima esset, res
" profectò tutiores essent, tranquilior & secu-
" rior Majestas Regia. Sed quam hactenus ejus-
" modi Confæderationem habuimus? Cum
" ergo, [quidquid demum de causis, initiisque
" earum utcunque bonis, dicere ac vulgare pos-
" simus,] de fine exituque illarum respon-
" dere nemo possit, nam è bonis in malas sedi-
" tiosasque, naturâ populi degenerare facile so-
" lent.

" lent, non possunt itaque, nisi Reges ipsi sint
" earum Auctores, à Regibus aliter videri, quam
" ijs omnino graves, contrariæ & injuriæ. &c.

Senatui & Primoribus periculosa est Confæderatio. " Quibus enim vocibus plus tum
" omnia strepunt, quam Senatorum, Ministro-
" rumque accusationibus, in eosque furore &
" minis? eorum aut Consiliis, aut neglectui, aut
" perfidiæ, aut propriorum commodorum cupi-
" ditati, aut adulationi erga Principem, aut ti-
" mori & silentio, calamitates omnes publicæ
" palam constanterque attribuuntur, in eos mala
" omnia Patriæ continuò devolvuntur. Reve-
" ra tamen: sæpè mutuorum duntaxat inter po-
" tentiores odiorum, ac inter Familias æmula-
" tionum incitamenta hæc sunt. Præterea: opes,
" potentia, & auctoritas nonnullorum perquam
" invidiosæ sunt sæpè Civibus, ut occasionem
" duntaxat locupletiores aggrediendi avidè
" præstolentur. Illi enim, quibus bello Civili o-
" pus est, in aliorum bona appetitum dentes-
" que exacuunt, unde hominum ditiorum Ca-
" pita, in ejusmodi Confæderationibus, peri-
" culis sæpiùs obnoxia sunt. Acta sub Sigis-
" mundo primo ad Leopolim, ac longè post in
" Confæderatione Tarnogrodensi cum Duce
" Supremo exercitus, luculenta rei hujus testi-
" monia sunt. Quo ergo quis opulentior po-
" tentiorque in Republ: est, eo magis illi Con-
" fæderatorum invidia extimescenda est.

Sed si cui? Nobilitati certè ipsimet universæ, ac Sacris Sacerdotum Patrimoniis, Confæderatio semper damnosissima est: " Ab ho-

" ste externo, non tantum mali perferre solent
" Nobilium Sacerdotumque bona, quam à Con-
" fœderatorum Turmis. Quis tum, cum Uxore,
" liberis, reque familiari, domi tutus est? qui
" istis hominibus loci Sancti sunt? Nam quæ
" inter illos disciplina? quis ordo? quod mili-
" tare imperium? Cives sunt efferi non mili-
" tes, libertate in licentiam versâ. Civitates, op-
" pida, pagi, oppidani, rustici, illis hostes sunt,
" hostiliterque ab ijs tractantur; omnia sibi tum
" licere existimant. Una eorum cohors onero-
" sior miseris colonis est, quam vel hostium Le-
" gio. Extorquent omnia, & quæ consumere
" nequeant, disperdunt ac destruunt, & vastita-
" te omnia implent. Ita transeunt: locustarum
" ut more nihil in agris relinquant, ut suis eti-
" am pòst eos secuturis, modum omnem vi-
" vendi velle adimere videantur, flagitia, ac
" crudelitates, ad quas in exercitibus Hispano-
" rum, Gallorum, Germanorum, Italorum, Sve-
" ticis, Moschoviticis, & Scithicis, perhorre-
" scere solemus, [nulla enim gentium, quæ e-
" tiam sibi perpolitæ videntur, cum in hostico
" est, à barbaris ejusmodi facinoribus manus
" abstinet] flagitia, inquam, hæc, crudelitatesque,
" nos à propriis Civibus experiri sæpe cogimur.
" Summa omnium impunitas, liberi enim Ci-
" ves sunt. Hæc Viri honesti, & ij qui aliquid
" è suo possideant, certè non faciunt, sed faci-
" unt illi, qui re propria decocta, [quorum nu-
" merus ubique ingens est,] tumultuariæ huic
" dant nomen militiæ, spe sola è rapto vivendi
" implendique marsupia. Nobilitatis itaque
" ac

" ac Sacerdotii possessiones, eorum gazæ & gra-
" naria sunt. Nobilitas quæ sua bona & parri-
" monia possidet, hos alit bruchos, his illorum
" fortunæ cedunt. Jta Confœderatio quævis in-
" numeros Catilinas, Cetegosque parit, eorum
" hæc messis est. Quid ergo ijs damnosiùs No-
" bilitatis opulentioris Statui, bonis, fortunis,
" libertati?

"Cum ergo: *& Regi, & Senatui, & Nobili-*
"*tati, res hæc tam contraria & perniciosa sit,*
"proinde *&c. &c.*

Hæ ita in paginam effusæ, absque ulla dictionis cura cogitationes simplices, denique per puncta, elegantiore elocutione, verborum delectu, figuris, ornentur, amplificentur, perficiantur; pleraque etiam, uti simpliciter cogitata sunt, in elocutione ipsa relinqui, si valent, poterunt. Jta *vg:* eloquor.

De Confœderatione, Patres Conscripti, aut literis, quæ è diversis Provincijs ad nos perveniunt, crebro commonemur, aut nos ipsimet, ex acerbis familiarum inter se luctis, Civilibusque discordijs, flammam tandem erupturam, fortasse non vanè suspicamur, atque in tanta animorum ægritudine, mali aliquid mortiferi latere opinamur. Terremur inquam passim, nescio quibus nuncijs, aut suspicione & opinione periculi, Confœderationem nimirum jam in aliquibus Provincijs glisscere. His ego quidem minimè deterrerer. &c. ut supra.

Confœderatio Principi adversa. id melius eloquor. *Vg: Recusandum imprimis non est, imo fateamur necesse est, Confœderationem quam-*

quamvis præsertim Principi, omnino adversam, permolestam, suspectamque esse oportere. Quamvis enim Nomen Regium palam magnificèque sonare ac prætexere, pro defensione Majestatis & Legum nos sacramento obstringere, vitam sanguinemque litare, fidem integerrimam &c.

Tali modo, ubi in ijs, quæ simpliciter cogitasti ac profudisti, vides opus esse, ut aliquid adjungatur, mutetur, fortius exprimatur, adjunge, muta, exprime fortius, authoritate sapientum, historia & similibus adauge.

Propono: *Ludos aleatorios esse vitandos.* Cogitationes quæ mihi occurrunt, noto: *vg: Esse pleraque mala & flagitia, quæ ita hominibus familiaria assuetudine devenerunt, ut fere nihili ducantur, nec eorum jam pudeat. Talis est ludendi chartis aleisve, conjuncta cum sorte & periculo, damni consuetudo. grave quidem infame & perniciosum crimen, in mores nostros jam ita inductum, ut ne culpam quidem in eo inesse. plerique suspicentur. Ejus ego tamen flagitij gravitatem, infamiam, & perniciem, Juvenibus præsertim, paucis ob oculos ponam.*

Cogito itaque imprimis super prima ratione: à *gravitate* mali ducta:

Nihil hoc scelere gravius, minusque licitum est. " Quia est alienæ rei turpissimus appetitus. Dicant enim Aleatores idgenus quidquid velint: quod relaxandi animi, fallendi temporis, depellendi fastidij, societatis honestius occupandæ, causa ludant; frivoli pretextus sunt: revera lucri causa ludunt, cupiditate & aviditate alienæ pecuniæ inflammati

" mati ludunt, pessima voluntate aliena evacuandi marsupia ludunt. Hoc fonte malæ artes, fraudes, mendacia, rixæ, iræ, execrationes, maledicta, perjuria effluunt, quæ ludos ejusmodi semper comitantur. Dissimulet enim ille, ut velit, qui perdit, fingatque se non invitum perdere, at mens & pectus illius diris agitatur furiis, Deos hominesque accusat, & tacitè detestatur. Dissimulet & ille qui lucratur, se se non oblectari lucro, certè omnino mentitur, nam alieno damno & fortunæ jactura, ditescit; gaudetque ditescere; secus aut non luderet, aut si non gauderet lucro, homo quidem non esset. Ego sanè inter raptorem & aleatorem, nullum aliud discrimen video, quam quod ille vi rapiat, hic pacto quodam rapinam cohonestare videtur. Nullum itaque peccatum in societate humana sit oportet, si hæc non sunt peccata, nec ideo minus gravia, quia ob morem invectum, minus horroris incutiunt: nam & homicidia esusque humanarum carnium inter barbaros non ideo non sunt scelera, quod familiariter committantur. &c.

Nihil hoc scelere infamius: "Quia stultitiæ, imprudentiæ, imo impudentiæ plenum est. Quid enim stultius, quam si id quod certo tuum est, periculo amittendi committas, & sæpè sæpiùs amittas: ut alienum, idque omnino incertum lucrere? Quid impudentius, quam alieno inhiare, & proprium perdere? Deinde, ut videmus, puerorum ac levium juvenculorum imprimis, hoc est familiare viti-

" vitium, cujus eos provectiore ætate, & pœ-
" nitet & pudet, sed tarda & imprudens pæni-
" tentia est, opibus & patrimoniis labefactatis
" aut amissis. Jam quid ignominiosius, quam
" si Adolescentem commodè, vel etiam lucu-
" lenter à Parentibus bonis provisum, cum æ-
" gestate deinde luctari videas? quemque o-
" mnes digito monstrent: hic fuit dives, sed rem
" domesticam ludendo dissipavit, dilapidavit,
" abliguriit. O! stolidum imprudentemque ju-
" venem, qui quanto Avorum, Patrisque labo-
" re, quanto Colonorum ac servorum sudore
" deni, vel centeni, aurei nummi constiterint,
" ignoret, & tam facile pagorum ac oppido-
" rum laboriosissimos proventus, inter harpias
" aleatorum proijciat! & nequam homines ceu
" vultures, patrimonio alat, nutriat, ditetque
" suo! Quis tam stultum imprudentemque ho-
" muncionem, bonis à Providentia acceptis in-
" dignum non irrideat? non sugillet? non con-
" temnat? omnique ignominia non afficiat? de-
" coctorem ac dilapidatorem non nominet? An
" enimvero, ille vobis saltem dignus hono-
" re, ac aliqua existimatione, videbitur, qui ex
" aleis, & chartis sibi bona conflavit, fortunæ
" fundamenta jecit, locuples & opulentus è
" ludo evasit? Mihi vero videtur adhuc majore
" esse ille notandus infamia, qui non licita ulla,
" ac laudabili industria, non virtute, non labo-
" re, non scientia, non militaribus stipendiis,
" non merito ullo, sed ad aleatoriam mensam,
" alienis locuples est factus rapinis, inter eos
" recensendus, de quibus Satiricus: *hortos, po-*
" *meria, mensas, criminibus debent. &c.*

Nihil

Nihil hoc scelere perniciosius. Quia qui
„ huic ludendi asuescit vitio, ita illi toto adhæ-
„ rere solet animo, ut avelli ab eo nequeat:
" nullo ut vel gravissimo, non ludendi amplius
„ jurejurando interposito, abstinere à ludo pos-
„ sit. Perditis pecuniis & opibus, adhuc sem-
„ per in eo spem furiæ quædam excitant, &
„ recuperandi quod perdidit, & lucri insuper
„ faciendi. Spes hæc & cupiditas data quavis
„ occasione incenditur. Aleator mancipium
„ vile est sui mali habitus, suique moris, semper
„ ab eo vincitur, semper prosternitur. Dum
„ denique re amissa, vel corpus & animá quæ
„ adhuc perdi possint, supersint, adhuc ludet.
„ Tum jam re omni familiari decocta, aut miser
„ egenus & mendicus tristissimam trahet ani-
„ mam, aut more aleatorum omnium, in omne
„ sceleris genus præceps ruet, pecunia pudo-
„ reque amisso ex aliis si quid poterit emunget,
„ ementietur, si non poterit defraudabit, deci-
„ piet, furabitur, rapiet, vicinos assiliet, lites
„ ex litibus feret, aliena invadet, latrocinabi-
„ tur, Tribunalia & Decreta contemnet, Patri-
„ am hosti vendet, Principem prodet, bellum
„ Civile incendet. In has pestes Reipublicæ,
„ decoctores & aleatores desinunt. *&c.*

„ Ergo res tam plena *sceleris, infamiæ, ac*
„ *perniciei*, sit horrori ijs imprimis oportet, qui
„ novitii hominum societatem ineunt, Adole-
„ scentibus dico, quos tam facile mala affici-
„ unt ac depravant exempla, quos pestiferi char-
„ tarum, & alearum lusores, avidè expectant,
„ ijs ubique pedicas tendunt, eos persuasioni-

„ bus

„ bus circumveniunt, multisque illiciunt, ac ut
„ pecuniosos opulentosque sese ostendant, hor-
„ tantur, ut nempe famæ aliquid litent, ut li-
„ beralitatis ac profusionis gloriam aucupen-
„ tur, ne sordidi, avari, ac nummorum tenaces
„ audiant. Solido ingenio, magnaque juvenes
„ opus habent prudentia, ne aut stulta osten-
„ tatione & fama, aut cum aleatoribus contra-
„ cta familiaritate vel amicitia, aut cupiditate
„ lucri in vitium habitumque ludendi, à pessi-
„ mis his inducantur hominibus &c.

Hoc modo, de singulis, de quibus dicere vel scribere velis, rebus, cogita, meditere, cogitationes ordina, simpliciter in chartam effunde, relege, tum ut libet exorna, amplia & perfice. Et hæc est naturalis ac optima omnium, Orationis cujusvis, ac Epistolæ, inventio & dispositio.

§. VIII.

De non permiscendis cogitationibus & Materijs, sed in Oratione ubique separandis.

JAm quod magnopere in quavis Oratione vitari debeat, est: permixtio & confusio rerum, rationum, cogitationum. Separandæ sunt bene inter se cogitationes & rationes, ne una aliam involvat, ne quod uno loco aptius poneretur, alio minus apto ponatur, sed singula sint ibi, ubi naturalius esse debent; ne bis vel pluries

ries eadem occurrant. Plerisque enim usu venit, ut cum unam rei alicujus dant rationem, huic nondum finitæ aliam implicent, & immisceant, & iterum alio loco eadem repetant. Discrimine opus est, ut: qui in superiore mox exemplo *de vitandis aleatoriis ludis agendo*, duxit primam rationem *à gravitate hujus sceleris*, alteram ab *infamia*, tertiam, a *pernicie*, *ma isque quæ affert*, malè rem eloqueretur, si ubi gravitas culpæ probanda est, ibi de infamia, ubi infamia probanda est, ibi de gravitate culpæ, vel de damnis, & periculo aleis ludendi verba misceret. Sed vide mox in superiore exemplo, quam: *1mo. gravitas culpæ*, detegatur. *2do. distinctè de ignominia* agatur. *3tio.* Separatim ostendatur, quæ ludum ejusmodi *pernicies* sequatur. Aliud enim omnino est *gravitas sceleris*, aliud est *infamia*, alind *pernicies*.

Jta dum *ab honesto* dederis, tum ab *utili*, tum à *facili*, tum à *necessario*, tum à *justo*, &c. rationes, ideæ hæ distinctæ in semet sunt, proinde unam alteri non permisce, sed separata Orationis parte ostende *honestum*, separata *utile*, separata *facile*, separata *justum*, separata *necessarium*. Jtaque in parte honesti vel justi, utilitates enumerandæ non sunt, nec vicissim.

Jdem in laude viri, quomodocunque eam partiris. Si per ætates? ætas ætatem non involet, si per virtutes? virtus virtuti non misceatur, si per Propositionem aliquam partitam, merita viri ostenderes: de Religione, de Principe, de Patria; de amicis? vel merita belli & pacis, vel merita in Patria, & extra Patriam? caveto, ne

ne quod de meritis in Principem dicendum est, perturbetur meritis in Patriam, ne cum de prudentia diceres, scientiam quæ separatim celebranda est, involvas. Ita de cæteris.

Dicturus vg: *Patriæ tuendæ & ornandæ, opes nostras denegandas non esse*, id enim *justum est*, id *utile*, id *gloriosum*. id *facile*, id *necessarium*. Si jam dices: *Justitia certè omnis & æquitas, ac necessitas, id à nobis vehementer exigit, ut qui omnes fortunas & opes è Patriæ sinu ac liberalitate, tam abundè acceperimus, eas cum opus est, saluti Patriæ minimè denegemus. Gloriosum sane id justum & facile nobis est: egentioresne enim inde erimus, bonisne & commodis nos spoliabimus, si ad defensionem Patriæ, aliquid è nostro contulerimus? Justum est itaque, gloriosum ac utile cuivis dum Rempubl: defendit, suam simul rem defendere. Utque vel decimam partem eorum quæ tibi Patria largita est, in ejus præsidium conferas, id nec tibi tam difficile aut arduum est, nec ideo omnia tua prodegeris, imo exigua, quam tribuas, bonorum tuorum parte, patrimonio simul quoque tuo securitatem provideris; Quod etiam perneccessariaum est: prostrata enim fortuna Patriæ, omnes omnium fortunas ruere necesse est; gloriosumque: liberalitate enim cum Patria certare pulchrum justumque est.* &c.

Hic vides pleraque non malè esse dicta, sed res & cogitationes adeo confusas & permistas, ut in scripturiente hoc modo, prudentia desiderari videatur. Agamus ordine, quamvis rationem separatim exponamus & probemus, unum alteri non immisceamus, sed sejungamus: justum

justum ab utili, utile à glorioso, gloriosum, à facili, isthæc à necessario. Rationes quæ magis idoneæ sunt, ad probandum justum quam utile, ad probandum utile quam facile, ad probandum gloriosum quam necessarium, discriminemus, & dividamus, & ita vg: eloquamur.

A justo. "Boni omnes probique Cives, " procul dubio consentiunt, perquam justum " & æquum id esse, ut Patriæ tuendæ, nostras " non denegemus opes. Justitia certè & æqui- " tas omnis id à nobis vehementer exigit, ut " qui omnes fortunas & opes, è Patriæ sinu ac " liberalitate, tam abundè accepimus, eas cum o- " pus est saluti Patriæ nulla ratione recusemus. " Nam si Parentibus, ex quibus vitam hausimus, " cum nostra egent ope, opitulari omnino " tenemur, cur non & Patriæ? quæ nos pro- " genuit, quæ fovit, quæ aluit, quæ locupleta- " vit, quam æquè ac Parentes caram nobis esse " oportet, cur inquam & Patriæ, non eadem " debeamus pietatis officia? Ut itaque justius " æquiusque nihil est, quam rependere, & gra- " tificari è nostro immensis Patriæ beneficiis, " ita nihil iniquius, nihil injustius magisque im- " pium, quam esse nos ingratos, avarosque erga " Patriam, opemque illi qua indiget, & bonorum, " quæ ab ea accepimus partem, turpissimè ac " inhumanissimè denegare. Vides hucusque de justitia contrariaque ei injustitia, rem fuisse, transi separatim ad *utile*.

" Jam si ne dum justitia, sed & utilitate " propria, nos moveri oporteat: cujus quæso " bono & commodo, quam nostro certè pro- " prio

„ prio, id facimus, cum ad Patriæ defenſionem,
„ aut ejus emolumentum aliquid è noſtro con-
„ ferimus? Patria profecto divite nos ditiores,
„ Patria felice nos feliciores. Patria tuta & ſe-
„ cura, nos tutiores & ſecuriores ſumus. Par-
„ te quippe modica quam illi tribuimus. noſtras
„ omnes fortunas, Domos, reditus, familias,
„ uxores, liberos, imo noſmet ipſos tuemur ac
„ defendimus. Univerſi enim Cives quibus cum
„ contribuimus. ad ſui noſtrique tutelam & de-
„ fenſionem mutuam obſtringuntur. Nobis er-
„ go, nobismet ipſis cum Patriæ bene facimus.
Hactenus de *utili*, dic jam de *neceſſario*.

„ Adeoque nedum juſtitia & utilitas, ſed
„ & neceſſitas ipſa ad Patriæ opitulandum nos
„ cogit. Si enim Cives ſinguli, nihil è ſuo
„ tribuere velint, ſi in commune quidquam con-
„ ferre recuſent, unde arma & copias? unde ſti-
„ pendia? unde Magiſtratuum belli pacisque?
„ unde Judicum? unde Legatorum ſtipen-
„ dia & præmia, unde pauperis Nobiliſatis
„ erigendæ ac fulciendæ modum? unde com-
„ merciorum tutelam & incrementa? unde mu-
„ nimenta & fortalitia? unde pontes flumi-
„ numque repagula? unde Domus Regiæ, &
„ & Ædificiorum publicorum, inſtaurationem
„ & ſartatecta? unde in ſubitis periculis ner-
„ vum illa habebit? ſine quo omnia conci-
„ dant neceſſe eſt. Deſtitutam enim omni ſub-
„ ſidio Rempublicam cadere oportet. Quod ſi
„ Reſpublica cadat, quomodo nos in ea ſtabi-
„ mus? ſi illa miſera debilis ac imbecilla eſt,
„ quî nos in ea felices, fortes, ac beati? Reſpu-
„ blica è privatis conflatur, niſi itaque è priva-
„ tis

„ tis & ſingulis, publicas illa opes & ſuppetias
„ colligat, nihil ea egentius, calamitoſius nihil.
„ Sed illius calamitas, quid eſt quam ſingulo-
„ rum calamitas? Neceſſario ergo curandum
„ providendumque nobis eſt, ut ſit bene Patriæ,
„ ſi, ut in ea bene ſit nobis, optamus, quod qui-
„ dem non optare non poſſumus. Tranſi ad
facile.

„ Et facile quidem eſt, ut & illa felix,
„ & nos ſimus in ea felices. Facile inquã, ſi volu-
„ mus, id conſequi certè poſſumus. Si enim ad
„ ſalutem, ornamenta, & emolumenta Patriæ,
„ ſinguli aliquid conferre non gravemur, an
„ ideo nos egentiores erimus, an propterea nos
„ commodis fere omnibus ſpoliabimus? de de-
„ cima, viceſima, imo neſcio quota parte pro-
„ ventuum noſtrorum agitur, quam Reſp: for-
„ taſſe à nobis expetit: idne nobis grave fue-
„ rit egenti tam parum è noſtro elargiri ac com-
„ modare Patriæ? nihil profecto prodigimus,
„ nihil fruſtra in eã impendimus: ad nos enim bo-
„ na, quæ tam mediocriter Patriæ impertimur,
„ facto veluti quodam circulo redeunt, & cum
„ fænore quodammodo refluunt, cum in flo-
„ renti Republica nos florentiores eſſe omnino
„ oportet. Exigua itaque, & permodica opum
„ noſtrarum, quas cum Republ: dividimus par-
„ te, omnes belli pacisque fructus nobis pro-
„ futuros cernimus, totas noſtras, quæcunque
„ ſint, fortunas & ſuſtinemus, & longè profe-
„ ctò ampliamus. Quid ergo hic arduum quid
„ difficile eſt Patriæ, pro tanto largiri tantillum?
„ quod ne apparet quidem utrum è noſtris de-
„ cedat

„ cedat bonis, quodque cum tam insigni ab ea
„ recuperamus sænore.

A *glorioso*. „ Jam si hæc magna sunt, ma-
„ jus adhuc quiddam est, gloria decusque no-
„ strum. Gloria, inquam, qua omnes boni tanto-
„ pere capiuntur & oblectantur. Quid enim
„ nobis gloriosius est, quam esse nos gratissimos
„ communi huic Parenti liberos? nostra ope &
„ auxilio eam defendi, ampliari, ornari, florere?
„ Quid hac laude aut jucundius, aut pulchri-
„ us, aut nobis honorificentius est, quam esse
„ nos beneficos Patriæ? cum Patria bene-
„ ficijs certare? Magnificum sanè amplumque
„ id nobis est: Patriam nobis obstrictam, obliga-
„ tam, gratamque facere. *&c. &c.* Vides hic
quam singulæ rationes separatim probentur,
quam aliunde justitia, aliunde utilitas, aliunde
necessitas, aliunde rei facilitas, aliunde gloria
ostendatur, & omnia hæc propriis iunitantur
causis. Jta semper discriminatim rationes ex-
pone.

§. IX.

De Digressionibus.

20. *Quid sunt digressiones?*

Digressiones tum vocantur; cum Orator à re proposita alio digredi, ac quodammodo divertere videtur.

UT qui suadeat: *malam, rumpendi Consilia Publica ac Comitia, consuetudinem, tollendam*

lendam esse. Jd quidem imprimis probaret, propriis rei huic persuadendæ, rationibus, *quod*, nimirum: *Majores nostri, qui jus vetandi fundârunt, nobisque illud integrum reliquerunt, tamen quid sit dissolvere, rumpere, aut in nihilum Comitia vertere, ignorârint: quod rectæ rationi non cohæreat, plurimos: sapientia, Consilio, virtute, & authoritate, tam in Senatu, quam in Equestri Ordine, præstantes viros, unius plerumque corrupti Civis voluntati, opinioni, ac pertinaciæ, cedere oportere; Reipubl: universæ salutē ex unius, [plerūq; pravi] Civis pendere arbitrio: bene ab alijs consulta, diu deliberata ac trutinata, Patriæ saluberrima & quæque necessaria, voce unius, [plerumque venali] everti, destrui, præpediri, reduci ad nihilum: abusum hunc, è male acceptis de jure vetandi legibus, non adeo pridem sæculo nimirum præterito irrepsisse, qui si vel vetustissimus esset, tamen vel antiquissimum, sed malum, noxiumque morem tollendum esse, omnis ratio, omnis suaderet prudentia.* Hoc loco Orator digredi, ac excurrere posset in hanc sententiam. „ Consuetudi-
„ nes malas & noxias nulla vetustate, nulla
„ temporis præscriptione, jure posse defendi.
„ Inveteratæ eæque damnosæ consuetudines,
„ nihil aliud sunt, quam inveterata mala. Er-
„ ror, non ideo desinit, esse error, quod à de-
„ nis aut pluribus fuerit ortus sæculis; scilicet
„ à denis & pluribus sæculis, semper fuit &
„ est semper error. Antiquitas malæ rei nihil
„ aliud probat, quam quod semper multa mala
„ attulerit. Non ideo non esse siccandam e-

„ luviem, non esse purgandos frutetis & arbu-
„ stis agros, non esse instauranda ædium fun-
„ damenta, quod à plurimo, aut immemorabili
„ tempore malum hoc cæperit. &c. Hæc sententia evidens digressio est, cum agimus *de non rupendis Comitiis*, & digredimur agere *de vetustate malarum consuetudinum*: à qua digressione ad rem propositam redeundum est, *rumpendorum videlicet Comitiorum malum, non ideo tolerandum esse, quod vetus priscumque sit* &c.

Jn Digressione hæc observanda sunt: ut sit naturalis & cum re, de qua agitur, omnino connexa: ne sit justo longior: ne sit crebra. Vitandum enim Oratori est, ne de re alia quam de re à se proposita dicat, sed oportet ut omnia suum ad finem, atque ad suam materiam dirigat: proinde aliæ, quæ naturaliter incidunt Propositiones, brevibus quoad fieri poterit expediendæ sunt verbis & sententiis, & res proposita omni studio prosequenda.

Naturaliter id effluere ex Oratione debet, & cum re tua penitus cohærere, cui extra Propositionem tuam, aliquam Orationis tuæ particulam, concedendam esse judicas. Quidam enim, *qui concordiam animorum* in Comitiis suasit, cum *Regum Polonorum Historiam & seriem, ac præclariora eorum facta*, in sermonem congessisset, quid ad rem tibi ille dixisse videtur? Jam si in suadenda concordia, in eam forte sententiam paululum Orator deflexisset: *quod nimirum vicini Principes, male ordinatam, debilem, ac labefactam Rempubl: nostram videre ament, quodque confusa apud nos omnia ijs arrideant, eorumque rationibus conveniant, ut quoties illis collibet, de libero copiarum suarum per ditiones & provincias Reipub: transitu, tuti semper, securique sint, ut commeatu omni, plebeiis, rusticisque nostris, eorumque vecturis non solutis utantur, ut commercia apud nos, absque Reipubl: emolumento peragant, nostra vero præpediant, ut electionibus nostris, Comitiis, negotiisque omnibus, sese immisceant. &c. &c.* Hæc digressio à suasione concordiæ in Comitiis aliena non esset: diceres enim prius: *discordijs ac dissidijs nostris penitus debilitari ac labefactari, inordinatam, ac inermem, vicinorum insultibus exponi Rempubl:* Tum in hanc superius mox dictam digressionem, brevibus excurreres: *cordi nimirum esse vicinis Principibus discordias nostras, amant male ordinatam, debilemque nostram videre Rempublicam. &c.* Tum ad rem tuam redires; *Concordiam nimirum in Comitijs esse pernecessariam, ne dum ad internum Reipublicæ ordinem constituendum, sed & ad eam contra exterorum vim muniendam.*

Sed ejusmodi digressionum, seu incidentium propositionum, innumera sunt in Cicerone aliisque Oratoribus exempla.

§. X.

De Transitionibus.

TRansitio est ea Orationis particula, qua à sensu ad sensum, à ratione ad rationem, ab argumento ad argumentum, à parte una ad aliam

liam transitur. Transitiones itaque sunt instar junctularum in corpore humano, quæ membra membris, partes partibus, ossa ossibus ligant & connectunt, adeoque sine transitionibus debitis, Oratio enervis, dissoluta, & imbellis plerumque sit oportet.

Laudas vg: Principem; Rationes & capita laudis sint hæc,: *quod Religionem curet, quod procurandæ populorum felicitati invigilet, quod pacem conservet, quod justitiam rectè administrari faciat, quod armis & re militari Rempublicam securam reddat, quod Consilia & Comitia Reipubl: ritè pertractet, &c: &c.* Hæ laudes, si separatim tractentur, finita una, transeundum est ad aliam. *Vg*: „ Religioni rebusque „ Divinis promovendis, ac prorogandis, primas Regiarum tuarum curarum partes tribuere semper visus es: ita tamen prout Principem imprimis decet, ut scilicet Religione „ & pietate tua, Christianis virtutibus, vitæ innocentia, ac gravitate morum, quos solium „ & Majestas melius è tanto fastigio, cunctorum „ exponit obtutibus, prælucere populis, & exemplo præcipere semper malueris, quæ est „ optima inspirandæ inculcandæque populis „ virtutis ac religionis ratio, si Princeps, omnes „ qui eum intuentur, vitæ suæ modo & norma, „ potius quam legum præscriptis, religiosos esse jubeat.

Transeo à Religione ad felicitatem populorum. „ Jam secundum Numinis DEI, per quem „ Reges regnant cultum, procurandæ felicitati „ Populorum, totum te vacare oportere, idque tui

„ tui muneris esse, sapienter sanctèque judicas. Liquere tibi profecto ostendis, non alium ob finem Reges institutos esse, quam ut „ humano generi, populisque curæ eorum commissis, bona omnia faustaque sint. Eò studia, „ eò cogitationes tuæ omnes, eò labores contentionesque tuæ, continuo diriguntur.

Transeo à felicitate populorum ad procurationem pacis. „ Cum autem Gentes & Regna, „ sine dulci pacis otio esse non possunt felicia, „ pacem itaque tranquilitatemque publicam „ DEO Optimo M. & Tibi REX AUGUSTE „ imprimis debemus. Inter tot quippe gravissima, omni ex parte deflagrantis belli incendia, etsi eorum fere jam fumo afflamur, „ flammam tamen belli, te avertente, te defendente, te nostris ut ita dicam, prospiciente „ tectis, non sentimus. Et hoc præcipuum Principis, hoc vere Regium, bonique omnium Parentis munus est, hoc illud amplissimum est, „ quod cuncta in se complectatur, quodque universæ Patriæ præstare possis, beneficium.

Transeo à pacis procuratione, ad justitiæ administrationem. „ Sed cum nobis tam constantem, cum externis finitimisque pacem, „ tua providentia servet, non minus internam „ ipso in Regno quietem sapientia tua cunctis „ Civibus, procurat & firmat, quum justitiæ rectæ optimæque administrationi invigilas. Videmus ingentem curam & solicitudinem Principis, in providendo: ut Tribunalia delectos „ & integerrimos habeant Judices, unde omnis „ sanctitas, judiciorum pendet. Diligentia sanè

„ ne Principis major hac in parte desiderari non „ potest, sed exemplum imprimis, justi & æqui „ Regis, judicibus nostris, præ legibus præce- „ ptisque omnibus validius est. Hôc dum ju- „ dicia continet, nihil omittit, quo beatam do- „ mi, felicemque Rempubl: reddat.

A pace & justitia transeo, ad rei bellicæ procurationem. „ Pace vero & Justitia in Re- „ gno servatis & communitis, bellica imprimis „ res, tibi cordi est, quo ad omne vel inopina- „ tum quodcunque periculum, præsto defen- „ dendæ Patriæ, omnia sint parata. Magistra- „ tus militares, Duces Supremi, Legati Jmpe- „ ratorum, Magistri Equitum, Tribuni Militum, „ Præfecti Castrorum, Legionum Magistri, pe- „ destrium turmarum Ductores, Centuriones, „ optimè delecti, Viri fortes, continentissimi, „ bellique scientissimi. Copiarum pro modo & „ opportunitate numerus. Stipendia exacta, „ proinde & disciplinæ Militaris exactissima cu- „ stodia. Armorum gravium, leviorumque o- „ mnis generis copia, commeatuum abundan- „ tia; hæc te Princeps præcipuè occupant, hæc „ tua sunt præclarissima studia.

Transeo à bellicæ rei cura, ad Artium præsidium. „ Quid vero dum in pace bellum „ parare videris, aliud agis, quam ut omnes „ artes eximijque pacis fructus, tuo præsidio „ sint nobis securi & tuti. Ut Respubl: opibus, „ mercatura, omni artium humanæ societati u- „ tilium genere, bonarum item literarum sci- „ entiarumque omnium gloria floreat, ut No- „ bilitatis Ordo, universis provideatur commo-

„ dis,

„ dis, ut populi in Civitatibus, oppidis & pagis, „ quoad per conditionem cujusque licet, locu- „ pletes fortunatique sint.

Hinc transeo ad Consilia „ Hæcque o- „ mnia, cum absque Consilijs stare, ne utiquam „ possint, nullus propemodum dies Tibi Prin- „ ceps præterit, quo non in Senatorum Mini- „ strorumque Curia & consessu vitam agere vi- „ dearis, quo non de externis, internisque Rei- „ publ: negotijs consilia agites, rationesque „ ineas. *&c. &c.*

Videant Adolescentes Transitiones in hoc exemplo à Religione ad felicitatis publicæ procurationem, ab hac ad pacis conservationem, ab ista ad justitiæ administrationem, ab hac item ad bellicæ rei providentiam, inde ad artium præsidium, tum inde ad Consilia, similibusque transitionibus omnia sua connectere satagant.

Sit Propositio: *Abstinendum est, belli tempore, ab ædium ruinis & incendijs.* Rationes tres: *id enim inutile est, id inglorium est, id inhumanum barbarumque est.* Hæc tria argumenta, postquam singula probaris, bonis transitionibus nectenda inter se sunt. *Vg:* „ Quæ „ enim quæso utilitas quod commodum belli, è „ ruinis incendijsque Civitatum, oppidorum, „ pagorum derivari potest? Prætereamus ve- „ ram, si quæ dari unquam possit, belli ratio- „ nem, quæ obsidionum tempore: ædes mæni- „ bus, vallis, fossisque propiores diruere quan- „ doque cogit: dira hæc quidē & detestabilis „ necessitas est: non de hac tamen, sed de solo „ impotenti Jmperatorum, militisque furore

„ hic

„ hic agimus, cum ijs res nobis eſt, qui nulla
„ juſta cauſa, neceſſitate nulla, vel parva, im-
„ mani hac clade, genus humanum afficiunt.
„ Hoſtine enim receptacula & ſtativa tollitis?
„ At æque innocuis & miſeris, æque vobis met
„ ipſis eadem adimitis. Metum terroremque
„ ſpargere, vos putatis? at hoc turpiter ſævi-
„ entis ignaviæ eſt. Non meminiſtisne illud
„ de flagitioſiſſimo Imperatore Phoca, rectè o-
„ mnino prudenterque fuiſſe à Mauritio dictum:
„ ſi eſt timidus? ergo tyrannus. Timidi ergo
„ potius excordisque Jmperatoris ac militis,
„ hæc tyrannis ac crudelitas eſt, tecta ædesque
„ exurere, atque hoſtem metu vaſtitatis percel-
„ lere, quem virtute manu & armis tuto aggre-
„ di ac vincere te poſſe deſperes. Non hoſti
„ profecto. non armato militi, qui hanc in im-
„ belles ſævitiam ſimul execratur & ridet, ſed
„ inermi plebi, ſed patribus familias, ſed pauperi-
„ bus miſerisq; colonis, ſed fæminis duntaxat &
„ pueris incenſione & everſione Domorum, ab
„ ignavis ſimul, truculentisque Ducibus, metus
„ & timor incutitur. Apud humanum vero for-
„ tem, ſapientem, piumque Imperatorem, nulla
„ ratio belli exigere poteſt, ut omnia ferro, i-
„ gnique deletum eat. Jnhumanus, trux, meti-
„ culoſus, ac impius Jmperator, facile cauſas,
„ cuncta flammis ac ferro devaſtandi, reperiet,
„ cujus rei, eum deinceps, gentilesque ſuos, o-
„ mnibus ſæculis fruſtra pœniteat pudeatque.
„ Jam ſi idem Jmperator animi impotens, iram,
„ vindictamque ſpirans, furijs, quibus nunc a-
„ gitatur, modum poneret, ſi manum à cæde
„ &

„ & incendiis nonnihil retineret, paulo poſt
„ ſibimet redditus, pacato animo facile ani-
„ madverteret, absque tanta hominum calami-
„ tate & injuria, ſe belli rationes poſſe pro-
„ ſequi, voluptatemque, ſi adhuc humani ali-
„ quid in eo eſt, mox perſentiret, ſe manus tan-
„ to non polluiſſe flagitio, miſerisque mortali-
„ bus pepercisse. Id enimvero jam omniũ genti-
„ um hiſtoria conſtat, nullam ejusmodi clades &
„ incendia, belligerantibus, veram attuliſſe uti-
„ litatem ut ea carere non potuerint, cujusque
„ vel victores olim non perpuduerit. Ut igitur
„ immanitate hac nihil execrabilius, ita ſimul ni-
„ hil inutilius.

Ab inutili tranſeo ad inglorium. " Sed
" enim ſit jam, quanta vis hæc è deletis aut
" proſtratis flammâ ferroque incolarum ædibus,
" belli utilitas; minor ſemper illa erit, dedeco-
" re, & ignominia, incentoris, vaſtatorisque
" impudentiſſimi. Inglorium, indecorum ac infa-
" me ſemper in memoria hominum erit, Impe-
" ratorem in muros, tecta, feneſtras, portas, la-
" cunaria ſæviſſe, innocuas inermesque Do-
" mos, ac habitacula hominum quæ ſe non poſ-
" ſint defendere, diruiſſe, vel in ſavillas redegiſ-
" ſe. O præclarum ſane memorandumque faci-
" nus! Magnine enim, intrepidi, ſummique
" herois, ad id animo, pectore, manuque opus
" eſt? an induſtria Imperatoria, an arte milita-
" rique ſcientia? an inſigni ſtratagemmate res
" indiget? quid hic bellicæ virtutis: ligna in-
" cendere, lapides, lateresque diruere? orna-
" menta detrahere? & cineribus ſepelire? quid
" hic laudis, quid gloriæ?

Tran-

Transeo ab inglorio ad barbarum inhumanumque. " De Gloria loquimur? at enim-
" vero potius, quid barbarius? quid inhumani-
" us? quid humanitate ipsa indignius? quid
" vel belluarum more ferocius homo homini
" patrare potest? quam, quod ne animalia qui-
" dem faciunt, in vacuas hominum mansiones
" crudelitatem tam immanem exerere? &, ne
" bello etiam finito, capitis reclinatorium ho-
" mines reperiant, omnia susque deque everte-
" re, ac vastitate implere? Eousque nec leo-
" num, nec ursorum, nec canum, nec iræ lupo-
" rum procedunt. Est itaque, est ista verissima,
" enormis ac execrabilis barbariei ac feritatis
" nota: hæc in hominum ædificia, Templa, se-
" pulchra, Palatia, hortos, domos, ruguria, ca-
" sasque rabies. Ego eam silvestribus semife-
" risque illis barbaris, qui corporibus hostium
" humanis vescuntur, non absimilem existimo, ni-
" si quod istorum ingluvies & palatus, gustum
" saltem aliquem in carne suæ speciei inveniat,
" illi vero murorum ac parietum eversores, &
" ut sic dicamus helluones, nescio penitus, quid
" gustus & voluptatis in trabium, tabulatorum,
" laterumque cineribus, fortasse reperiant. Ni-
" hil minus quam homines, quorum viscera
" calamitosissimo statu, squallore, ululatibus &
" lacrymis, similium ut sunt ipsi mortalium, lu-
" ctuosique horrore spectaculi, ad misericordi-
" am & pietatem moveri nesciant, tigridibus i-
" psis, leopardisque immaniores. Quod vero
" singularius est: inter Christianas, politi-
" oresque Europæ Gentes, censeri isti volunt,
" quo-

" quorum in Italia, in Rhenana Germania, in
" tot aliis Provinciis, Germanici Imperij, in
" Prussia, in Polonia, exustarum villarum, op-
" pidorum, pomæriorum, Ædium, Templorum-
" que dirutorum vestigia immanissimam testan-
" tur sæculisque testabuntur barbariem, ad quo-
" rum nomina, ipsæ semper erubescant historiæ,
" perhorrescatque posteritas. O! Gentes excul-
" tissimas, cæterisque ut appellitant, Nationibus
" barbaris longè civiliores, suavioresque! O te-
" nerrimos humanitatis amicos, commendato-
" res, defensores eximios! O societatis huma-
" næ delicias! O Nerones, potius, teterrima
" monstra, & portenta naturæ, quibus incendia
" domorumque casus & murorum acervi, per-
" jucunda sint spectacula!

Observent Adolescentes, quibus Transitionibus post inutile ad inglorium, post inglorium ad barbarum inhumanumque, processerit Oratio. Videantque quam præteritum argumentum paucis verbis resumendum quodammodo sit, ut cum futuro melius connectatur.

Sunt & aliæ magis generales transeundi formulæ, quales sunt istæ: *Sed quid nos vetera aut externa, cum recentibus domesticisque abundemus? Audistis hactenus magna, sed audietis majora. Hæc perspicuè falsa sunt, videamus quæ magis veri specie tecta esse videntur. Difficiliora expedivimus, quæ sequentur plana sunt. Odiosa quidem hæc, hactenus fuère, ad odiosiora pergemus. Hactenus utilia, videamus his longè utiliora. Et quoniam Judicis cognovistis, cognoscite Judicij æquitatem. Armis jam securi-*

securitatem externam, nos debere fatemur, liquebit adhuc clarius, quam sine armis ne internæ quidem Reipublicæ tranquilitati tutò prospicere possimus. Honestatem perspexistis rei, quæso summam utilitatem videte. Quamvis justitiæ opposita esse videatur clementia, cum tamen in te conjunctissimæ sint, & nos hoc loco, unam alteri conjungemus. Sed quoniam emersisse jam è vadis, & scopulos prætervecta videatur oratio mea, perfacilis mihi reliquus cursus ostenditur. Sed texo ut nimis brevem pro rebus, sic pro tempore nimis longam orationem; præterire tamen adhuc nulla ratione possum. Sed in hanc sententiam cum multa adhuc supersint dicenda, non abutar patientia vestra, veniam ad &c. Accipe nunc aliud ejus nobile facinus. Hactenus de bono Principe, quæ sequentur de bono Imperatore, dicenda sunt. Præsulem vidimus, contemplemur Senatorem. Si rei, quam exposui, necessitas gravis vobis esse videtur, at utilitates ejusdem, fructusque quos brevibus attingam, minimè molestam, minimèque gravem vobis necessitatem reddent. Verum de his plus satis, paucis expediamus reliqua. Sed hæc jam satis manifesta sunt, accedamus ad alteram partem &c. &c. Hæ & similes transitionum formulæ, non infrequentes sunt, sed melius est eas cujusvis ingenio relinquere: nam transitiones illæ, quæ ex ipsa re natæ sunt, longè excellentiores sunt.

Sunt jam complures quædam particulæ, conjunctiones, & adverbia, quæ mirum in modum præteritos sensus cogitationesque cum se-

sequentibus ligant; Quales sunt: *Sanè, profectò, jam, adeoque, sed, nunc, atque illud jam, imprimis, jam nunc, enim, enimvero, at, nihilominus, quidem, hoc quidem, jam, inde, usque adeo, &, nec, contra, deinde, deinceps, ita, quasi, item, itidem, juxta, ac, mirum si, modo jam, interdum, nempè, eò, eousque, quoniam, quia, tantum, quantum, tunc enim, nempè, an, si, alterum, quia, quin, ideo, non ideo, perinde, ac, plus adhuc, postquam, posteaquam, proinde, præterea, unde, propterea, proximè hinc, quantum verò, quanquam, licetsi, quamvis jam, quasi vero, quid enim, satis, secus, sicut, tamen, similiter, proculdubio,* & cæteræ fere innumerabiles idgenus. Huc relativarum usus: *qui, quæ quod, hoc, istud, illud, idipsum, &c.* Quæ præterita sequentibus ligant.

Adeo hæ particulæ ipsæ influunt, ut creberrimus earum usus fere ubique in Oratione fit. Incido in Scipionis Affricani [apud Livium] ad populum brevem sermonem, qui ab infestis, nulliusque frugi, & ingratis Civibus, ad causam dicendam, eo die anni, quo antea de Carthaginensibus triumphaverat, citatus, ita Quirites alloquitur: „ Hoc die Tribuni Plebis, vosque „ Quirites cum Annibale & Carthaginensibus, „ signis collatis, in Affrica, bene & feliciter pu- „ gnavi. Itaque quum hodie litibus & jurgijs „ supersedere æquum sit, ego hinc extemplo „ in Capitolium ad Jovem O. M. cæterosque „ Deos, qui Capitolio atque Arci præsident, sa- „ lutandos ibo; ijsque gratias agam, quod mi- „ hi & hoc ipso die, & sæpè alias, egregiè „ Rei-

„ Reipublicæ regendæ mentem facultatemque
„ dederunt. Vestrum quoque, Quirites, quibus
„ commodum est, ite mecum, & orate Deos, ut
„ mei similes Principes habeatis. Jta si ab annis
„ 17. ad senectutē semper vos ætatē meam ho-
„ noribus Vestris anteistis, ego vestros hono-
„ res, rebus gerendis præcessi. Observentur vel in hac brevi dictione, particulæ ligantes, *itaque, ijsque, quoque, ita, si, &c.* Talibus vel similibus omnia connectenda sunt.

Verum quidem est: & sine apertis transitionibus Oratores posse transire ab uno argumento ad aliud, ut in sequenti Oratione observabitur & particulas has nonnunquam omitti inter sensus & cogitationes, [nam ut omnes omittantur, fieri non potest] Juvenes tamen cohortandi semper sunt, ut & transitionibus manifestis, reique & loco proprijs utantur, quæ ornamento sunt Auditoremque oblectant;] nam cum melius se se in dicendo exercuerint, tum ijs liberum erit isthæc aliquando omittere] & ut prædictis similibusve particulis continuo periodos periodis, membra membris ligent: quæ vix dici potest, quantū gratiæ, roborisque Orationi afferant, ut ex hoc exemplo obvio animadverti potest, in quo particulis, ubi opus, sensa connectuntur. Campani Sidicinis contra Samnites socios Romanorum tulêre auxilia. Victi à Samnitibus, Romanis Capuam sociosque se se perpetuos offerunt, & ab ijs auxilia poscunt. Auxiliorum petendorum tres rationes. 1ma. *Nam si eos contra Samnites Romani, defendant, Campani in societatem accepti, erunt Romanis utiles.* Incipit eo loco: *Campani, & si fortuna præsens &c.* 2da. *Nam si Romani Campaniam non defenderint, Samnites eam occupabunt.* Incipit eo loco: *eo ventum est, &c.* 3tia. *Nam facile erit Romanis, dum auxilia ostendant, etiam sine bello Campanos defendere.* Incipit eo loco: *Non loquor apud &c.* Conclusio incipit à verbis: *Annuite &c.* Exordium è re ipsa sumptum: *Campani se in socios à Romanis accipi petunt, quamvis jam prius Samnites ad societatem admissi sint.* Propositio fere in ijs verbis est: *Misericordia vestra conciliati, auxilioque defensi, beneficium acceptum colamus oportet.* „ Populus nos Campanus legatos ad
„ Vos, P. C. misit, amicitiam in perpetuum, au-
„ xilium præsens à vobis petitum. Quam si se-
„ cundis nostris rebus petissemus: sicut cæpta
„ celerius, ita infirmiore vinculo contracta es-
„ set. Tunc enim, ut qui ex æquo nos venisse in
„ amicitiam meminissemus vestrā, amici forsitan
„ pariter ac nunc, subjecti atque obnoxij, vobis
„ minus essemus. Nunc misericordia vestra
„ conciliati, auxilioque in dubiis rebus defensi,
„ beneficium quoque acceptum colamus opor-
„ tet, ne ingrati atque omni ope divina huma-
„ naque indigni videamur. Neque, hercule,
„ quod Samnites priores amici, socijque vobis
„ facti sunt, ad id valere arbitror, ne nos in a-
„ micitiam suscipiamur, sed ut vetustate & gra-
„ du honoris nos præstent. Neque enim fæde-
„ re Samnitium, ne qua nova jungeretis
„ fœdera, cautum est. Fuit quidem apud vos
„ semper satis justa causa amicitiæ, velle cum
„ vobis

„ vobis amicum esse, qui vos appeteret. Cam-
„ pani, etsi fortuna præsens magnificè loqui
„ prohibet, non Urbis amplitudine, non agri
„ ubertate ulli populo, præterquam vobis, ce-
„ dentes, haud parva [ut arbitror] accessio bo-
„ nis rebus vestris, in amicitiam venimus ve-
„ stram. Æquis Volscisque, æternis hostibus
„ hujus Urbis, quandocunque se moverint, à ter-
„ go erimus: & quod Vos pro salute nostra pri-
„ ores feceritis, id nos pro imperio vestro, &
„ gloria semper faciemus. Subactis ijs Genti-
„ bus, quæ inter nos Vosque sunt, [quod prope-
„ diem futurum, spondet & virtus & fortuna
„ vestra] continēs Imperium usque ad nos ha-
„ bebitis. Acerbum & miserum est, quod fa-
„ teri nos fortuna nostra cogit. Eo ventum est
„ P. C. ut aut amicorum, aut inimicorum Cam-
„ pani simus. Si defenditis, vestri: si deseritis,
„ Samnitium erimus. Capuam ergo & Cam-
„ paniam omnem, Vestris an Samnitium viribus
„ accedere malitis, deliberate. Omnibus qui-
„ dem, Romani, vestram misericordiam, vestrum-
„ que auxilium, æquum est patere, ijs tamen
„ maximè, qui eam implorantibus aliis, auxili-
„ um dum supra vires suas præstant, omnes i-
„ psi in hanc necessitatem venerunt. Quan-
„ quam pugnavimus verbo pro Sidicinis, re pro
„ nobis, quum videremus finitimum populum
„ nefario latrocinio Samnitium peti, & ubi
„ conflagrâssent Sidicini, ad nos trajecturum
„ illud incendium esse. Nec enim nunc, quia
„ dolent injuriam acceptam Samnites, sed quia
„ gaudent, sibi oblatam esse causam, oppugna-
„ tum

" tum nos veniunt. An, si ultio iræ & non oc-
" casio cupiditatis explenda esset, parum fuit,
" quod semel in Sidicino agro, iterum in Cam-
" pania ipsa legiones nostras cecidêre? Quæ
" ista tam infesta ira, quam per duas acies fusus
" sanguis explere non potuerit? Adde huc po-
" pulationem agrorum, prædas hominum, at-
" que pecudum actas, incendia villarum, ac ru-
" inas, omnia ferro ignique vastata. Hiscine
" ira expleri non potuit? sed cupiditas explen-
" da est: ea ad oppugnandam Capuam rapit;
" aut delere Urbem pulcherrimam, aut ipsi pos-
" sidere volunt. Sed vos potiùs Romani bene-
" ficio vestro occupate eam, quam illos habere
" per maleficium sinatis. Non loquor apud re-
" cusantem justa bella populum, sed tamen
" si offenderitis auxilia vestra, ne bello quidem
" arbitror vobis opus fore. Usque ad nos con-
" temptus Samnitium pervenit, supra non a-
" scendit. Jtaque umbra vestri auxilij, Romani,
" tegi possumus. Quidquid deinde habuerimus,
" quidquid ipsi fuerimus, vestrum id omne exi-
" stimaturi. Vobis arabitur ager Campanus, vo-
" bis Capua Urbs frequentabitur; Conditorum,
" Parentum, Deorum immortalium numero No-
" bis eritis; nulla Colonia vestra erit, quæ nos
" obsequio erga vos, fideque superet. Annu-
" ite P. C. nutum numenque vestrum invictum
" Campanis, & jubete sperare incolumem Capu-
" am futuram. Qua frequentia omnium gene-
" rum multitudinis prosequente, creditis nos il-
" linc profectos? quam omnia votorum, & la-
" crimarū plena reliquisse? in qua nunc expe-
" cta-

" ctatione Senatum, populumque Campanum, " conjuges liberosque nostros esse? Stare o- " mnē multitudinem ad portas viam hinc feren- " tem prospectantes, certum habeo, quid illis " nos P. C. sollicitis ac pendentibus animis re- " nunciare jubeatis. Alterum responsum, sa- " lutem, victoriam, lucem, ac libertatem: alte- " rum, ominari horreo quæ ferat. Proinde " aut de vestris futuris socijs atque amicis, aut " nusquam ullis futuris nobis consulite. Sed ut in hac ita in quavis Oratione ac Epistola ejusmodi particulæ ubique sunt obviæ. Harum ergo frequens usus Adolescentibus inculcandus est.

§. XI.

De Cogitationum interna Dispositione.

JAm Partem hanc finituri, aliquid de Dispositione cogitat: interna afferamus. Quo loco admonendi sunt Juvenes, animadversuros eos ipsos cum tempore & ætate, longè faciliùs esse cogitationes invenire, quam cogitata rectè disponere. Materia enim ipsa, quæcunque illa sit, de qua dicendum est, dum bene intelligatur, cogitationes & rationes suggerit, ac quodammodo secum affert. Longa item rerum vitæque experientia, lectio, auditio multarum rerum, animum juvant, ut multa cogitet, multa ad materiam quam tractandam suscipit, vocet. Jntellige igitur duntaxat benè negotium, de

de quo sis Oratione vel epistola acturus, de pace, *ug:* de bello, de auxiliis petendis vel ferendis, de tributis scifcendis, de rebus ærarij publici, de judiciorum rationibus corrigendis, de fœdere ineundo, de commerciis stabiliendis, de fodinis aperiendis vel conservandis, de victoriæ aut prosperæ alicujus rei gratulatione, de dignitate hospitis quem salutas, & de sexcentis id genus rebus; intellige, inquam, bene negotium tuum, & si ætate ac experientia præstes, multæ tibi cogitationes & rationes, una ex alia oborientur, necessariæ, utiles, commodæ, ad rem quam bene percepisti. Nam si rem de qua dicturus scripturusve es, non bene intelligis, nec probè perspicis, frustra tu de ea quidquam solidè dicere, frustra aliis eam persuadere contendas. E re itaque tua, probè tibi perspecta intellectaque cogitationes nascentur, sed ordinatio harum cogitationum seu earum dispositio, ut unaquæque suo loco ponatur, ut una ex alia profluat, una aliam fulciat, rectè connectantur, non permisceantur, ordine locentur, denique clarè, nitidè, eleganterque exponantur, hoc opus, hic labor Oratoris scriptorisque est.

Proderunt ad condiscendam utcunque dispositionem hanc, fortasse aliquid hucusque dicta, sed magis continua, bonarum Orationum ac Epistolarum lectio, meditatio, & sollicita, quomodo intus à magnis ingeniis dispositæ sint, consideratio. Mea quidem sententia: & si plurima alia, quæ eo fine ex Oratoribus ac Epistolographis, attentè legi ac examinari debent, multum profutura sint, unius tamen pro *lege Manilia* Orationis diligentissima observatio ac A-

 nalysis,

nalysis, majorem cæteris, Adolescentũ ingenio, hac in re, lucem, lumenque afferet. Nihil enim Ordinatius hac Oratione est, quam Oratorum Princeps, creatus Prætor, fere quadragesimo primo ætatis anno populum Romanum allocuturus, laboriosissimè confecit. Hæc ergo primùm omnique diligentia, Adolescentibus prælegenda ac explicanda est; tum ordo illius internus ijsdem præ oculis ponendus. Hæc enim exemplo fuit, est, eritq; optimis quibusque tam sacris, quam civilibus Oratoribus, qui hucusque preclara dicendi ratione alijs excelluerunt, aut deinceps excellent.

Argumentum Orationis.

Pro Lege Manilia.

C. Manilius Tribunus rogationem ad populum tulerat, ut belli difficillimi contra Mitridatem Regem Ponti, universa administratio, transmitteretur Pompeio, qui tum bello duntaxat Maritimo, summo cum Imperio Præfectus erat. A Manilio itaque lex hæc Manilia dicta. Hanc legem Cicero præsenti Oratione, executioni demandandam populo suadet.

Analysis dispositionis internæ.

EXordium imprimis à persona sua ducit: hæque sunt ejus cogitationes primæ. Quod in amplissimo hoc ad agendum inter rostra loco, primum nunc dicturus compareat, quo laudis aditu, eum hucusque, aut ætas, aut suæ vitæ

tæ rationes, aut tempus privatis amicorum causis defendendis in foro transmissum, prohibuerint, seque interea forensi usu, in arte dicendi exercuerit. Nunc cum Prætor creatus sit, Authoritatisque tantum ei tributum sit, ut de re maxima ad populum verba facere possit, hac authoritate usurum se asserit. Tum gratulatur sibi, quod illi de Pompeij laudibus dicendum sit: deinde paucis præfatur, de bello cum Mitridate & Tigrane, de nuncijs qui afferuntur ex Asia, de Bithyniæ & Regni Ariobarzanis Socij Romanorum statu, de Luculli Jmperatoris ex Asia discessu, de desiderio Asiæ, ut Pompejo Imperium Militare tradatur; denique propositionem pro tota Oratione tripartitam stabilit: *Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine belli, tum de Imperatore eligendo, esse dicendum.*

Observandæ sunt imprimis in exordio particulæ, quæ Periodos ligant, & inter se connectunt: *quanquam mihi* &c. *tamen hoc aditu laudis* &c. *Nam cum antea* &c. *Ita neque* &c. *Et meus labor* &c. *Nam cum propter* &c. *Nunc cum & Authoritatis* &c. *Atque illud imprimis* &c. *Dicendum est enim* &c. *Atque ut inde* &c. *Causa quæ sit videtis.* &c. His particulis quam mirè cogitationes ligentur, uti & sequentibus in tota Oratione Adolescentes attendant.

Jn illa vero tripartita propositione, quid velit Orator considerent. Cum enim primum *de genere belli* dicturus est, in hac parte suadet: *bellum cum Mitridate esse omnino necessarium;*

tale

tale nimirum esse *hoc genus belli, ut deseri non possit.* Cum de *magnitudine belli* dicturus est, suadet: *bellum hoc esse difficile magnique momenti, proinde Optimo Imperatore egere.* Denique cum *de Imperatore deligendo* dicturus est, *Pompejum deligendum* multis rationibus suadet.

Stabilitâ hac tripartita Propositione, primam resumit, cum dicit: *genus est enim ejusmodi, quod maximè vestros animos excitare, atque inflammare debet,* ut nimirum bellum hoc necessario continuetis. Hujus Propositionis, brevibus præmittit, quatuor rationes: 1ma, in hoc enim bello *agitur de populi Romani gloria.* 2da *agitur salus sociorum atque amicorum.* 3tia. *aguntur certissima populi Romani vectigalia & maxima.* 4ta. *Aguntur bona multorum Civium.*

Harum jam quatuor rationũ singulas, unam post aliam resumit, repetit, atque probat.

Prima fuit ratio, quod in hoc bello *agatur de populi Romani gloria.* Hanc rationem egregiè exagerat atque probat, in eo Orationis puncto, quod incipit. *Et quoniam semper appetentes gloriæ præter cæteras gentes, atque avidi laudis fuistis &c.* Ad gloriam itaque Romani Nominis defendendam eos excitat. *1mo* Quod Romanos Cives, Mitridates uno nuncio, unaque literarum significatione, tota Asia trucidaverit. *2do.* Quod à Sulla & Murena victus, pulsusque adhuc regnet, & in Asiæ luce versetur. *3tio.* Quod novum bellum paret & Sertorianos in Hispania per Legatos suos ad bellum cum Romanis gerendum incitet. *4to.* Quod

Quod Lucullus mala fortuna usus, à Mitridate victus sit. Ex his infert: *de Vestri Imperij dignitate atque gloria, quoniam is est exorsus Orationis meæ, videte quem vobis animum suscipiendum putetis.* Tum ad vindicandam gloriam, populum excitat duobus exemplis, quæ cum præsenti causa comparat; *1mum* sumitur à bello olim, ob naviculatores injuriosius tractatos, à Majoribus gesto. *2dum* ab Urbe Corynthio extincta, quod Legatos Romanos superbius appellasset: quo loco majores longè injurias ac contumelias, à Mitridate Romanis illatas memorat, concluditque hanc de gloria rationem; *videte ne ut Majoribus Vestris pulcherrimum fuit, tantam vobis Imperij gloriam relinquere, sic vobis turpissimum sit, illud quod accepistis, tueri & conservare non posse.*

Moxque hac *de gloria* ratione finita, eleganter ad alteram, *de socijs* transit: *Quid? quod salus Sociorum summum in periculum & discrimen vocatur?* probat id Ariobarzane Rege, Socio populi Romani, è suo Regno expulso; exponit: omnes in Asia Romanorum Amicos & Civitates propter vim, Mitridatis, & Tigranis ejus Socij in periculo constitutas esse, ab ijsque Pompejum summopere desiderari; urget comparatione cum Majoribus, qui nulla ipsi lacessiti injuria propter Socios cũ Antiocho, cum Philippo, cum Ætholis cum Pænis bella gesserunt; concluditq; hanc secundam rationem: *Quanto vos studio convenit injurijs provocatos, sociorum saluten, una cum vestri Imperij dignitate defendere, præsertim cum de maximis vestris vectigalibus agatur,*

tur. Qua in periodo obſervent Adoleſcentes, Oratorem & ſecundam *de Socijs* defendendis rationem concludere, & primam *de gloria ſeu dignitate* Imperij paucis commemorare, & aptè ad tertiam *de vectigalibus* rationem tranſire, per particulam *præſertim cum &c.* qua in re videant, quam faciliter eleganterque in ſimilibus, à ratione ad rationem tranſitionibus, Ciceronem imitari poſſint.

Jam tertiam *de vectigalibus* rationem urget, comparando cum alijs plurimis Provinciis [quæ exigua vectigalia ſolvunt] optimam & fertiliſſimā Provinciā Aſiā, à qua vectigalia, metu ipſo belli amitti poſſe oſtendit, ac publicanos ſeu exactores vectigalium in magna eſſe formidine, à qua eos liberari oportere concludit.

Ad quartam rationem: *de bonis multorum privatorum Civium Romanorum in Aſia amittendis*, tranſit per eam particulam: *Ac ne illud quidem vobis negligendum eſt, quod ego mihi extremum propoſueram cum eſſem de genere belli dicturus, quod ad multorum bona Civium Romanorum pertinet.* Quo loco de collocatis pecunijs à Civibus Romanis in Aſia, de Commercijs, *&c.* diſſerit, oſtenditque ſi permulti res tam magnas in Aſia amiſerint, Romæ ſolutionem impeditum iri, & publicam fidem caſuram.

Tum: commemoratis breviter iterum quatuor mox dictis rationibus, ita primā Propoſitionem Orationis ſuæ concludit: *Quare videte, num dubitandum vobis ſit, omni ſtudio ad id bellum incumbere, in quo gloria Nominis Veſtri*

ſtri, ſalus Sociorum, vectigalia maxima fortunæ plurimorum Civium, cum Republ: defenduntur. Quo loco Adoleſcentes diligenter obſervent, quam imitatione Principis Oratorum, *rationes plures* ad rem probandam *adductas*, in concluſione *commemorare* plerumque juvet.

Tum Orator à prima finita Orationis parte ſeu à Propoſitione prima, ad alteram Propoſitionem tranſit, his verbis: *Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam.* Commemoravit & præteritam propoſitionem, & ſequentem claris verbis aperuit. Ad id igitur tendit Orator, ut poſtquam belli neceſſitatem oſtendit, nunc in altera parte oſtendat bellum hoc eſſe *magnum*, id eſt, *perdifficile ad gerendum*, proinde minimè contemnendum, ſequeturque inde: *optimum Imperatorem, ad id bellum mittendum eſſe.*

Jam ut bellum hoc eſſe *magnum ac difficillimum* probet, narrat: multa quidem Lucullum præclarè egiſſe, ſed infeliciter finiviſſe, Mitridatem profugum à Tygrane Rege Armeniæ, magnis viribus auctum Romanum exercitum deleviſſe. *&c. &c.* Tum concludit hanc partem illis verbis: *Perſpicitis quantum illud bellum futurum putetis, quod conjungant Reges Potentiſſimi, renovent agitatæ Nationes, &c.* Ubi mox commemoratis duabus præteritis Orationis partibus, ad tertiam partem Orationis tranſit: *de Imperatore Pompejo ad id bellum deligendo*, hisque verbis tertiam Propoſitionem enuntiat: *Satis mihi multa verba feciſſe videor, quare hoc bellum eſſet genere ipſo neceſſarium, ma-*

magnitudine periculosum, restat, ut de Imperatore ad id bellum deligendo, ac tantis rebus præficiendo dicendum esse videatur, ad quod militare Imperium unum Pompejum idoneum esse affirmat, quod tertia parte Orationis probat.

Jmprimis itaque fusius dicenda de Pompejo, uti Summo Imperatore, brevissimè ad quatuor Capita revocat, his verbis: *Ego enim sic existimo: in summo Imperatore quatuor has res inesse oportere: scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem.* En pulcherrimum propter Adolescentes exemplar, quod in partitione argumentorum, & brevi dicendorum compendio, eleganter utiliterque præmittendo, in suis Orationibus, Epistolisque gravioribus imitentur.

Summum ergo Jmperatorem Pompejum probaturus, factâ divisione rationũ, mox primam resumit illis verbis: *Quis igitur hoc homine scientior unquam fuit, aut esse debuit?* quam in eo scientiam rei militaris, ex studio belli ab adolescentia, ex longa magnaque experientia, ex diversis bellis ab eo gestis victoriisque reportatis probat, & ex his concludit: *Nullam rem esse in usu militari positam, quæ hujus viri scientiam fugere possit.*

Ratione de scientia militari finita, transit ad alterum laudis caput, ad laudandas nimirum Imperatorias Pompeij virtutes: *Jam vero*, inquit, *virtuti Cnei, Pompeij, quæ potest par Oratio inveniri?* Hic vero virtutes Pompeij in duas iterum partes subdividit, nimirum, in virtutes imperatorias, seu verè *Imperatori* ut *militi*

liti proprias, & in virtutes Pompejo Imperatori non tam ut *militi*, quam ut *probo Viro* proprias.

Imperatoriæ, *uti militis:* virtutes sunt: *labor in negotijs, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo: quæ tanta sunt in hoc uno, quanta in omnibus reliquis Imperatoribus, quos aut vidimus, aut audivimus non fuerunt.*

Has Pompeij virtutes Imperatorias probat pluribus bellis feliciter ab eo confectis, in Sicilia, Affrica, Gallia, Hispania, Italia, bello Maritimo, Jllyrico, Græcia &c. in quibus omnibus, ejus laborem, fortitudinem, industriam, celeritatem, consilium admiratur, & laudat.

Transit ad laudandas alias Pompei virtutes, Pompejo, *uti bono Viro*, proprias, quæ in munere Imperatoris maximè elucescunt: atque ita hanc transitionem adornat, virtutesque quas mox laudaturus est, compendio proponit: *Est hæc Divina atque incredibilis virtus Imperatoris. Quid cæteræ quas ante commemorare cœperam, quantæ, atque quam multæ sunt? non enim solum bellandi virtus in summo atque perfecto Imperatore quærenda est, sed multæ aliæ sunt artes eximiæ, hujus administræ Comitesque virtutis. Ac primum, quanta innocentia debent esse Imperatores? quanta deinde in omnibus rebus temperantia? quanta fide? quanta facilitate, quanto ingenio? quanta humanitate? Quæ breviter qualia sint in Pompejo, consideremus; summa enim omnia sunt: Quirites; sed ea magis ex aliorum contentione, quam per se ipsas, cognosci atque intelligi possunt.*

Sequen-

Singulatim ferè has Virtutes repetit, & comparatione cum aliis Imperatoribus, alijsque modis mirificè dilaudat.

Postquam jam Virtutes Pompeii Imperatorias, & ut *Militis & ut boni Viri* celebrasset, [quod post laudatam in eo Rei militaris scientiam, secundo loco, ut supra, se facturum promiserat] concludit: Pompejo esse deferendum militare Imperium, ijs verbis: *& quisquam dubitabit, quin huic tantum bellum hoc transmittendum sit, qui ad omnia nostræ memoriæ bella conficienda, Divino quodam consilio natus esse videatur?*

Tum jam ad 3tiam, [ut supra promiserat] laudem Pompeij transit, ad prædicandam nimirum *auctoritatem* Pompeij, quæ incipit his verbis. *Et quoniam Auctoritas multum in bellis quoque administrandis atque Imperio militari valet; certè nemini dubium est, quin ea re idem ille Imperator possit.*

Hic probata necessitate *Auctoritatis*, qua Imperatores pollere debent, hanc magnam inesse Pompejo, ex summa de eo omnium, & civium & hostium opinione, probat, multis rebus gestis ab eo comparatam; tum concludit: *quantum hæc Pompeij Auctoritas apud Reges & apud exteras Nationes valitura sit.* Quo loco notent Adolescentes, quam ubique post singulas rationes adductas explicatasque, semper brevibus conclusio aliqua inferenda sit, idest: quam redeundum sit semper post singulas rationes, ad primariam Orationis propositionem.

Finita 3tia, ad 4tam, [ut promiserat] laudis partem accedit, quam à felicitate Pompeij ducit: *Reliquum est ut de felicitate Pompeij pauca dicamus.* Quam felicitatem ejus è præteritis bellis fortunatè semper gestis, aliisque rebus illi semper affuisse ostendit.

Tum jam finitis à scientia rei militaris, à Virtute, ab Auctoritate, à felicitate, Pompeij commendationibus, omnes illas tres præteritas de necessitate belli, de magnitudine belli, & de Imperatore eligendo Propositiones resumit, & commemorat atque ita concludit. *Quare cum & bellum ita necessarium sit, ut negligi non possit; ita magnum ut accuratissimè sit administrandum; & cum ei Imperatorem præficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima Auctoritas, egregia fortuna: dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod vobis à Dijs immortalibus oblatum & datum est, in Rempublicam conservandam atque amplificandam conferatis? &c.*

Atq; hoc est, quod imprimis Tyrones Eloquētiæ observare & imitari in hujus Orationis exēplo debēt: bene nimirū ac ordinatè ratiocinari, bene partiri ac argumenta disponere, bene omnia inter se connectere, rei ad dicendum propositæ filum [ut ajunt] tenere, ad crinomenon, seu propositionem semper redire; egregia rerum dicendarum partitione, ac eorum iterum quæ dicta sunt compendiosa collectione, ac utili jam dictorum repetitione, tam suas cogitationes dirigere, quam audientium captui memoriæ, & judicio accomodari, plurimumque prodesse. In tali interno Orationis ordine magnam, imò verò primam vim ejus sitam esse, noverint Adolescentes.

Jam

Jam Cicero commendato copiosè ad Imperium militare Pompejo, ad confutationem seu ad refellendas adversariorum sententias transit, ijs verbis: *At enim Vir clarissimus* &c. *Catulus, itemque &c. Hortensius ab hac ratione dissentiunt,* ubi de utriusque dignitate, prout par erat de tantis Viris, aliquid præfatus, [lædere enim etiam adversarios Oratori nefas est. quos etiam semper humanissimè tractandos esse, prudentia suadet] quæ sint eorum sententiæ imprimis exponit, easque deinde refellit:

Quid igitur ait Hortensius? &c. Ad unum Pompejum omnia deferri non oportere &c. Hanc objectionem confutat ratione ab antecedente ducta: quod nimirum Hortensius idem, ante plures annos suaserit, ne Imperium contra Pyratas totum, ad unum Pompejum deferretur: nihilominus contra sententiam Hortensij, Imperium universi belli contra Pyratas Pompejo uni feliciter Resp: contulit, & nisi uni illud Pompejo contulisset, res Romana perijsset. proinde & nunc &c. Sic confutata Hortensij sententia, ad confutandam Catuli transit his verbis: *Reliquum est ut de Q. Catuli Auctoritate & sententia dicendum esse videatur.*

Catuli duæ erant rationes contra Pompejum. *Prima:* Si unus est Pompejus in quo Respubl: spem omnem habet, non est facilè periculo exponendus, ne fortè in bello occumbat &c. Ad hanc rationem breviter Cicero respondet: *Quominus certa ac minus diuturna hominum vita est, hoc magis Respubl: dum per Deos immortales licet, frui debet summi hominis vita ac virtute,* id est: uti Pompejo antequam moriatur.

Secun-

Secunda ratio Catuli: *Nihil novi fiat contra exempla atque instituta majorum.* Intelligit, rem novam, & contra instituta Majorum esse, uni Pompejo continuò militaria Imperia in omnibus fere bellis tradere, & solum Pompejum cum tam ingenti Romano exercitu ad tam remotas oras mitti: unum Civem ita fortem, suspectum Reipubl: esse oportere,

Hanc rationem Cicero refutat, cum ostendit multa jam nova atque contra communes leges & instituta, causa Reipubl: ejusque magno bono, concessa fuisse Pompejo, ut: cum citra leges, Juvenis admodum Imperator bello maritimo contra Prædones præfectus fuisset, cum eques adhuc, non Senator, non Proconsul, triumphasset, &c. similiter plurima nova & in Mario evenisse: legibus in pace, utilitati in bello consulendum esse: tum mittendi ad hoc bellum unius Pompeij necessitatem gravissimam probat, quod ille solus tot aliorum Imperatorum incontinentiam corrigere, ac quæ socijs damna intulerunt, reparare possit, quo loco aptè sociarum Civitatum, ac Provinciarum ruinas à Romanis Imperatoribus factas exaggerat. Denique Catulo, aliorum æquè summorum in Republ: Virorum sententias opponit. Tandem concludit: *Quare nolite dubitare quin huic uni credatis omnia, &c.* Qua Catuli confutatione, nihil fortius.

Itaque in hac Oratione, omnes Oratoris partes Cicero cumulatissimè implevit: nullumque dubitandi locum de bello continuando, & de Pompejo Imperatore huic bello præficiendo, populo Romano reliquit, ac utrumque eidem persuasit.

Tan-

Tandem in Epilogo Manilium graviter cohortatur, legem ut à se latam de bello prosequendo, & de Imperatore Pompejo, ad illud mittendo, fortiter asserat, & tueatur; sua studia illi & Reipubl: offert, Deos denique religiosè testatur, se sua Oratione quidquid in hac causa susceperit, id omne Reipubl: non privati commodi causa suscepisse, *&c.*

Tali itaque modo à prudente ac diligente Præceptore, & omnes aliæ divini Ciceronis, aliorumque Orationes ac Epistolæ. Adolescentibus proponendæ exponendæque sunt; imprimis verò hæc, *pro Lege Manilia:* in qua partitionem, transitiones, ac admirabilem ubique ordinem cum bene perspexerint: solidè cogitare [ad quod unum tendimus] rectè cogitationes ordinare, ac connectere, graviter ac fortiter rem quamvis probare, bene ratiocinari, dicere bene, procul dubio condiscent.

FINIS PARTIS SECUNDÆ.

DE ELOCUTIONE PARS III.



§. I.

DE ELOCUTIONE IN GENERE.

TRactavimus hactenus de ſolida Inventione, & de recta Diſpoſitione cogitationum; nunc de Inventorum ac diſpoſitorum Elocutione, agendum nobis eſt.

Ad *dicendum* enim *bene*, uti principio innuimus, non ſufficit bene cogitare, bene cogitata diſponere, ſed oportet eadem, & quibusdam Eloquentiæ ornamentis, ſobriè adhibitis, explicare, & bonis delectisque verbis, ac propriis dicendi modis uti, & quam maxima claritate, cuncta, quæ mente volvis, exponere, & denique omnia, quæ paſſim Tyronibus Eloquentiæ obrepere ſolent, vitia, majorem in modum, devitare.

Vg: Super Propoſitione: *Militarem gloriam præſtare Oratoriæ laudi*: Cogitabit bene,

qui ita cogitet, idque ita probet: *Ad maximos in Republica honores, vel via militari, boni Duces Exercitus, vel via civili boni Oratores ascendunt. Nam boni Duces bello Rempublicam defendunt, boni Oratores in pace Rempublicam servant. Cum tamen bellum strepere incipit, Oratores tacere debent. Nam ut vetus Pòèta inquit: pellitur è medio sapientia, dum arma sonant, vi geritur res, spernitur Orator bonus, horridus miles amatur. Quare cum ita sit, Ducibus Oratores cedere debent, & priores esse milites, quam illi, in Republica.*

Quid huic cogitationi deest? solida est, sed insipidè explicata. Elocutionem Oratoriam penitus desiderat. Audite Ciceronem pro Murena, sic hoc eloquentem.

" Duæ sunt artes, quæ possunt locare homines in amplissimo gradu dignitatis, una Imperatoris, altera Oratoris boni. Ab hoc enim pacis ornamenta retinentur, ab illo belli pericula repelluntur. Omnia tamen ista nobis studia de manibus excutiuntur, simul atque aliquis motus novus bellicum canere incipit. Etenim, ut ait, ingeniosus Pòèta, & auctor valdè bonus: præliis promulgatis, pellitur è medio non solum vestra ista verbosa simulatio prudentiæ, sed etiam ipsa illa domina rerum, Sapientia: vi geritur res, spernitur Orator, non solum odiosus in dicendo, ac loquax, verum etiam bonus, horridus miles amatur. Vestrum vero studium totum jacet. Non ex jure manu consertũ, sed mage ferro, inquit, rem repetunt. Quod si ita est, cedat, opinor, Sulpici, forum " ca-

" castris, otium militiæ, stylus gladio, umbra " soli; sit denique in Civitate ea prima res, propter quam ipsa Civitas est omnium Princeps.

Vident hic perspicuè Adolescentes discrimen, inter bonam cogitationem, & inter bonam Elocutionem, quidque sit loqui, quid eloqui. Nam cogitationes ipsæ etiam præstantissimæ, quodammodo vilescunt, roburque omne vel ratio ipsa, videtur amittere, nisi cum bene, rectèque cogites, etiam egregiis, propriis, delectisque verbis, & quodam bene dicendi artificio, vim, animam, & vitam cogitationi addideris.

Militis vg: *rapinas coram Principe accusaturus:* ita cogitas, ita cogitationes disponis: *Milites nobis pagos, oppida, & domos invadunt, res nostras, & pretiosa quæque diripiunt, rusticos opprimunt, & ad summam miseriã famemque reducunt. Si nostra defendimus? nos verberant, & vulnerant; si eos aggredimur, & vincimus? plures postea congregantur, & nos penitus devastant, domos ac pagos exurunt, &c. Proinde Te petimus Princeps, ut eorum Ducem sui muneris incurium, imprimis severè commoneas, quatenus milites grassatores severè puniat, uti in bene disciplinatis exercitibus puniuntur, ut ordinatè annonam recipiant, & solvant, deinde: ut ex pietate ac justitia Tua damna nostra per Commissarios cognosci ac compensari facias.*

Cogitationes bonæ sunt, dispositio bona, recta ratiocinatio, rectumque Enthymema, sed Oratio barbara, inepta, & insulsa. Alia Elocutione opus, est; nimirum: delectu verborum,

modis dicendi elegantioribus, & aliquibus, quæ à Periodis, Tropis, Figurisque sumuntur, opus est ornamentis: sine ullo tamen in ijsdem excessu. Pædagogus enim aliquis, aut Tyrunculus, vel, [ut vetus apud Italos, Gallos, Germanosque, & apud nos non pridem, talis Eloquentiæ usus erat;] vel, inquam, aliquis styli depravati declamator veriùs, quam Orator, ita fortasse dicendum sibi esse putaret: *Vesanæ, & omnibus Erebi furijs agitatæ armigerorum cohortes, turrita Civitatum mœnia, tranquillo otio dulciter fruentia oppida, umbrosos innocentesque pagos, æquè humiles casas, & angusta mapalia, quam augustas superbasque Palatiorum furioso ausu invadunt ædes; inhospitales milites, lites mox, & jurgia, ac bella excitant, ad capitandas arcas, quam ad tendendos arcus, manus aptiores gerunt.* &c. &c.

Naturam autem ducem sequendo, simpliciter superius cogitata, elegantiore Oratione hoc vel simili modo, præmisso decenti ad rem ipsam accessu, adjectaque conclusione, [quasi Legati Personam gerendo, designati ad Externum vicinum Principem.] eloquereris. " Et si " sciam honorificentissimũ mihi omnino munus " contigisse, cum ad Majestatem Tuam legatio- " ne fungi jussus sum, tamen cum mandatorum " quæ mihi data sunt, indolem propius perspe- " xissem, deprecatus profecto fuissem, ne ea ad " solium Tuum perferrem, nisi notissima omni- " bus: bonitas, justitia & miseratio Tua, in spem " me opportunè erexisset, fore: ut mala nostra & " libenter auscultare, & promptum ijsdem effi-

" caxque

" caxque remedium afferre velis. Persuasissi- " mum enim nobis vel imprimis est: injusta hæc " & sæva quæ patimur, esse contra mentem, " voluntatem, desiderium, jussa & Imperia Tua, " illud autem certissimum omnino: calamita- " tes ærumnasque nostras,, Te simul nobiscum " sentire, ijsdemque perinde ac nos commoveri. " Muneris itaque mei esse duco, paucis nomine " Ordinum Reipublicæ nostræ deferre, quæ Ma- " jestati Tuæ hactenus ignota sunt, eaque cãdi- " dè sincerèque exponere. Dolebis quidẽ ut mi- " tissimi ingenij Princeps, sed non gravatim hæc " audies, quibus uno nutu occurrere, modum- " que imponere possis.

" Respublica igitur de Tuæ Majestatis be- " nevolentia & amicitia, secura omnino est, ea " tamen ab Exercitibus Majestatis Tuæ experi- " ri cogitur, quæ ab hostibus perferre nefas " est. Injurias, libidines, rapinasque militis, " locupletes, populosæque Civitates, oppida, " pagi, Provinciæ integræ, jam exsutiare non " possunt. Nullum Fanum raptoribus istis re- " ligiosum est, nedum ut ulla eis domus satis " clausa, & munita esse videatur. Opulentiores " Reipublicæ requirunt cives, quibus causam " belli propter diripiendi cupiditatem inferant. " Aut partium mox studia, aut hosti subministra- " tam annonam objectant, voluntatem denique " ipsam nocendi, quæ vel ipsos Deos lateat, " cum nulla sit, in ijs scrutantur, ac detegunt, " quorum auro, argentoque inhiant. Domos " tranquillæ Nobilitatis, illustriorumque Civi- " um, turmatim viceni, triceni, sexageni, irru-

unt,

" unt; Dominos nihil ſimile ſuſpicatos repente
" vinciunt, ſpoliant, clamoribus, minis, ictibus
" & vulneribus ad tradendam pecuniam cogunt,
" faces tectis minitantur: quos etſi manu do-
" meſticorum ſervitiorum collecta, haud diffi-
" cilè exturbare, aut ad feriendum promptos,
" ferire, vulnerare, ac excindere poſſis, ſed e-
" nim certiſſimus majoris vis ac multitudinis
" metus, ſed gravior mox à pluribus invaſuris
" calamitas, ſed inevitabilis incendij, ruinæ, ac
" vaſtitatis pavor, aliud conſilium tunc præ-
" bere non poſſunt, quam ut retenta ſalvaque,
" ſi fieri poteſt, anima, nummi, vaſa argentea,
" veſtes, lecti, tapetes, ſuppellex omnis, equi,
" currus, latrocinantibus relinquantur. Quid
" pauper colonus? quid miſer ſemper, vel in pa-
" ce, ruſticus? hic enimvero ab effreni milite,
" belluarum inſtar tractatur, concutitur, rapi-
" tur, vulneratur, ita longinquè cum ultimo
" boum jugo, curruque inſolutus trahitur, ut
" Domum, agrum, familiam deſerere, imò ſæ-
" pius ipſam animam efflare cogatur, utque eo-
" rum fere decimus, iſque fame & labore ex-
" hauſtus, ſpiritumque vix trahens, ad vacuum
" ſuperſtes revertatur mapale. Hoſtiles infe-
" ſtæque terræ, aliterne quæſo à barbaris habe-
" ri ſolent? Hi vero, quos jure hoſpitij, nos
" non inviti recepimus, quinam ſunt? populi
" ex una Civiliorum, ut illi ajunt, Europæ Na-
" tionum ſunt, Chriſtiani ſunt, amici ſunt. Ita
" ne verò? exercitus hic pro ſociis contra ho-
" ſtes miſſus eſt? an hoſtium ſimulatione con-
" tra ſocios, atque amicos? Nos à parte neutra,
" fœ-

" fœderum ſanctitate, tuti tectique ſumus, bel-
" lo minimè immiſcemur, innoxium amicis per-
" miſimus tranſitum; & quovis hoſte immanius
" crudeliusve habemur. Injuriæ ejusmodi,
" niſi cohibeantur, quo deduci quandoque ſo-
" leant, neminem latet. Nos Te Princeps, quem
" pium, juſtum clementemque ſemper audivi-
" mus, talemque Te tui celebrant. nomine Or-
" dinũ Reipublicæ noſtræ, ac populi calamitoſi,
" legatione compellandum, petendumque du-
" ximus, primum ut Imperatori, Ducibusque
" copiarum Tuarum, regiè mandes, ſeveriore ut
" diſciplina militem præſertim levioris armatu-
" ræ contineant, nec ſeſe vanè, contra eorum
" voluntatem, & mandata hæc fieri, excuſent;
" hoc enim dicto contenti, inſolentiam militis
" effrænem impunemque ſinunt; puniri quippe
" pro diſciplina, & legibus militaribus nemi-
" nem vidimus. Omnia ut ſolvant, non ſchedis,
" pagellis, ſed nummis: cum de largis univer-
" ſo exercitui ſtipendiis, exactè è Majeſta-
" tis Tuæ ærario proſpectum eſſe, nobis omni-
" no conſtet. Ne rapiant, ne extorqueant, tu-
" multariè nihil exigant: ſed cum primoribus
" Provinciarum de annona, loco, curribus, ho-
" minibus, pretio juſto, ut fas eſt, conveniant;
" ita ordine ijs hæc omnia affluent, quæ raptu
" deficere, & illis & nobis oportet. Quæ vero
" hactenus, vi, & rapina, tranquillis rei ſuæ Do-
" minis, miles crudelis inſolensque eripuit, ut
" commiſſariis à Majeſtate Tua & Republica de-
" ſtinatis, ijſdemque Judicibus exacte pateant,
" ac cuique ex juſto, & æquo, damna omnia,
" ac

" ac injuriæ refundantur; nam gemitus, & la-
" chrymas quis restituet? Ignorare hæc vel-
" le, non est Tuæ Religionis, nec Clementissimæ
" Tuæ indolis. Proinde cum de his Majestatem
" Tuam instruere jussus sum, nedum nulla inde
" Tibi, Princeps, causa præbetur offensæ, cujus
" ego periculo, vitæ citius præferrem pericu-
" lum, sed potius justa hæc Gentis vicinæ, ami-
" cæ, & sociæ, coram Te, Princeps, querimo-
" nia, evidens testimonium est, plenæ Polo-
" norum in Tua fide, integritate, justitiaque,
" fiduciæ.

Adolescentes hic probè cognoscent, si has ternas elocutiones inter se conferant, quid sit vera Elocutio. De hac nunc itaque tractaturi sumus.

Ego jam ad Elocutionem quatuor imprimis pertinere statuo; *1mo.* Ornamenta Rhetorica, quæ in Periodis, Amplificatione, Tropis, Figurisque consistunt. *2do.* In quavis quâ Orator utitur lingua, proprietatem, delectumque verborum, & modorum dicendi. *3tio.* Quam maximam styli claritatem & facilitatem. *4to.* Cognitionem vitiorum Eloquentiæ, quæ devitari oporteat. De his sequentibus capitibus agemus. Sit imprimis.

§. II.

De Periodis.

MAle de Juventute merentur tam illi, qui totam Rhetorices artem Periodorum, Troporum, Figurarumque cognitione definire, quam isti,

isti, qui de his perperam tractare, vel ea spernere fortasse, videantur. Nisi enim Juvenes bonis Periodis cogitationes jungere, Periodos, quantum duntaxat expedit, non inutilibus verbis ampliare, tamque earum membra particulis inter se vincire, quam periodum cum periodo connectere, verba bene collocare, numerosè dicere, diligenter doceantur, & continuo his assuescere jubeantur; oratio eorum semper erit rudis, scabrosa, hiulca, & insipida.

Quo loco monendum: docere Periodos, non esse idem: ac Juvenibus ita componenda præscribere, ut eos cogas, quatenus consequẽter per Periodos, Tropos, Figuras, Exempla componant; unamque post aliam unimembrem, bimembrem *&c.* Periodos, omnino exprimant. Hoc enim ridiculum est, cum Tropi, Figuræ, Periodi, qualescunque se se juxta cogitationem offerunt, naturaliter in quamvis orationem influere debeant. Natura & vis, virtutes & vitia horum, bene explicanda ijs sunt, & deinde Professori curandum, ad id assuefacere Juvenes, ut Periodi eorum qualescunque menti occurrunt, bonæ, claræ, numerosæ, benèque ligatæ sint, Tropi, Figuræque prudenter, ubi opus, adhibitæ. Definiamus jam Periodorum naturam.

1. *Quid est Periodus?*

Periodus (Græce significans ambitũ seu circuituũ) est sententia quædam ita in se absoluta, ut ad complendum in ea perfectum mentis sensum, nihil amplius desideretur.

Vg:

Vg: *Omnia quæcunque dicturus sis, prius mente considera. Multorum enim lingua, intellectui præcurrit.* In hoc Isocratis monito sunt duæ Periodi, quarum & prima & secunda ad cogitationem præsentem perfectè exprimendam, nihil amplius requirit.

2. *Ex quo componitur Periodus?*
Ex membris, & incisis seu Cõmatibus.

3. *Quid est incisum, seu comma?*
Est particula minor Periodi, penitus incompleta.

Vg: *Existimes, nihil in rebus humanis firmum, nihil non mutationi & casui obnoxium esse.* Unum hic incisum est, *existimes;* alterum Incisum: *nihil in rebus humanis firmum:* tertium Incisum: *nihil non obnoxium mutationi & casui esse*: quæ omnia Incisa separatim in semet accepta sensum ferè nullum habent.

4. *Quid est Membrum?*
Est major pars Periodi, ita quidem facta, ut adhuc aliud membrum, (nisi sit unimembris periodus) quo sensus compleatur, desideret.

Vg: *Sapiens Vir tam mediocriter gaudet bonis, quæ eveniunt, quam moderatè dolet, ex malis, quæ accidunt.* Isocrates. Nullum horum quatuor membrorum est, quod aliud non desideret, donec Periodus tota completa sit.

5.

5. *Quotuplex Periodus?*
Multiplex. Unimembris, bimembris, trimembris, quadrimembris, & aliæ plurium membrorum, quam quatuor.

Unimembris, si justo longior est, vocatur *Schinothenes.* Aliæ Periodi ex pluribus quam quatuor membris conflatæ, vocari solent Periodi Pneumaticæ, item Periodicæ circumductiones.

6. *Quid est Periodus Unimembris, bimembris, trimembris, quadrimembris?*
Quæ unum, quæ duo, quæ tria, quæ quatuor membra continent, atque ita à numero membrorum vocantur.

Græce dicuntur Monocolos, dicolos, tricolos, tetracolos. *vg:* Sententiæ hæ Isocratis: *Ad magistratum evectus, in obeundis negotijs, nemine utaris improbo.* Est unimembris. *Culpa quæ à malis Consiliarijs oritur, Tibi procul dubio adscribetur, non illis.* Est bimembris. *Cum multis divitiis laus omnino præstantior sit, à publicis, quæ in Republ: gesseris, functionibus & muneribus, non ditior, sed laudabilior discedere cura.* Est Trimembris. *Justitia eo præstantior est opibus, quod hæ quidem & viventibus tantum prosint, & improbis etiam communes sint, illa vero solis bonis propria, & vitæ laudem, & gloriam sempiternam ijs pariat.* Est quadrimembris.

NOTA. Quot in Periodo verba sunt Personalia-

ſonalia, vel imperſonalia, tot eſſe etiam Periodorum membra.

Vg: in ſequenti Iſocratis ſentẽtia, quia plura, quam quatuor verba reperiuntur, plura etiam ſunt, quam quatuor membra: *Ut apem videmus, quæ omnibus quidem floſculis inſidet, ab unoquoque autem utilia carpit; ita oportet ut ij, qui eruditionem appetunt, probent omnia, nulliusque rei inexperti ſint, ſed undique utiliora ac ſalubriora colligant.* Hanc tu plurium membrorum Periodum, *Periodicam circumductionem*, ſeu quidvis appella. Pergamus ad

Conditiones bonæ Periodi.

PRIMA EST: ut optimè inter ſe, membra Periodi, ligentur. Ligantur autem particulis, quæ ſunt innumerabiles, quales ſunt iſtæ: *Ut, ita: adeo, ut: non tantum, ſed etiam: &, &: cum, proinde: numquid non, quin etiam: cum, tum: tam, quam: nunquam, niſi: quantum, tantum: non ſatis, ſed inſuper: couſque, donec: ille, qui: &c. &c.* De quibus jam & ſupra toties innuimus, & quæ uſu diſcuntur. Sine ejusmodi particulis Periodi plerumque ſcopæ, ut ajunt, diſſolutæ ſunt: hæ vero Particulæ id efficiunt, ut omnino ſenſum ſequentem quodammodo poſt ſe evocent. Vg: *hac ratione amicis optimè uteris, ſi non expectes dum ipſi rogaverint, ſed ipſe ſponte tua ijs opportunè opituleris. Iſocrates.* Vide quam iſtud: *hac ratione amicis uteris*, exigat omnino ſequens aliquid; iſtud quoque: *ſi non expectes rogari*, exigit id, quod ſequitur, *ſed ſponte opituleris*; tum primum ſenſus & Periodus ritè complentur. Item: *Magni facito non ſolum eos ex amicis, qui ob mala tua dolent, verum etiam eos, qui ob bona tibi non invident.* Item: *Odio habe non minus eos, qui adulantur, quam eos, qui te decipiunt. Iſocrates.* Hæ particulæ, & aliæ ejusmodi pulcherrima ſunt cogitationum vincula.

Particulæ: *ut ita*, ſimilesque, nonnunquam latere poſſunt. *Vg: Aurum in igne probamus, amicos in infortuniis dignoſcimus. Iſocrates.* Latent hic particulæ: *ſicut, ita.*

Sed imprimis Adoleſcentes aſuefaciendi ſollicitè ſunt, ut his particulis nectant omnino Periodorum membra. Poſtea enim, cum in Eloquentia profecerint, animadvertent ipſimet, ubi natura ipſa has particulas exigat, & in orationem quodãmodo infundat, ubi ſine jis etiam ſenſa poſſint ligari. Nam Viri maturi de id genus particulis non cogitant, ipſæmet, ubi opus eſt, influunt, ubi non opus, relinquuntur. *Vg:* Iſocrates: *Neminem amicum facias, priusquam exploraveris, quomodo prioribus ſit uſus amicis. Expecta enim ipſum talem erga te futurum, qualis erga alios prius fuerit; Tardè quidem amicus fias, factus vero, in amicitia firmiter perſtare coneris. Pariter enim turpè eſt, neminem habere amicum, ac familiares multos ſæpius permutare. Imprudentiam itaque ac neglectum in delectu amicorum vitabis. Non probati, non bene cogniti, vitia celare poſſunt, malaque animi, quæ in ijs latent, ut ſecreti turpesque morbi corporis, contagioſa ſæpe ſunt, quæ ignarum incautumque paulatim inficiant, aut detecta tardius horro-*

horrorem incuciant: ita amcitiam otiùs quam par est, & male coalitam dissolvi ac evanescere oportet. Periodi hæ, ut videre est, aliæ habent, aliæ non habent has quæ ligant particulas. Nihilominus tamen talibus exemplis non obstantibus, utilius longè est Juvenes ad connectenda supradictis particulis Periodorum membra, continuo cohortari.

Monendum hic est: Omnes ferè, plurium quam unius membri, periodos, bene particulis ligatas, *Prothasi*, & *Apodosi* constare. *Prothasis* est prima pars Periodi, quæ alteram post se omnino desiderat. *Apodosis* est altera pars Periodi, quæ *Prothasi* respondet. Vg: *Ita calamitatibus infortuniisque sum obrutus*, Prothasis: *ut neminem infeliciorem me esse existimem*, Apodosis. *Erga Parentes tuos*: [Isocrates] *talis esse memineris*: Prothasis: *quales liberos tuos erga te esse optares*, Apodosis. *Amicos*, [idem Isocrates,] *existimabis non eos, qui quidquid dicas aut facias, laudent, non eos, qui quidquid desideres, tibi facile mox concedant, non eos, qui omnia quæ tu probes, cæcè probent & ipsi, nec eos, qui dicenda dissimulent, & vera, quamvis tibi non ad palatum futura, subticeant*, hucusque Prothasis: *sed eos, qui jure amicitiæ, ac prudenti loquendi libertate usi, tibi aut semper honesta, quantumvis severiora consilia præbeant, aut etiam delicta tua reprehendant*: Apodosis.

SECUNDA BONÆ PERIODI CONDITIO EST: ut voces omnes in Periodis, membris, incisis, rectè inter se collocentur, ita quidem

dem, ut sonum quemdam gratum auribus, benè collocatæ reddere videantur. Res hæc tam in Patria, quam in Latina lingua nunquam satis Juvenibus inculcari potest, sed maxime in exēplis elucet, & exēplis ostendēda est. *Vg: Princeps, optatissimum tuum adventum gratulamur urbi & Provinciæ.* Melius collocatæ hæ voces, sonabunt melius: " Optatissimum tuum, Prin-" ceps, Urbi & Provinciæ gratulamur adven-" tum. „ *Item: Quæ non sunt, dicere unquam, nefas est; fas est, quæ sunt, celare aliquando.* melius colloca: " Nefas est, dicere unquam, " quæ non sunt, fas est, celare aliquando quæ " sunt. „ Item: *Tune vis omnes cautos & secretos, cum non serves secretum, tibi ipsi tu? putas te habere rem inter amicos? sed & amici habēt amicos.* hæc elegantiora erunt, melius transposita: " Tune secretos cautosque vis amicos, " cum Tu tibi ipsi secretum non serves? amicos " inter, rem te putas habere? sed habent & a-" mici amicos. „ Item. *Quirites videtis die hodierno Deorum Immmortalium amore summo erga vos, meis laboribus, periculis, & consilijs Rempublicam ereptam pene ex faucibus fati, ex flamma & ferro, vobis conservatam, & restitutam, vestramque omnium vitam, liberos vestros, bona, conjuges, fortunas, hoc Domicilium clarissimi Imperij, urbem fortunatissimam & pulcherrimam.* Quam hæc scabrosa sunt, quamvis sint Ciceronis? sed ita jam, ut ille collocavit, collocentur: " Rempublicam, Quirites, vitam-" que omnium vestrum, bona, conjuges, fortu-" nas, liberos vestros, atque hoc Domicilium

" cla-

" clariſſimi Imperij, fortunatiſſimam, pulcherri-
" mamque urbem, hodierna die, Deorum Im-
" mortalium, ſummo erga vos amore, laboribus,
" conſiliis, periculisque meis, ex flamma atque
" ferro, ac pene faucibus fati ereptam. & vo-
" bis conſervatam ac reſtitutam videtis.„ Quæ
facilitas, quamvis in longa *Schinotene*? quæ
elegantia? quæ majeſtas Orationis ex hac vo-
cum collocatione oritur? Accipiamus ex exor-
dio Catilinariæ tertiæ. *Non minus ij dies, quibus naſcimur illuſtres atque jucundi nobis ſunt, quam ij, quibus conſervamur.* Cicero ita:
" Non minus nobis jucundi, atque illuſtres ſunt
" ij dies, quibus conſervamur, quam illi, qui-
" bus naſcimur.

Jta autem hæc collocatio neceſſaria in eleganti Oratione eſt, ut ſine illa, quid quid dicas, omni gratia deſtituatur; ritè vero collocatis vocibus, imo vel una quandoque voce in meliorem locum aptiùs tranſpoſita, etiam ſimplici elocutioni gratia concilietur. Si dixeris ita; *Eſt flagitium maximum in Adoleſcentibus, ſi detrectent obedire, ſi contemnant, contumaces & obſtinati, eorum auctoritatem, à quibus reguntur.* Hæc nimiam ſimplicitatē redolent, hæc repunt. Jam, ut Oratori propiora ſint, eadē cum interprete Iſocratis ita colloca: " Maximum in
" Adoleſcentibus flagitium eſt, ſi obedire detre-
" ctent, ſi obſtinati & contumaces, eorum, à
" quibus reguntur, auctoritatem contemnant.
Item. *Eſto diligentiſſimus & indefeſſus in magiſtratibus & officijs, nullum fugito laborem & defatigationem.* Hæc ſcripturientis ſunt; paulo

lo aliter has voces colloca, ſonabunt gratiùs:
" Jn magiſtratibus & officiis diligentiſſimus in-
" defeſſusque eſto, defatigationem, laboremque
" nullum fugito.„ In his ſequentibus verbis, pro Milone, fere nihil eſſe Ciceronis videtur. *Sed finis ſit, neque enim jam poſſum loqui præ lachrimis, & hic vetat ſe lachrimis defendi.* Hæc obvia, aliter paulo collocata, Ciceronis ſunt:
" Sed finis ſit, neque enim præ lachrymis jam
" loqui poſſum, & hic ſe lachrymis defendi
" vetat.

At jam, quæret aliquis, quæ & ubi? voces collocandæ ſint? Ego inutilibus regulis abſtineo. Neque enim hæc definiri poſſunt, ſyllabarum tali vel tali numero in fine periodi, vel membri, obſervando; cum hæc continuo varient. Attentio & judicium mentis, aptiùs quam quævis regula te voces collocare docebit. Conſiderentur: Cicero, Julius Ceſar, Salluſtius, Plinius, bonique Oratores tam Latini quam Patrii, ex ijs facile huic harmoniæ in collocandis vocibus, mens quodammodo ipſa, nedum aures aſuefient. Præceptoris eſt corrigere, & aptiùs, quæ à Diſcipulis perperam collocatæ ſint, voces transponere. Plerique dicunt ſe in collocatione vocum, tam in Patria, quam in Latina lingua, ſuam ſequi naturam, ſui pectoris halitum; non ideo tamen ingrati inſipidique eſſe deſinent, ſi Ciceronis aliorumque bonorum Oratorum harmoniam, in ordine vocum imitari conentur.

TERTIA CONDITIO BONÆ PERIODI: ut nempe ſint numeroſa, ſeu debito vocum

cum ac syllabarum numero impleta. Sit cogitatio hæc: *Certum præsagium est, Rempublicam talem futuram, quales liberi vestri erunt, liberos autem vestros eos mores retenturos, quibus pueri imbuti fuerint. Summa itaque rei ab educatione pendet.* Hæ tres Periodi non satis numerosæ sunt, siccæ sunt, nec satis rotundæ. Meliores erunt, si melius implebuntur. *vg.* " Certissimum præsagium est, talem fore Rem-" publ:, quales Liberi vestri ad eam tractan-" dam accessuri, olim sint. Liberos autem ve-" stros, eos mores eamque cogitandi & viven-" di rationem retenturos, quibus jam inde à te-" neris imbuti fuerint. Summam itaque rei, è " solerti & provida educatione pendere sapi-" enter censete.„ Hæ certè Periodi, prioribus, elegantiores sunt, ac Orationem meliorem efficiunt.

Numerus hic à justa [de qua inferius] verborum amplificatione oritur.

7. *Quis tamen numerus in membris & Periodis esse debeat?*

Quæstio fere inutilis. Tot enim voces in singulis esse debent membris aut periodis, quot sunt necessariæ. Una plus, quæ necessaria non sit, vel una minus, quæ desideretur, orationem vitiabit.

Faciet bonum membrum Periodi, paucæ etiam voces, si satis sunt; facient vicenæ vel tricenæ, si ijs opus est. Nullomodo Adolescentes cogendi sunt, ut omnino Epithetis, adverbiis

biis, & id genus, membra Periodorum infarciant, sed duntaxat ut bene cogitationem, tot, quot opus est vocibus, enucleent. Sint aliæ, prout rei natura exiget, paucarum syllabarum, aliæ etiam centenarum, Periodi; erunt omnes numerosæ, dum nihil ad cogitationem mentis explicandam in ijs desit. Hæc observatio, nunquam satis Adolescentibus commendari potest.

Falluntur, qui Ciceronianam Eloquentiam in amplificatione quam copiosissima, ac longitudine Periodorum collocant. Pleno ille decurrit alveo, & exundat, ubi opus est: constringitur pressusque est, ubi paucis rem expedire oportet. Clodium aliquo loco, ita de suo ab urbe exilio, de statu urbis, & de hominis istius sceleribus alloquitur. " Pulsus ego Civi-" tate non sum, quæ tùm nulla erat. Accersitus " in Civitatem sum, cum esset in Republica " Consul, esset Senatus, esset consensus " populi liberi, esset juris & æquitatis, " quæ vincla sunt Civitatis, repetita memoria. &c. " At vide, quam ista tui latrocinij tela contem-" pserim. Nihil neque meum est, neque cu-" jusquam quod auferri, quod eripi, quod adi-" mi potest. Si mihi eripuisses divinam animi " mei constantiam, tum ego accepisse me con-" fiterer injuriam. Sed hæc nec fecisti, nec fa-" cere potuisti. Reditum mihi gloriosum tua " injuria dedit, non exitum calamitosum. Ego " semper Civis eram, tu ne nunc quidem es " Civis. Nisi forte idem esse hostis & civis po-" test. An tu civem ab hoste, natura ac loco, " non animo factisque distinguis? Cædem in

foro

" foro fecisti, armatus latronibus templa tenu-
" isti, privatorum domos ædesque sacras incen-
" disti. Cur hostis Spartacus, si tu Civis? *&c.*
Videant Adolescentes. quam hic pressus sit Cicero, quam brevis, quam nullis verbis, nisi necessariis, ejus constet oratio.

En quomodo alibi, amore gloriæ Romanos excitat ad vindicandam injuriæ labem, quam Mitridates illis intulerat, cum omnes Cives Romanos in Asia uno die excindi, imperasset. " Et quoniam, *inquit*, semper appeten-
" tes gloriæ præter cæteras gentes, atque avi-
" di laudis fuistis, delenda vobis est illa macu-
" la Mitridatico bello superiore suscepta, quæ
" penitus jam insedit, atque inveteravit in Po-
" puli Romani nomine; quod is, qui uno die,
" tota Asia, tot in Civitatibus, uno nuncio, atq;
" una literarum significatione, Cives Romanos
" necandos trucidandosque denotavit, non mo-
" do adhuc pænam nullam suo dignam scelere
" suscepit, sed ab illo tempore, annum jam
" tertium & vicesimum regnat; & ita regnat,
" ut se non Ponto, neque Cappadociæ latebris
" occultare velit, sed emergere è Patrio Regno,
" atque in vestris vectigalibus, hoc est, in Asiæ
" luce versari. *Quam hæc longa, quam amplificata Periodus? Sed illam mox longè brevior, minimèque amplificata sequitur:* " Etenim ad-
" huc ita vestri cum illo Rege contenderunt Im-
" peratores, ut ab illo insignia victoriæ, non
" victoriam reportarent. *Quid hac Periodo pressiùs?* " Videte ne ut illis pulcherrimũ
" fuit, tantam vobis Imperii gloriam relinque-
" re,

" re, sic vobis turpissimum sit, illud, quod acce-
" pistis, tueri ac conservare non posse. *&c.*

Hæ Periodi diversæ sunt, longæ aliæ, breves aliæ. Sed considerent Adolescentes, si quam vocem supervacaneam in ijs observent? aut si, quæ necessaria esset, hic desideretur? *Semper appetentes gloriæ, & cupidi laudis fuistis.* Quam istud: *appetentes gloriæ*, alterum hoc: *& cupidi laudis fuistis* melius cogitationem exprimit, melius laudem & gloriam animis imprimit? *Illa macula penitus insedit, & inveteravit*, quid hic superfluum? imo quid non efficacissimum? ut his duobus verbis: *macula insedit & inveteravit* antiquæ injuriæ dedecus tam diu inultum, animis fortius infigatur? Si velles ista adimere: *uno die tota Asia, tot in Civitatibus, uno nuncio, atque una literarum significatione*: profectò his vocibus sublatis, perne cessarias facti circumstantias imprudenter tolleres. *Necandos trucidandosque denotavit.* Dele alterutrum, magnam vim injuriæ diminues. Ita vides nihil hic esse superfluum. Jam si addere fortasse velles; *illa macula penitus jam inhæsit, insedit, ac à tot annis inveteravit*, id enim vero & superfluum, & insipidum esset, satis enim superioribus vocibus res expressa est. Si ad illam Periodum: *Etenim adhuc ita vestri cum illo Rege contenderunt Imperatores*, addere velis: *Cum fœdifrago illo immanique Rege* vel: *Vestri fortissimi Imperatores*, vel si addas: *reportarunt insignia victoriæ, gladios, tentoria, vexilla, captivos:* hæc perquam superflua, & inutilissima essent. Hoc & simili

modo

modo è Cicerone aliisque bonis Oratoribus, ostendendum est Adolescentibus, in quo verè consistat Periodorum numerus, & amplificatio, quam scilicet solis necessariis vocibus sint implendæ periodi, ut rotundæ, natu ales que sint.

Plinius quoque, [ne plurimos hic ponam] rotundarum ejusmodi Periodorum est præclarum exemplar. Totus exscribendus hoc loco esset; at aliquot saltim ex illo periodos extrahamus. Trajanum laudat, quod cum ante eum barbarus Imperator Domitianus sapientiæ Professores expulisset, ille docendæ Juventuti, plures Magistros sapientes, providerit. Nota quod voce: *principaliter* utitur in hac significatione: *ut principem decet*, Magistros scilicet constituendo, & illis alimenta præbendo. " Quid [*inquit*] vitam? quid mores, quam principaliter " formas? Quem honorem dicendi Magistris, " quam dignitatem Sapientiæ Doctoribus habes? Sub Te spiritum & sanguinem, & Patriam, receperunt studia, quæ priorum temporum immanitas exiliis puniebat, quum sibi vitiorum omnium conscius Princeps, inimicas vitijs artes, non odio magis, quam reverentia relegaret. At Tu easdem artes in complexu, oculis, auribus habes. Præstas enim quæcunque præcipiunt. Tantum eas diligis, quantum ab illis probaris. Adde his aliquid vel detrahe, amplifica hæc, vel diminue, puerilis censuræ notam non effugies.

Imitemur & nos si fieri potest hunc minimè affectatum, minimè coactum, sed naturalem periodorum ordinem: sint numerosæ, sed

sed superflui nihil. Vertimus è Patria lingva breve quidpiam, quo Orator ad juvandam periclitantem Patriam, præferendumque privatis commodis ejus bonum, ita paucis suos excitat Cives: „ Rempublicam in summo versari di„ scrimine, labi, ruere, interire, videmus. Cla„ dem tamen ejus ita fere spectamus, uti ma„ lus hæres, vetustam ruinosamque domum, & „ jam paulatim debiscentem spectare identidem „ solet. Tectum fatiscit, tigna casum minan„ tur, parietes lapsuri in partem vergunt, ille „ convivatur & ludit. Ruinæ metu, ne tabula„ tis repente obruatur, nonnunquam perrellitur, „ sed periculi nondum præsentis imago, spes„ que evadendi, reparandi ædificii curam dif„ ferunt. Cohortantur amici vicinique ad con„ servandum paternum illud avitumque domi„ cilium, sed alia alio mentem avocant. Audi„ mus & nos quidem sæpius, & fortasse idem „ dicere, nosmet ipsi audimur: eam nempe quã „ à Majoribus accepimus Imperij gloriam, tuen„ dam nobis, conservandamque esse. Ut enim „ pulcherrimum fuit illis, parentes eos condi„ toresque Reipublicæ ac Libertatis, quam no„ bis reliquerunt, fuisse, ita nobis turpissimum „ est auctores servitutis, nostris nos esse poste„ ris. Liberos nasci, servos socordia devenire, „ quid ignominiosiùs? quid fædiùs? quid vi„ liùs? Hæc identidem audimus, hæc & ipsi„ met nobis fari solemus. Res tamen in præci„ piti sunt, & deterior semper Reipubl: status. „ Patria, nobis spectantibus & fabulantibus, „ perit. At obsecro obtestorque vos Cives, de „ qui-

„ quibus hominibus hæc nos loquimur? In Si-
„ nisne, Indijs ultra Gangem, aut in medijs Af-
„ fricæ nemoribus ignavi isti jacent populi,
„ quibus res Patriæ parum adeo cordi sunt?
„ qui è liberis sponte mancipia fiunt? De no-
„ bis profecto, de nobis sermo est. Nos in jus
„ nosmetipsos coram orbe terrarum vocamus:
„ nos criminis proditæ derelictæque Patriæ re-
„ os, ore nostro nos accusamus ipsi. De nobis
„ conquerimur, nosmetipsos damnamus. Nos
„ inquam Reipubl: Sacri Magistratus, Senatores,
„ Cives, Patriæ oblivisciмur, Comitia, quæ
„ sola sunt vita & anima Reipubl: pessumda-
„ mus. Regnum inerme foris hosti vicinisque
„ objicimus, domi servitia è liberis devenire
„ non erubescimus, foris Imperij nomen, reve-
„ rentiam, gloriamque amittimus, domi justitiæ
„ administratione pessum eunte, quasi funda-
„ mento Reipubl: sublato, omnia labi sinimus,
„ & simul mala hæc Reipubl: plangimus. Peri-
„ clitanti, ac cum suo luctanti naufragio, ma-
„ nus nõ tendimus, de interitu illius dolemus. Id
„ enim vero, quod in præceps ruentibus & un-
„ dique confusis Civitatibus accidere solet, a-
„ pud nos jam diu accidit, omnes ut conque-
„ rantur de omnibus, cuncti gemant de cæte-
„ rorum vecordia, nemo quidem sua culpa ma-
„ li quidpiam Reipubl: evenire putet, seque so-
„ lum, se unum quivis flagitio liberet, in cæ-
„ teros omnes causam publicæ calamitatis de-
„ volvat. Sed quis demum unus iste est? San-
„ ctus, intaminatus, salutaris Patriæ, Civis? qui
„ commoda privata rationesque proprias, qui
„ ho-

„ honoris, præ æmulo, ambitum, opes, poten-
„ tiamque suam, qui otium denique suum, bo-
„ no Reipublicæ, libertati, Legum integritati,
„ Civium saluti non præferat? Natusne est?
„ an nascetur adhuc? Unum, unum illum quæ-
„ so, & Respublica salva erit. &c. „ Considerent
hic omnes Periodos Adolescentes, & si quid
superflui in illis advertent, deleant; addant ve-
rò, si quid ijs, ad melius cogitationem expri-
mendam, addendum videtur, donec periodos
numerosas, prout oportet, effecerint.

Jam finiendo rem de Periodis, id unum
ahhuc à bonis magistris Adolescentes continuo
moneri cuperem, ut loco, longarum immensa-
rumque Periodorum, quæ cogitationes intel-
lectu difficiles reddere solent, ea, quæ cogitant,
potius in plures omnino Periodos dispescere
satagant. Quo enim plures, rotundioresque Pe-
riodi, cogitationes dividunt, eo istæ magis pla-
næ, captuque faciles fiunt, Demus exemplum
vitiosæ longæque Periodi. Sensus fit: *In avari-
tiam, in iracundiam, in voluptatem, in mæstiti-
am imperium animi exercendum esse.* " Ut in ea
" omnia, à quibus superari animum turpe fue-
" rit, exercendum est imperium, ita imprimis,
" in cupiditatem lucri, quod tum exercebis,
" cum ea sola verum esse lucrum arbitraberis,
" per quæ famam & gloriam compararis, non
" per quæ opibus abundaveris; deinde in ira-
" cundiam, quâ in peccantes ita affectus esse
" debes, ac alios in temet ipsum delinquentem,
" affectos esse cuperes; tum in amorem volu-
" ptatis, turpe est enim servis imperare, volu-
„ pta-

" ptatibus autem servire, denique in mæstitiam, " cui facile medeberis, si in molestis rebus, alio- " rum infortunia spectando, te ipsum hominem " esse memineris.,, Quam hæc, longitudine Periodi unius, parenthesibus infarte, insipida, memoriæ captuique difficilia, & obscura sint, quivis videt. Has jam ipsas cogitationes in plures rotundasque cum Jsocrate dispescamus Periodos. " A quibus animum superari turpe fue- " rit, in hæc omnia imperium exercebit sapiens. " Turpe est, ab avaritia, iracundia, voluptate, " mæstitiaque sapientem vinci. Cupiditatem " lucri vinces, si verum lucrum non nummos " esse arbitreris, nec tuum bonum maximum in " divitiis & opibus colloces, sed in virtute ac " his in rebus, quibus Tibi famam possis com- " parare, & gloriam. Hujus esto avarus & non " eris admodum pæcuniæ cupidus. Jracundi- " am domabis, si in peccantes pariter esse affe- " ctus studueris, ac alios in te ipsum delinquen- " tem affectos, indulgentesque esse cuperes. " Voluptatum cupidini moderabere, si turpe id " esse duxeris: servis quidem ac belluis homi- " nem imperare, voluptatibus autem cum bru- " tis servire. Mæstitiæ doloriquæ animi modum " pones, si in rebus molestis, & aliorum infor- " tunia spectes, & te ipsum hominem remini- " scaris, nihilque supra humanam sortem te es- " se memineris.,, Quam hæc longè clariora sunt, utpote per plures discreta periodos. Sed hac de re adhuc nobis locus erit dicendi, ubi de claritate styli tractaturi sumus.

Quoniam vero, incipientibus præsertim, im

implere bene periodos difficilè est, adjungamus hoc loco aliquot *Amplificationis in verbo* modos, qui Tyronibus Eloquentiæ non inutiles esse solent.

§. III.

De Amplificatione.

8. *Quid est Amplificatio verborum.*

Est modus, verbis necessariis, utilibus, vel ad ornatum prudenter delectis, membra Periodorum implendi.

Vg: *Cupio ut me laudes.* Cicero idipsum ad Luceium ita exposuit: *Ardeo cupiditate incredibili, neque ut ego arbitror reprehendenda, nomen ut nostrum scriptis illustretur, & celebretur tuis.* Pro *cupio*; *Cupiditate ardeo* voces sunt utiliores ad desideriũ magis exprimẽdum, & ornant. *Incredibili:* utile epithetũ ad hũc finẽ, ut desiderium magis exprimat, & Orationem ornet. *Neque ut arbitror reprehendendã:* Voces necessariæ, nam alias, cupiditas laudis, vana dici potest, & reprehendi, sed si ea quis utitur, tanquam excitamento virtutis, reprehendi non debet. *Scriptis tuis uti nostrum nomen:* necessariæ voces. *Illustretur & celebretur:* hæc amplificatio per Synonyma, & utilis est, & ornat. Considera nunc collocationem vocum: *scriptis ut illustretur & celebretur Tuis:* Si dixisset: *ut nomen nostrum celebretur & illustretur scriptis tuis.* dixisset insipidè.

Com-

Comprehendant igitur bene Adolescentes, quam non frustra in Definitione posita sint hæc tria: *necessariis, utilibus & ad ornatum prudenter delectis verbis*. Debent enim esse in Amplificatione quavis, voces duntaxat; *vel necessariæ*: sine quibus id, quod dicis explicare non possis; *vel utiles*: quæ melius, quam aliæ voces, cogitationem tuam exprimant; *vel prudenter ad ornatum adhibitæ*, id est, voces, quæ præter necessitatem, & utilitatem, ad solum ornamentum Orationis conferunt; additur: *prudenter* delectæ voces, magna enim prudentia opus est, in deligendis vocibus, ne puerilis & vana sit Amplificatio. Cicero *vg*: inquit: *Maximus in Republ: nodus est, inopia rei pecuniariæ. Obdurescunt enim magis quotidie boni Viri ad vocem Tributi. Impendent autem infiniti sumptus in exercitus, à quibus defendimur*, examinentur voces istæ: *Maximus in Republ: nodus est:* sunt omnes, necessariæ, & *nodus*: vox prudenter delecta, posita est enim pro: *difficultate. Inopia rei pecuniariæ:* dixisset brevius, *inopia pecuniæ*, sed utilius ad rem, de qua agebatur, exprimendam posuit *inopia rei pecuniariæ. Obdurescunt enim magis quotidie boni Viri, ad vocem Tributi.* Omnes hæ voces ad exprimendam talem cogitationem, si examines, necessariæ sunt. *Impendent autem infiniti sumptus in exercitus, à quibus defendimur.* Voces omnes hæ necessariæ sunt, epithetum istud: *infiniti*, & utile est, & ornat.

Idem Cicero inquit: *Me commemoratio posteritatis, ad spem quandam immortalitatis rapit.*

Cuperem res nostras monumentis commendari tuis. Omnes voces necessariæ. Istud: *spem quandam*, ornatus gratiâ positum est. Jam inutiliter, pueriliterque amplificares, si idem ita diceres. " Me sollicita, & continua venturæ " posteritatis, ac futurorum post nos hominum " & sæculorum innumerabilium commemora- " tio, ad jucundissimam certamque spem non " desituræ immortalitatis vehementer vique " maxima rapit. Tota animi voluntate cuperem, " summoque desiderio flagrarem, admirabilibus " divinisque tuis me commendari monumen- " tis. Patet, quam ridicula hæc amplificatio esset, priori comparata.

Brutus Ciceroni vult dicere: *Filius tuus mihi multis probatur, cogitat semper esse se tuum filium*; id ita eloquitur: " Filius Tuus mi- " hi se probat industria, patientia, labore, ani- " mi magnitudine, omni denique officio; ut " prorsus nunquam videatur dimittere cogitati- " onem, cujus sit filius. Ista enumeratio virtutum, quibus filius Ciceronis sese probat, est perutiliter facta, magisque permovet ad ejus æstimationem. Pro: *cogitat semper*, positum *nunquam videtur dimittere cogitationem*, est circumlocutio, quæ eggregiè exornat. Si addas: *cogitationem perpetuam, sollicitam, anxiam:* si addas, *cujus, quamque clarissimi, præstantissimique Parentis sit filius*: pueriliter amplificabis.

Nemo me quæso longiorem, aut *theutologia* peccare, in hac materia arguat; scio enim bene, quam res hæc difficilis Adolescentibus sit, justam amplificationem, aut: in quo deficiat

ficiat, in quo nimia, vel inutilis sit, probè intelligere. Exemplis vero quam pluribus potius, quam præceptis, id ipsis commodius feliciusque ostenditur. Proinde nihil delinquet Magister eorum, si permultis adhuc exemplis, rem hanc ipsis explicare conetur. Considerent quocirca adhuc in sequentibus exemplis quid sit vera Amplificatio: *Nihil tam laudabile est; quam de Patria benemereri.* Jtem: *Putresne illum, qui suam rem prodegerit, ad administrandam Rempublicam idoneum fore?* Jtem: *Errant turpiter, qui potentiæ gloriam è contemptu legum ac eversione Reipubl: quærunt. Vera gloria in optimè de Patria, Civibusque merendo, sita est. Aliam boni Viri, aliam magni animi ignorant. Aliam & tu potentiæ, famam.cum viris sapientibus & rideto & constanter despicito.* Jtem: Cicero de Stoicis Philosophis ait: *Apud Stoicos nihil affirmatur, & in utramque partem multa disseruntur, de omnibus quæritur, nihil certi dicitur.* Jtem, Jsocratis Interpres. *Diligentius tuere verborum deposita. quam pecuniarum. Viros enim probos oportet palam facere, quod illos magis mores, quam jus jurandum, fide dignos præstent.* Jtem ejusdem. *Bonis benefacito. Gratia enim à probo viro debita. est pulcher thesaurus.* Jtem Cicero: *Atque ille quidem Princeps ingenij & Doctrinæ Plato, tum denique fore beatas Respublicas putavit, si aut docti, aut sapientes homines eas regere cœpissent.aut illi, qui regerent. omne studium suum in doctrina & sapientia collocassent.* Jtem, idem. *Illud te non arbitror fugere, quid homines*

mines in dissensione civili agere debeant: quamdiu à Civibus sine armis certatur, honestiorem sequi partem: ubi ad bellum & ad castra ventum sit. firmiorem: & id melius statuere, quod tutius sit. &c. In his similibusque exemplis,ubi nihil deest, nihil est superflui,vident Adolescentes veram justæ amplificationis naturam.

Dicendum tamen paucis est, ad juvandos Incipientes.

9. *Qui sunt modi amplificationis in verbo?*

1mo. *Addere, ubi opus vel utile est, epitheta.*

Vg: *Quodsi* [inquit Cornelius Nepos de Attico] *Gubernator præcipua laude fertur, qui navem ex hyeme marique scopuloso servet, cur non singularis ejus existimetur prudentia, qui ex tot, tamque gravibus procellis civilibus, ad incolumitatem pervenerit.* Epitheta hæc: *præcipua, scopuloso, singularis, tot tamque gravibus:* & necessaria sunt, & pulcherrimè augent ac ornant.

2do. *Addere ubi expedit adverbia temporis, modi, &c.*

Vg: *Amplissimè & honorificentissimè* nuper omnes de tuis rebus sunt in Senatu locuti. Vel ornatus gratiâ: *incredibiliter* est lætatus, *vehementer* obstupuit, *modestissimè* tale dedit responsum, *fortiter feliciterque* rem magnam aggressus *&c.*

3tio. *Circumlocutione uti, seu verbum*

bum in nomen mutare, cum alio verbo competente.

Vg: *Pro*: magnopere lætor: *maxima sum effectus lætitia. Pro:* nunquam te satis laudavero: *Nullis satis laudibus nomen virtutemque tuam celebrare potero. Pro*: scripsit: *Scripto rem mandavit. Pro:* dicere permisit: *Dicendi potestatem fecit. Pro:* Miseros non affligere: *Miserorum fortunam non insectari*, &c.

4to. *Adjectivum in substantivum mutare, cum congruo verbo:*

Ut patet in his: Prudens est; *prudentia pollet*, Sapiens est, *sapientia præcellit.* Tranquillo animo, *mira tranquilitate animi, peregit officium.* Vir fortissimus, *summa animi fortitudine præditus.* Bellum infaustum, *Bellum malis auspiciis cœptum. &c.*

5to. *Uti ablativis, vel aliis casibus, modi, temporis, causæ, quibus plurimum augetur Oratio.*

Vg: *Insigni continentia* muneribus abstinuit. De Republ: *die noctuque* meditatus. Optimum Virum *summa indignitate & furore* afflixit. *Gravissima Oratione* svasit. *Incredibili humanitate* adventantem excepit. *Summa annonæ penuria* magna pars exercitus fame periit. *Ambitione & superbia intolerabili*, Cives omnes â se alienavit. &c.

6to. *Synonyma, vel voces similes idem-*

idemque fere significantes, nonnunquam amplificando prosunt

Vg: *Ingenti gaudio & lætitia* Urbs tota gestit. Rempublicam *pessumdedit, evertit, prostravit. Illustrari celebrarique* nomen meum a te cupio, Vir *affabilitate & comitate* singulari. Homo *pacatissimus, tranquillus, quietissimus, sanctè, justè, religiosè* Templum *instauravit & refecit. &c.*

7mo. *Enumeratio specierum sub quovis genere contentarum mirè amplificat.*

Vg: Virtute *omni*, [est genus] *prudentia, magnitudine animi, justitia, sapientia, continētia, industria, labore, diligentia, modestia incredibili. præditus*: Multis *malis corporis, affectus:* [mala corporis, genericū est] *difformitate vultūs, vocis raucedine, oculis auribusq; hebetibus, gibbo enormi, pede distorto.* Quis hujus *flagitia, impietatem, ebrietates, libidines, rapinas, peculatū, perjuria, fraudes, veneficia, furores, cædes &c.* Superatis plurimis *periculis, insidiis, proscriptionibus, invidia, malorum vi, judicum iniquitate, tyrranide, bonorum amissione. &c.* Jta semper genericum nomen per species commodè amplificatur.

8vo. *Distributio totius in partes.*

Vg: Templum, *aras, statuas, sacella, imagines, igni consumpsit.* Specta *pulchritudinem arboris, ramorum, foliorum, fructuum.* Cælum *Syderibus, sole, luna, vastissimis pulcherrimisque planetis, stellis innumeris, æthere cæruleo*

aspectabile. Regnum *universum, Provincias, Civitates, oppida, Pagos, illa lues invasit.* Gazæ *sacræ, auro, argento, gemmis, vasis pretiosissimis, sacrorum instrumentis & ornamentis expilatæ. &c.*

9no. *Brevis similitudo amplificat & ornat.*

Vg: Sententia *Judicis quasi fulmine, ictus.* Flagitia *omnia, ut flumina sublatis repagulis, Civitatem inundarunt.* Capita *hominum, papaverum instar illi fuerunt.* Adulatorum *tanquam Syrænum voces, & ut dulce venenum vitabis.* Asperis, *quod medici faciunt, extrema curanda sunt modis.* Talparum *more, vel in maxima veritatis luce, nihil vident.* Absque prudentia, *ut absque face in tenebris, hominem errrare oportet.*

10mo. *Brevis item comparatio auget, & ornat.*

Vg: Astutia *Ulyssem, prudentia Telemacum, aut æquat, aut superat.* Sanguinis *avidior Sylla, Mario. & utrisque Triumviris.* Pertingunt *ad nos lucis radii sagitta & fulmine ociores.* Sævus: *pardis, ursisque immanior.* Præceptis *militaribus nec Polybio secundus.* Ingenio *præstat, quo vel Plato non divinior.* Cupiditate *gloriæ, ut Cæsar, etiam Patriam eversurus.*

11mo. *Definitio una pluresve eleganter amplificant.*

Vg: Marcus *Antonius pestis illa, clades: que Reipublicæ, assentator Tyrannidis.* Time *tuam*

tuam imprimis conscientiam testem judicemque incorruptum. Romæ, *in illo literarum Scientiarumque domicilio.* Equestris Ordo *fortissimum Reipubl: ac libertatis propugnaculum.* Prudentia *sol & lux cæterarum virtutum.* Mendacium *vilis animi nota.* Superbia *commune nobilitatis vitium.* Pacis, *quæ omnium artium mater & altrix est, studiosissimus.* Urbanitas, *quæ præcipuum societatis humanæ ornamentum & vinculum est, à teneris majorem in modum inculcanda.*

12mo. *Pluribus aliis, qui usu ac lectione discuntur, amplificandi verba, modis, adjungitur ultimus ille trito contentus versiculo.*

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Ex quibus, ea quæ effluũt, nec omnia in unũ membrum congerere oportet, sed quæ ad rem faciunt, nec ordine versiculi ponenda sunt, sed prout occurrunt. Sit cogitatio: *Cicero à Marco Antonio interfectus:* id per prædicti versus particulas, ita amplifico. "*Quis?* Conservator " ille, & Pater Patriæ, *cur?* jussu Marci Antonii " flagitiosissimi mortalium, in quem tanquam " hostem Reipubl: Cicero Urbem Italiamque " armaverat, proditione Augusti Octavii Cæsa- " ris, quem ad summum fere potentiæ in Re- " publica fastigium, Cicero ipse evexerat, pro- " scriptione impia Triumvirorum, decimo ab " inito Triumviratu die, quod hunc solum li- " bertatis publicæ assertorem timerent, *Quibus auxi-*

auxilijs? Popilii Lenatis hominum omnium per-
" ditissimi, & ingratissimi, sceleratâ manû, quem
" Cicero in periculo capitis olim defenderat,
" *Quomodo?* è propria lectica quâ vitam servatu-
" rus *Ubi*: ad littus maris clanculum condensa
" sylva ferebatur, capite ad lictores exporrecto,
" abscissoque, *Quomodo*: ac incredibili magnitu-
" dine animi, vulnere lethali accepto *Quan-*
" *do*: annô emeritæ ætatis tertio supra sexage-
" simum *Quid* miserè trucidatur. „ Aliud Exemplum, ex cogitatione: " *Ego prima vice ad*
" *Rempubl: accedo:* Id ita *Amplifico*. *Quis?*
" Adolescens, quem *ubi?* in amplissimo Con-
" siliorum vestrorum loco nunc primum specta-
" tis, *quibus auxiliis?* solis duntaxat adhuc me-
" ritis, quæ mihi Majores mei in hac illustri
" Provincia ac Republ: reliquerunt, nixus, *cur?*
" ut sapientiâ exemplisque vestris ad Patriam
" olim vobiscum pro parte mea virili juvandam,
" me parem maturiusque instituam, *Quomodo?*
" auspicio divinô, vestræque erga me Parentes-
" que ac Patruos meos benevolentiæ *Quid?*
" cũ ad Remp: accedo, à maxima Vobis singu-
" lis à me exhibenda veneratione & obsequio,
" sumo initium. *&c.*

Ad hos Amplificandi Periodum *in verbo* modos, alii, [quos experientia docebit, quique in lectione Oratorum recurrent] facile reducẽtur; his interim, dum se in Amplificatione exercebunt, uti incipientes conentur, donec amplificare quantum opus est, in naturam illis transeat.

§. IV.

§. IV.

De Tropis.

10. *Quid est Tropus?*

Tropus, Græce significans verto, est vocis à propria significatione, in aliam cum virtute translatio.

Vg: *Quantum animo vulnus accepi. Plinius.* A carnis vulnere, ad animum facta est translatio.

11. *Qui sunt Tropi?*

Metaphora, Allegoria, Methonymia, Synecdoche, Antonomasia.

12. *Quid est Metaphora?*

Est Tropus, quo vox aliqua, ob similitudinem, à propria significatione ad alienam transfertur.

Vg: Dicimus: *incenditur* ira, ob similitudinem incensi igne ligni. *Item* dicimus: *Flumen* Eloquentiæ, *Lux* Sapientiæ *&c.* ob similitudinem cum flumine, cum luce. Hic tropus continuus fere est, & plurimum, prudenter adhibitus, ornat.

Metaphora, vel fit transferendo vocem à rebus animatis ad animata; ut: Leo, *Rex* animalium, obtrectator *allatrat &c.* Vel ab inanimatis ad inanimata, ut: flammæ *pluunt*, *cristalina* glacies. Vel ab animatis ad inanimata, ut: an-

nus

nus *senescens* pro hyeme. Vel ab inanimatis ad animata: ut juventus *floret*.

Abusus Metaphoræ vitandus est quam maximè, ut: *Gygas* ingeniorum. *Pingere* campos sanguine, pro spargere sanguinem. *Acutum* montis *supercilium*, pro cacumine. Hæc ne in Pòési quidem juvenili, tolerari possunt, multò magis in Oratione.

13. *Quid est Allegoria?*

Est Metaphora continuata; quâ aliud verbis dicitur, aliud significatur.

Vg: *Virgultũ facile inclinaveris: arborẽ fregeris citius, quam, si velles, inflexeris.* Significat: *Puerum in tenera ætate facile flecti posse, non item Virum.*

Allegoria, quia satius videtur esse Figura quam Tropus, ideoque, eo loci, ubi res erit de Figuris repetetur.

14. *Quid est Metonymia?*

Est Tropus quo unum ex alio intelligitur.

Ut *Martem spirat*, pro *bellum spirat*. Fit quatuor modis. 1*mo*. Cum causa, vel quasi causa, ponitur pro effectu, ut: *Ceres* pro pane, *Bacchus* pro *vino*, *Venus* pro *luxuria*, *&c.* Quo reducitur, Auctor pro opere, Possessor pro re possessa, Dux pro exercitu, ut: *recitavit Propertium:* id est, ejus versus; *cecidit Priamus*, idest: Troja; *Palladi & Musis* vacat. &c. 2*do*. Cum effectus sumitur pro causa: ut *cicatrix* pro vulne-

vulnere. *Quid Græcæ, præ Romanis Philippicis? quid Ilias, præ Æneide?* id est, quid Demosthenes præ Cicerone, quid Homerus præ Virgilio? *Cœli te velint fortunatum*, id est, auctor Cœlorum. 3*tio*. Cum continens pro contento: ut: *fontem ferre* pro aqua. *Roma Sancta. Athenæ doctæ. Pocula, calices, patinæ, parasitorum voluptas. Marsupiis & scriniis dives.* 4*to*. Cum signum pro re signata: ut *sceptrum, diademma, tyara, secures, sigillum. &c.* Pro his rebus, quas signant.

15. *Quid est Synecdoche?*

Est Tropus quo unum ponitur pro alio.

Fit 1*mo*. Cum ponitur pars pro toto: Vg: *Barbarorum vim nedum Italia, sed et, Capitolium persensit.* Ubi Capitolium pars Romæ ponitur pro Roma. Jta sæpissimè in Pòétis flumina, montes, loca celebria, ponuntur pro Regionibus integris. Vg: *Vidi Padum, Tyberim*: id est Jtaliam. Sic potest sumi apud Poetas *Ænus* pro Thracia, *Pyrænei* pro Hispania, *&c.* 2*do*. Cum totum ponitur pro parte, ut: *sylvam* vehere, *Europam* incendere, *Danubium* bibere. 3*tio*. Cum materia ex qua res est aliqua, sumitur pro re ipsa; ut: *ferro* vastare; *saxa, metalla & ligna*, colere, pro Idolis; *Leone, lupo tygride vestiri*, pro pellibus. 4*to* Cum species accipitur pro genere. Ut *auster, notus, &c.* pro vento; *Aper marsus* pro quovis apro; *Rombus Adriaticus*, pro quovis pisce. *Ostræa, boleti*, pro quibusvis cupediis. 5*to*. Cum Genus ponitur pro specie. Ut:

Ut: *fera* pro Leone, *Ales* pro aquila, *Pecus bidens*, pro Elephante. *6to.* Cum unum pro pluribus. Ut *Miles* Provincias prædatus; *Hispanus* gravis; *Allobrox* infidelis; *Græcus* vafer. *7mo.* Cum plura pro uno. Ut, ubi *Camilli, Decii* &c. *Urbs plena Catiliniis, Cœtegis, Clodiis. &c.*

16. *Quid est Antonomasia?*

Est Tropus quo aliquid pro nomine, vel persona ponitur.

Fit Tropus iste, *1mo* cum aliquis accipitur [per comparationem] pro Persona, in Historiis vel fabulis nota: ut *Cræsus* pro divite, *Apelles* pro pictore. *Fabricius* pro contemptore opum; pro ambitioso Phàéton, pro temerario *Icarus, Typhis* pro nauta&c. *2do.* Cũ appellativum sumitur pro proprio: ut *Consul Orator*, pro Tullio, *Poeta* pro Homero. *Imperator Atheniensis*, pro Themistocle, *Pictor* pro Apelle, &c. *3tio.* Cum dictum pro dicente ponitur, vel factum pro persona, ut: Ille qui dixit: *non foleo furari victorias*, pro Alexandro. *Is qui urbem à se incensam cum voluptate spectavit*, pro Nerone. *4to.* Cum Patria pro homine ipso: ut *Phrygius senex* pro Æsopo. *Aquinas* pro Juvenali. *Venusinus* pro Horatio. &c. *5ta.* Cum Definitio quæcunque, pro re definita; ut: *Artium & literarum æternum illud domicilium*, pro Roma. *Primus Reipublicæ eversor*, pro Cæsare. *Scientia longum, latum, profundumque metiens*, pro Mathesi.

Hi Tropi omnes adeo frequentes, utiles, &

& necessarii sunt, ut sine illis nec ulla Oratio, nec carmen, nec ferè Epistola esse possit; imo vix & familiaris sermo. Majore tamen in versu quam in soluta Oratione libertate adhibentur, An vero, qui sit Tropus: Metaphorane? *Vg:* an Synecdoche? an Metonymia? *&c.* omnino divinent juvenes, parum refert, dum generaliter Tropi naturam intelligant, quæ in translatione unius significationis, in aliam, consistit.

Sunt & alii Tropi, ut Metalepsis, & Catachresis. *Metalepsis* est translatio à longe petita. *Vg: Quinto aries stupet*, ubi aries accipitur pro vere, ver, pro anno, annus pro hominibus, ut significet: homines quintum jam annum mirantur bellum protrahi. *Sexagena Solstitia vidit*, intelligitur senex sexagenarius. *Hæc venient olim, sed eris tum spicave, flosve, pascendis aut gramen equis* id est: post longũ tempus, cũ tu, mortuus, eris in cineres redactus. *Catachresis*, est abusio libera Tropi, ut: *venter memoriæ, auriga navis, virgulta capitis, &c.* Sed hi Tropi minoris habentur.

Ironiam & *Hyperbolen* ad Figuras à Tropis relegamus.

Usus prudens Troporum satis commendari non potest, sed Tropi Oratori naturales esse debent, nam Pòétis plus hic licet. Solutè diceres: *Non feram vera laude frustrari, ac oblivione memoriam rerum tuarum deleri.* Pòéta ad Lollium ita: *Non ego te meis chartis inornatum sileri, totque tuos patiar labores, impune, Lolli, carpere lividam oblivionem.* Solutè diceres: *In omni longè latèque orbis terrarum loco:* Pòéta: *Omnibus in terris, quæ sunt à Gadibus usque Auroram.* Sed hæc admonitio adhuc suo loco redibit.

Mo-

Monendi sunt adhuc Adolescentes, ne nimis Tropos quæritent: ipsimet influant necesse est; longè omnino plura dicenda sunt sine Tropis, dicunturque vel ab ipsis elegantissimis Scriptoribus, & Oratoribus.

Observent id in sequenti Oratione, naturalesque in illa paucissimos tropos detegant, Legatus Provinciæ ad Comitia, confusionem tumultusq; ac turbam, in Curia Comitiorum, insectatur:

"Hæc in Comitiis nostris, Quirites, perturbata
" agendi ratio, circulumq; Provinciarũ Legatis
" definitũ, liberè cuivis ingrediendi, in eoq; pro-
" miscuè sedẽdi potestas, si forte nobis esse mino-
"ris videtur momẽti; meminerimus: quod assve-
" tudine gravis etiam mali, sensus illius paula-
" tim minui, imo & amitti denique solet. At
" consideretur quæso penitius sanctitas Maje-
" stasque loci hujus, in quo Leges condimus,
" hocque Sacrarium in quo de salute Reipubl:
" consulimus, & intelligetur procul dubio, quam
" hæc permixtio, confusio Personarum, & tumul-
" tus, locum istum minimè deceant. De qua re
" parũ est, si illis conquerar verbis, quibus Consul
" Romanus, omnia suo tempore in modo con-
" sultandi confusa agi, incusabat. Excessimus,
" ajebat ille, licentiam concionum, non tempus
" loquendi, non tacendi modestia, non deniq;
" sedendi dignitas custoditur; magni undique
" dissonique clamores, procurrunt omnes; mul-
"ta agmina, in medio, multique circuli, ac inde-
" cora confusio, adeo descivimus à consuetudi-
"ne Majorum, apud quos omnia disposita, mode-
" rata, tranquilla, Majestatem loci pudoremque
" præseferebant. Quæ quidem omnia, quamvis
" verè

" verè de Comitiis nostris [ut ut ingrata visu audi-
" tuq;] dici possunt, tamen nondum satis tristem
" Consiliorum nostrorum depingunt imagi-
" nem. Nam Legatis apud nos ferè lo-
" cus jam non est in propria eorum Curia; Spe-
" ctatores & adventitii locos illis sacros occu-
" pant. In medio, quod, ut commodè Legati
" se se omnes conspiciant, dicentes audiant vi-
" deantque, vacuum esse oportet, turba & pro-
" cella hominum ingens, densum humeris vul-
" gus, quod corporibus, capitibus, murmure, &
" intueri inter se consulentes, & audire non si-
" nat. Turbinem quendam vorticemque, vento,
" ut solet in planis, sublatum crederes. Præses
" Comitiorum quotidie horis ferè integris cum
" hac importunissima in medio turba, quasi cum
" hoste luctatur, repellit, repellitur, submovet,
" submovetur, plusq; vocis, plus virium, plus tẽ-
" poris in petendo, locum ut Legatis relinquant,
" ut recedant, ut Legatos detegant, quam in di-
" cendo de Republ: audiendoque, amittit. Quos
" è medio vi ac scipione exegit, aut compressit,
" idem vel alij, ut fluctus globique aquarum, i-
" terum iterumque ac continuo refluunt. Ita
" ubi vacandum est dandis recipiendisque sen-
" tentiis, certaminibus perpetuis cum globo im-
" portunorum vacatur: tempus interim saluti
" publicæ sacrum miserè effluit, & frustra con-
" sumitur. Si forte Legati, ut accidit, suis assur-
" gant locis, eos amplius vacuos non reperiunt,
" miscentur cum agmine ad consilia minimè vo-
" catorum, & antequam iterum assidere utcun-
" que possint, horæ elabuntur. Tertia pars aut
" medietas temporis ad consilia destinati, com-
" po-

" ponendis tumultibus ac confusioni sedandæ
" quotidie cedit. Ordo nullus, tempestas assi-
" dua. An vero non videtis Quirites, qua ja-
" ctura pretiosissimi omnino temporis, qua pro-
" fanatione religiosissimi nostri Consiliorum
" templi, quo damno Reipublicæ, qua fama Co-
" mitiorum Polonorum, apud exteros talia spe-
" ctantes, hæc fiant?

" Sed fortasse hunc malum usum diffi-
" ciliorem esse censetis quam ut facile mutari
" emendarique possit? At hercle, hac e-
" mendatione facilius omnino planiusque,
" si velitis, nihil est. Nimirum in hoc ingenti
" conclavi, separati sint aditus, unus in medi-
" um, alii ad superiora pro arbitris scamna: ad
" quæ à tergo duntaxat aditus pateant ad me-
" diũ vero, ubi Legati consident, hic, qui est re-
" linquatur, introitus. Lex deinde statuatur, aut
" potius Præses Comitiorum auctoritate eorun-
" dem sanciat & declaret: nemini prorsus præ-
" ter Provinciarum Legatos, in medium intra-
" re fas esse; locus hic ijs solis sacer, & sacro-
" sanctus sit, nec transire quidem ad superi-
" ora scamna, hoc aditu Legatis servato, ulli
" unquam liceat. Hac ratione fieri poterit inde-
" coræ hujus ac detestabilis cõfusionis correctio.
" Præsidum verò Comitiorum intererit, sin-
" gulis Comitiorum initiis, legem seu de-
" clarationem innovare. Cum autem sancie-
" tur, nulli id fas esse: cujuscunque conditionis,
" Officii in Republica, gradus & fastigij intel-
" ligentur homines. Nam si Principi, si Duci,

" si

" si summo quovis, Magistratu aut Officio in
" Regno fungenti, at non Legato ad Comitia,
" ut liberè concedetur, idem omnibus per-
" mittetur, nec inhiberi, quod uni licebit, ulli
" poterit. Æqualitas aliter Civium manifestè
" læderetur. In hac enim legum Officina di-
" stinctio discrimenq; aliud personarum nescitur,
" nisi quod est inter Legatos & Arbitros. Arbitri
" cujuscunque dignitatis sint, arbitri sunt non
" Legati. Æqualitas Arbitrorum cum Nunciis
" ubique alibi salva esto, uti cum Civibus, at
" non uti cum Legatis in Curia. Legati in au-
" la Comitiorum non sedent ut Cives, sed ut Le-
" gati sedent. Proinde ejusdem, cujus jam
" mentionem feci, gravissimi Consulis in qua-
" vis bene Ordinata Republica admonitio hic
" valeat: discrimina ordinum, dignitatemque cu-
" stodi, qui si confusi, permixti, turbatique sint,
" nihil est in ipsa æqualitate inæqualius. Sed
" quid ego hæc pluribus? Quid enim Gente
" nostra docilius & ad cedendum rationi prom-
" ptius ac alacrius? Probate id, quæso, vel
" hac in re, Quirites, docilitatis huius vestro-
" rum Civium periculum facite, procul dubio
" obedient. Plantæ sunt teneræ, quas justa
" imperia Legumque nutus, quo volent, in-
" flectent. &c.

Jam quanto plus in Carmine Tropis indulgere liceat è sequenti Ode Lyrica Adolescentibus patebit, scripta Anno 1761. occasione belli Prussici.

AD

AD

ADAMUM STANISLAUM GRABOWSKI,

Principem Episcopum Varmiensem.

Mala belli Prussici esse iræ Cælestis effectus.

O! qui labores tutus inutiles,
Æstusque Ponti è littore contuens,
Casus, volubilisque tecum
Ipse vices meditare fati:
Qui, nunc Britanno, nunc Domino maris (1)
Parere Gallo, (2) *cærula conspicis:*
Libensque binarum recenses
Parta (3) *Semiramidum Trophæa.*
Non sectus (4) *æquè, quos tremit & colit*
Orbis, thronos tres, Regnaque maxima
Metire, sabuloque (5) *campos*
Et Patriis steriles arenis:

Emer-

(1) Nunc mari victorem Gallum, nunc Britannum conspicis (2) Cærula Poëtis, idem quod maria: quæ cærulei sunt coloris. (3) Binæ Semiramides, duæ Imperatrices Romana & Russiæ. Semiramis Assyriorum Regina, fœminarum celeberrima. (4) Quos Orbis non æqualiter inter Principes sectus ac divisus, colit, Thronos tres, & Regna maxima metiaris ex una parte: notum est, tria magna Imperia arma junxisse contra Regnum Borussiæ, Austriacum, Gallicum, & Russicum. (5) Alia ex parte metiaris Marchiam Brandeburgicam totam fa-

Emersit illis & caput extulit,
Unita quem vis fœdere triplici
Non terret, Alcides (6) *protervus*
Geryonem nihil ut minacem
Expavit: etsi mole tricorporem
Qui solus, instar centimani (7) *Gigis*
Se dividit partes in omnes:
Undique (8) *lynx & acutus Argus;*
Nunc ense prudens aggreditur pari,
Cauto retrorsum nunc resilit pede:
Et perdit & refert amissas.
Ancipiti sibi marte palmas.
Quot fœderatis, quàmque potentibus
Pugnatur armis? illum aries (9) *stupet*
Jam quintus, ut bello recentem
Cingi Equitum Peditumque nymbo?
Quorumve Regum? quotque superbiæ (10)
Insultat? ipsa cæde ferocior:
Unus novo sceptro (11) *manuque*
Imperiis tribus hostis impar?
Quin ille dena clade animosior,
Majore semper castra quatit metu,

A a *Vi-*

bulosam, quæ veteribus Scriptoribus vocatur Arenaria S. R. Imperij, *sablonière, du St. Empire* (6) Hercules ita dictus ab Avo Alceo, Geryonem Regem Hispaniæ quem fabulæ tricorporem memorant, agressus (7) Gigas Briareus centum manuum (8) Lynx visu animalium acutissimus (9) Ver quintum, cujus signum aries. (10) Superbiæ: potentiæ; Virg: *Late Regem belloque superbum,* id est potentem; Horat: *Quæsitam meritis sume superbiam:* id est, famam & gloriam. (11) Regum Europæ Rex

Victusque victori timetur.
Ut metuenda cruore viso
Pyrrhi Pelidæ (12) *terribilis bidens:*
Aut qualis, (13) *ictus cuspide, plus adhuc*
Ferocit, ac immane rugit
Rex nemorum, nemorisque terror;
(Et ni ruentis sisteret impetum
Cunctator (14) *unus non superabilis)*
Daturus horrendas per arva
Proxima perque remota, cædes.
Ter (15) *qui & ministram fulminis alitem*
Expertus ungueisque implacidos, nova,
Nec ante vulgatas per artes
Bella, novos meditatur ictus.
Aut ille tandem vincet & ultimus (16)
Ridebit, (ut quæ sera dies vehit,
Latent in incertis;) aut si
Dis placet (& moritura vates (17)
Cassandra, si quod præcinuit malum
Omen Borussis) occidet, occidet.
Sed strage qua texit, tegetque
Innumeros prius ille campos.

O!

Borussiæ penultimus. (12) Pyrrhus Rex Epiri ex Peleo & Jove genus ducens, contra Romanos armavit Elephantes; Elephas est duorum dentium, viso colore rubro, vel sanguine, exasperatur. (13) Leo. (14) Daunius invictus Imperator Austriacus. (15) Tribus insignibus victoriis Russorum fractus. Imperii Russici insigne Aquila biceps (16) Proverbium Gallicum: *Celui rira bien, qui rira le dernier.* (17) Cassandra Priami filia vates Trojana, quo nomine hic appellatur Mater Regis Borussiæ, quæ

O! mallet enses jungere (18) *Noricos*
Et Roxolanos (19) *ille suis, truces*
In Thracas, attritisque Lunæ
Cornibus; (20) *Odrisiæ,* (21) *Eois*
Regnis, & (22) *Urbi demere compedes:*
Quam Christiana pube, mapalia,
Patresque grandævos, & olim
Jam (23) *steriles, spoliare Matres!*
Non ergo cæli vindicis esse rem
Putes? aut nostri in generis necem
Non sæva connivere fata?
Quot jugulis eget expiari,
Quo victimarum sanguine prolui
Impurus orbis? Credo, (24) *Diespiter*
Offensus iratusque dum igni
Nubila divideret corusco,
Certos aquarum rumperet alveos,
Montes abyssis, & pelagus solo
Misceret, illinc inquinatos
(25) *Turpe thoros, simul inde spretas*
Ulturus aras, & Themydis (26) *fugam;*
Hanc ille belli perpetui facem

ante obitum, vulgo narratur male ominata fuisse de exitu Belli præsentis, omen tamen vel nullum, vel falsum fuisse belli eventus ostendit. (18) Austriacos. (19) Russos. (20) Odrysiæ, Thraciæ, Turciæ, idem est. (21.) Orientalibus: Eos, aurora, (22) Bizantio, Novæ Romæ seu Constantinopoli. (23.) Effætas, senes, & jam pridem pariendo non idoneas. (24) Diespiter, Jupiter, diei, vel Deorum Pater, cum fulmina jaceret. (25) Irreligionem, luxuriam, & injustitiam ulturus Jupiter. (26) Nota Themydis seu Astræa è ter-

Incendit, in caput Nepotum
Prorsus avis sceleratiorum,
Quibus nefastos Relligio jocos,
Et thura risus (27) *Sardonios movent;*
Qui templa vel temnunt supremi
Cœlicolumque hominumque Regis,
Vel si frequentent, visere (28) *fornices*
Cellasve lenarum oppidò crederes;
Qui nosse se testantur, (29) *inter*
Nectaris ambrosiæque ripas
Divos beato diffluere otio,
Incurios nostri; à quibus audias:
(30) Si sit Deus quisquam? reliquit
Res hominum. Regit omne casus,
Semenque brutis, ac animis idem est,
Et finis idem. *Sic vetitum bonis*
Sperare, sic impune pravis
Omne nefas licuit licetque.
Astræa terris jussa nocentibus
Excesse, jus & flagitio datum.
Risitque Prætoris (31.) *secures*
Culpa ferox. Scelus omne tatum est.
Me-

ris in cœlos fuga. (27) Sardonius, seu stolidus absque causa risus, à Populis Sardoniis. (28) Fornices, loci impuri, à quibus fornicariæ dictæ, lenæ, mulieres, ibidem præsides. Adverbium, *oppidò*, idem quod multum vel penitus significat. (29) Philosophi Epicurei, qui testantur, Superis nullam curam esse rerum mortalium. (30) Sermones impiorum de DEO. (31) Prætoris seu cujusvis Iu-

Metum Deorum, tecta (32.) *lanugine*
Exemit ætas, jam bene crimini
Matura, nec rudis struendæ
Innocuæ (33.) *pedicas puellæ.*
Jam nuptijs nil prorsus inest sacri.
Jurata flocci Numina, nec faces
Horret vel incæstas adulter,
(34.) *Hercyniæ cui more Sylvæ*
Fas est solutis vivere legibus.
Cælestis hæc non ira (35.) *piaverit?*
Hoc fonte (36.) *profluxere clades:*
Inde gravis mala longa belli.
At nos prophano, tela Deum, fra-
Temnemus ausu progenies? Jovi
Infesta jam dudum propago?
Dura trucis soboles (37) *Typhæi?*
Densis Olympus fulminibus ruat!
Pudor fateri nos vetat impius,
Ictus ab ultrici Tonantis
Ire manu, pluviasque flammas.
Fas

dicis. (32) Lanugo, pili primum succrescentes, mollesque in barba Juvenum (33) Pedicæ quibus pedes capiuntur, pedicas struere, est insidiari. (34) Hercynia, Bohemica Sylva, pro quavis alia. More Sylvæ, more belluarum. (35) Piare, expiare, eluere, idem est. (36) Ethnicus quoque Poeta idem fassus est: *Fœcunda culpæ sæcula nuptias primum inquinavêre & genus, & domos*: hoc fonte derivata clades in Patriam populumque fluxit. (37) Fera progenies Typhæi, qui primus Gygantum

Fas sint scelestis talia. Numini
Nos rite sancti (38) *Fa re litabimus;*
Jraeque, quæ procudit enses,
Ter placido faciemus (39. *Agno.*

bella Jovi movit. (38) Pane Eucharistico. (39) Vitula, hædo, agno, facere, est idem quod sacrificare.

§. V.

De Figuris.

17. *Quid est Figura ?*

Est modus dicendi illustrior, & à communi consuetudine remotus.

Vg: DIceres familiarius: *Nihil est Reipub: magis noxium, quam quod omnes fere ejus Cives privata curent commoda, Rempublicam negligant, & Patriæ utilitatibus suas præferant. Plerique dolent & conqueruntur gloriâ, libertates, jura Equest: Ordinis, Senatûs Authoritatem, judicia, ruere, Patriamque esse inermem; sed nemo est, qui ob spem obtinendæ Præfecturæ, de his, ubi locus est dicendi, non sileat ; nullus, qui etiam bonam Reipublicæ Administrationem non laudet. Omnes queruntur inopem esse, sed cum de contribuendo aliquid in rem Patriæ, atque ad ejus defensionem agitur, omnes se se egestate excusant. &c. &c.* Hæc jam, hisque similia, Figuris adhibitis, elegantiora erunt, meliusquè movebunt animos.

„Quid

„ Quid nos miramur, quid dolemus, quid
„ conquerimur: Rempubl: veteri gloria spolia-
„ tâ, libertates imminutas, Equest: Ordinis jura
„ convulsa, Senatûs Authoritatem prostratam,
„ judicia venalia, inermem Patriam vicinorum
„ contemptui & hosti undique expositam ?
„ cum nos privatorum duntaxat commodorum
„ cura totos occupet ? Reipublicæ nulla? Quis
„ est qui Præfecturæ unius, aut tenuis pagi ob-
„ tinendi spe captus, ea, quæ pro Republ: in
„ Comitiis dicturus fuisset, non subticuit ? Imo
„ in adulationem laudemque bene gestæ Reip:
„ non prorupit? Eosque qui leges violatas
„ commemorare audeant, non sugillavit ? non
„ risit? Quis nostrum pluris unquam fecit bo-
„ num & utilitatem universæ Reipubl:, præ bo-
„ no & utilitate propria? Quis, dum modo bene
„ sibi sit, ut omnibus sit bene civibus, cogitavit?
„ Quis, præter elegantia quædam, ea vero va-
„ na & inania verba, cum ad rem ventum sit,
„ amorem Patriæ facto aliquo illustri probavit?
„ O nos itaque boni publici amantissimos, ac
„ Reipublicæ defensores acerrimos ! O jurium
„ legum, libertatumque priscarum nos vindi-
„ ces ! Quid Camilli, Curtii, Decii, & quicun-
„ que se pro Patria unquam devoverint, nobis
„ cum collati ? Nos enim Patriam malevolen-
„ tia & furore vicinorum pessumdari, quam ve-
„ hementer dolemus ! quam acerbè inermem
„ plangimus ! At enim verò cum de ope eidem
„ ferenda, de augendo milite, copiisque Reip:,
„ agitur, exhaustos nos esse, domi nos vix spi-
„ ritum ducere, nihil nos posse conferre, etiam

„peje-

„ pejeramus, quo opulentiores alii, eo ava-
„ riores parcioresque in Rempubl:. Contribu-
„ ant, [clamare solemus.] alii, nos perlibenter,
„ quod æquum erit, conferemus: interim vero
„ nosmetipsi omne genus contribuendi reijci-
„ mus, ne quid in commune statuatur, vetamus,
„ atque ita turpiter Reipubl: illudimus. Plangi-
„ te jam ita, plangite, egregii fortesque Ci-
„ ves, ruere & perire Rempubl:, omnia susque
„ deque verti, actum esse de nobis, actum de
„ Patria; Sed Comitia ne quid contribuendum
„ sit, sistite, extenuate, dissolvite, rumpite, sed
„ in Legatorum conclavi, atque etiam in ipso
„ Senatu, ne vobis emungendi ab aula locuple-
„ tis cujusdam, cum pagis, Oppidi, jam fortas-
„ se promissi, occasio elabatur, aut ne vobis mu-
„ neris honorisque in Republ: consequendi
„ spem imprudenter adimatis, opportunè ta-
„ cete, pessulum ori imponite, silentio omnia
„ prudentique dissimulatione tegite, facta quæ-
„ vis celebrate, certatimque laudate: ita suo sy-
„ deri fatisque relicta Republ:, cujus profectò
„ Dij curam gerent, Vos optimè vobis ac do-
„ mesticis, familiæque rebus, consulueritis. &c.

Vident Adolescentes in hoc brevi exemplo, quid discriminis sit, inter Orationem sine figuris, & inter adornatam Figuris. Admonendi tamen sunt: naturam quemque suam sequi debere, naturam ab arte juvari, non obrui oportere: parcè prudenterque figuris, utendum esse, longe plura absque Figurarum adminiculo Oratores dicere, figuras naturaliter quibusdam locis influere oportere, esse eas veluti Orationis

nis lumina & ornamenta, quæ, quantum satis, non superflué, adhibenda sint.

18. *Quotuplices sunt Figuræ?*
Duplices: verborum & sententiarum.

Figuræ VERBORUM sunt: quæ in *Verbo* observantur. Vg: *Memento esse te Civem, civem inquam Reipubl:, non Dominum.*

Figuræ verò SENTENTIARUM, illæ dicuntur, quæ observantur in *integro sensu*, ut: cum Scipio, Milites rebelles alloquitur, utitur Figura Dubitationis, quæ in *sensu* consistit, „ Apud vos quemadmodum loquar, nec consi-
„ lium nec Oratio suppeditat, quos, ne quo
„ nomine quidem appellare debeam. scio. Cives?
„ qui à Patria vestra desciviſtis: an Milites? qui
„ imperium auspiciumque abnuistis, sacramen-
„ ti Religionem rupistis: hostes? corpora, ora,
„ vestitutum, habitum Civium agnosco; facta,
„ dicta, consilia, animos hostium video. *&c.*

Jam qualescunque illæ sunt, & ad quam Classem unaquæque ex illis reduci debeat, parum interest, dummodo quæ, & quid sint, sciatur. Nos tamen ordinem aliquem in illis servare volentes, primo Figuras *Verborum*, deinde Figuras *Sententiarum*, definiemus, singulas autem exemplis illustrabimus illis, quæ celebres Institutionum Rhetoricarum Scriptores, è Cicerone aut aliunde collegerunt,

19. *Quæ igitur sunt Figuræ* VERBORUM.

Repetitio, Conversio, Complexio, Con-

Conduplicatio, Traductio, Gradatio, Synonimia, Multiplicatio, Reticentia, Dissolutio, Adjunctio, Disjunctio, Annominatio, Similiter cadens, Similiter desinens, Correctio, Commutatio.

REPETITIO, *Est Figura, qua ab eadem voce aliquoties inchoatur Oratio. Vg:* "Nihil "nete nocturnum præsidium Palatii, nihil ur-"bis vigiliæ, nihil timor populi, nihil consensus "bonorum omnium, nihil hic munitissimus Se-"natus habendi locus, nihil horum ora vultus-"que moverunt? *Cicero in Catilinam.*

CONVERSIO, *Est Figura, per quam in idem verbum desinunt commata, vel membra periodi. Vg.* "Pænos Populus Romanus justitia vicit, "armis vicit, liberalitate vicit. *Cicero in Vatinium. Item:* "Doletis tres exercitus Populi "Rom: interfectos? interfecit Antonius. Desi-"deratis Clarissimos Cives? eos eripuit vobis An-"tonius. Authoritas hujus Senatus afflicta est? "afflixit Antonius. *Cicero in Antonium.*

COMPLEXIO, *Est Figura, qua in aliquot membris aut periodis, primum & ultimum verbum repetitur. Vg:* "Qui sunt, qui fædera ru-"perunt? Carthaginenses. Qui sunt, qui crudele "bellum, in Italia gesserunt? Carthaginenses. "Qui sunt qui Italiam deformaverunt? Cartha-"ginenses. Qui sunt qui sibi postulant ignosci? "Carthaginenses. *Auctor ad Herennium.*

CONDUPLICATIO, *Est tunc, quando vox aliqua, in eadem sententia duplicatur. Vg:* "Erit, erit illud profecto tempus. *Cice-*

ro pro Milone. Item: "Tuas Pompeii, tu-"as inquam suspiciones perhorrescimus. *Cice-"ro ibidem. Item* Quid Cleomenes facere po-"tuit, quid inquam facere potuit? *Cicero in Verrem.*

TRADUCTIO, *fit: cum eadem vox aliquoties in una sententia, sed diverso casu, vel numero ponitur. Vg:* "Eum tu hominem ap-"pellas, qui si fuisset homo, nunquam hominis "vitam tam crudeliter petiisset. *Auctor ad He-"reunium. Item:* "Divitias sine divitum esse, tu "vero virtutem præfer divitiis: nam si voles di-"vitias cum virtute comparare, vix satis idoneæ "tibi divitiæ videbuntur, quæ virtutis pedis-"sequæ sint. *Idem Auctor.*

INCREMENTUM *seu* GRADATIO, *Est Figura, quando verbum, verba majoris semper energiæ, excipiunt. Vg:* "Facinus est vincire "Civem Romanum, scelus verberare, parri-"cidium necare, quid dicam in crucem tollere? *Cicero in Verrem. Item:* "In urbe luxuries "creatur, ex luxuria existat avaritia necesse est, "ex avaritia erumpit audacia, inde omnia sce-"lera & maleficia gignuntur. *Cic: pro Roscio.*

SYNONIMIA, *Est verborum idem ferme significantium, ad majorem rei exprimendæ vim, coacervatio. Vg:* "Non feram, non patiar, non "sinam. *Cic: in Catilinam. Item:* "Vos soli "ignoratis? vos hospites in hac urbe versami-"ni, vestræ peregrinantur aures? *Cicero pro Milone.*

MULTIPLICATIO, *seu* POLISYNTHETON, *Est figura, quâ Oratio crebris conjunctionibus*

ouibus abundat. Vg: " Me præ'er cæteros, &
" colit, & obſervat, & diligit. *Cic.*

RETICENTIA, *tunc eſt: quando verbum aliquod ſubauditur. Cicero: Vg:* " Hunccine
" hominem, hanccine impudentiam, hanccine
" nos audaciam? *ſubauditur:* feremus; *Item:*
" Sermo nullus, niſi de te. *ſubauditur:* eſt.

DISSOLUTIO, *Eſt Figura, cum demptis conjunctionibus, plura penuncur commata, vel membra. Vg:* " Vaſtarat Clodius Hetruriam,
" multos ſedibus, fortunis, ejecerat, inſtabat, ur-
" gebat, capere ejus amentiâ Civitas, Italia, Pro-
" vinciæ Regna non poterant. *Cic: pro Milone.*

ADJUNCTIO, *Eſt Figura qua; ad unum verbum plura referuntur commata, vel membra. Vg:* " Vicit pudorem libido, timorem audacia,
" rationem amentia. *Cicero. Item:* " Nihil ſibi
" ex iſta laude Centurio, nihil Præfectus, nihil
" cohors, nihil turma decerpit. *Cic: pro Marco Marcello. Item:* " Quid tam commune, quam
" ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuanti-
" bus, littus ejectis? *Cic: ad Brutum.*

DISJUNCTIO, *Eſt Figura adjunctioni contraria, qua unicuique Orationis membro ſuum verbum adjungitur. cum unum toti Orationi poſſit ſufficere. Vg:* " Hæc ſtudia adoleſcentiam
" alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res or-
" nant, adverſis perfugium ac ſolatium præbet,
" delectant domi, non impediunt, foris, perno-
" ctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.
Cic: pro Arch: Poeta. Item: " Homerum Colo-
" phonii ſuum eſſe Civem dicunt, Chii ſuum
" vendicant, Salamini repetunt, Smyrnæi vero
" ſuum eſſe affirmant. *Cic: Ibidem.*

AN-

ANNOMINATIO, *ſeu* PARONOMASIA, *Eſt luſus vocum ſimilium, in ſenſu diſſimili, Vg:*
" Conſul ipſe parvo animo & pravo. *Cic: Item:*
" Hujus innocentiæ in calamitoſa fama, quaſi
" in aliqua perniciosa flamma, atque incendio
" ſubvenite. *Cic. Item:* " Ex Oratore arator fa-
" ctus. *Cic.* Hac figura nimium pueriliter plerique apud nos abuſi ſunt, rariſſimè proinde, aut vix adhibenda.

SIMILITER CADENS, *Eſt figura, cum in eoſdem caſus, vel verbi tempora, plura membra deſinunt. Vg:* Hunc ego non admirer, non di-
" ligam, non omni ratione defendendum pu-
" tem? *Cicero.*

SIMILITER DESINENS. *Eſt tunc, cum duo vel plura membra, ſimiles habent exitus. Vg:*
" Ejus voluntatibus non modo Cives aſſenſe-
" rint, ſocii obtemperarint, hoſtes obedierint,
" ſed etiam ventitempeſtatesque obſecundarint.
" *Cicero pro Lege Manilia.*

CORRECTIO, *fit: quando verbum protatum corrigimus, & aliud loco ejus ſubſtituimus, Vg:* " Diu vixit: non diu vixit, ſed diu fuit.
Seneca. Item: " Quas ille Leges, ſi leges no-
" minandæ ſunt, ac non potiùs faces, urbis &
" peſtes Reipubl: fuerit impoſiturus nobis o-
" mnibus. *Cicero pro Milone.*

COMMUTATIO. *Eſt figura, qua in ſenſum diverſum commutantur, eadem verba. Vg:*
" Magiſtratus eſt lex loquens, lex autem, mu-
" tus eſt magiſtratus *Cic: de Legibus. Item:*
" Mavult commemorari de ſe: cum poſſet per-
" dere, peperciſſe, quam, cum parcere potuiſ-
" ſet, perdidiſſe. *Cicero pro Quintio.*

20.

20. *Quæ sunt Figuræ* SENTENTIARUM?

Antithesis, Interrogatio, Subjectio seu Responsio, Commoratio seu Expolitio, Prolepsis seu Occupatio, Retractatio, Dubitatio, Apostrophe, Prosopopæja, Hipotiposis, Ethopæja, Sustentatio, Reticentia seu Aposiopæsis, Præteritio, Concessio, Parenthesis, Deprecatio vel Obsecratio, Exclamatio seu Epiphonema, Communicatio, Execratio, Ironia, Hyperbole, Congeries, Definitio, Sententia.

ANTITHESIS, *Est figura, qua aut verba verbis, aut sententiæ sententiis oppositæ proferuntur. Vg:* „Ex hac parte pudor pugnat, „ illinc petulantia, hinc pudicitia, illinc stuprū, „ hinc honestas, illinc turpitudo, hinc fides, illinc „ fraudatio, hinc continentia, illinc libido, de„ nique æquitas, temperantia, fortitudo. pru„ dentia, virtutes omnes certant cum iniquita„ te, cum luxuria, cum temeritate, cum vitiis o„ mnibus: postremo copia cum egestate, bona „ ratio, cum perdita, mens sana cum amentia. *&c. Cic: in Verrem. Item:* „Habuit ille sicut „ meminisse vos arbitror, permulta maxima„ rum non expressa signa, sed adumbrata virtu„ tum. Utebatur hominibus improbis multis, „ & quidem optimis se viris deditum esse simu„ labat. Erant apud illum illecebræ libidinum „ multæ, erant etiam industriæ quidam stimu„ li ac labores. Flagrabant vitia libidinis apud „ illum

„ illum, vigebant etiam studia rei militaris. „ Quis clarioribus Viris quodam tempore ju„ cundior? quis turpioribus conjunctior? Quis „ Civis meliorum partium aliquando? Quis „ tetrior hostis huic Civitati? Quis in volu„ ptatibus inquinatior? Quis in laboribus pa„ tientior? Quis in rapacitate avarior? Quis „ in largitione effusior? Illa vero, Judices, in „ illo homine mirabilia fuerunt, comprehende„ re multos amicitia, tueri obsequio, cum omni„ bus communicare quod habeat, servire tem„ poribus suorum omnium, pecuniâ, gratiâ, la„ bore corporis, scelere etiam, si opus esset, & „ audacia, versare suam naturam, & regere ad „ tempus, atque huc illuc torquere, & flecte„ re; cum tristibus severè, cum demissis jucun„ dè, cum senibus graviter, cum juventute co„ miter, cum facinorosis audacter, cum libidi„ nosis luxuriosè vivere. *Cicero pro Cœlio de Catilina.*

Nemo fæcundior, feliciorque Plinio, in Antithesibus in *sensu* quæ apud eum crebræ observantur. Numero *Panegyrici 21mo.* laudat Trajanum quod Patris Patriæ nomen diu recusaret, quamvis illud meruerit, & quod acceptum, dignè & laboriosè gerat. " Nonne „ his tantisque meritis, novos aliquos honores, „ novos titulos merebare? At tu etiam nomen „ Patris Patriæ recusabas. Quam longa nobis „ cum modestia Tua pugna? quam tardè vici„ mus? nomen illud, quod alii primo principa„ tus die, ut Imperatoris & Cæsaris, receperunt, „ Tu usque eo distulisti, donec tu quoque be„ nefi-

„ neficiorum tuorum æstimator parcissimus,
„ jam Te mererì fatereris. Jtaque soli omnium
„ contigit Tibi, ut Pater Patriæ esses, antequam
„ fieres,, Eras enim in animis & Judiciis nostris.
„ Quod quidem nomen qua benignitate, qua
„ indulgentia exerces! ut cum Civibus tuis,
„ quasi cum liberis Parens, vivis ! ut reversus
„ Imperator, qui privatus exigeras, agnoscis,
„ agnosceris! Eosdem nos, eundem Te putas:
„ par omnibus, & hoc tantum cæteris major,
„ quia melior.

Hæc Figura pulcherrima & jucundissima est, dummodo in ea levitas, abusus, & nimium caveatur. Apud Poetas quoque frequenter usurpari solet, & mirum in modum Poesim ornat, ut patet in hoc sequenti carmine, quod dignum est, ut Adolescentes memoriæ mandent. Porrò hoc carmen recitatum fuit Carolo V. Jmperatori cum ex culmine Panthei Romam devastatam lustraret.

Qui veterem in veteri quæris novus advena Romam,
Et Romæ in Roma nil reperis media.
Aspice murorum moles, disjectaque saxa:
Obrutaque ingenti vasta Theatra situ.
Hæc sunt Roma. Viden? velut ipsa cadavera tanta
Molis, adhuc spirent imperiosa minas?
Vicit ut hæc mundum, voluit se vincere: vicit.
A se non victum ne quid in orbe foret.
Albula Romani permansit Nominis index,
Quique etiam rabidis fertur in æquor aquis.
Disce hinc, quid possit Fortuna; immota labascunt,
Et quæ perpetuo sunt agitata, manent.

Nec minus ex Anthitesibus suspicitur Carmen sequens: Regiæ Principis Polonæ *Clementinæ Sobiesciæ*, in conclavi Arcis *Æni-pontinæ* relictum, cum inde clam evasisset, ubi eam inclusam Carolus VI. Jmperator detinuerat, ne *Stuardo* Regi Angliæ, Romæ, [obstante Domo Regia *Hannoverana*] connubio locaretur.

Me jubet ad Patrios Cæsar remeare Penates.
Ast amor ad sponsum me jubet ire meum.
Quid faciam? frustra est Dominis servire duobus:
Quis vincet? vincens omnia, vincat amor.
Sed licet imperio quamvis sit magnus uterque,
Hic tamen imperium Cæsare majus habet.

JNTERROGATIO? *Frequentior omnino fere, cæteris omnibus figura, quæ Orator id quod simpliciter dicere poterat, interrogat, non tam interrogandi, quam urgendi gratia: Vg:* "Quid
" enim, Tubero, tuus ille districtus in acie
" Pharsalica gladius, agebat? cujus latus ille
" mucro petebat? quis sensus erat armorum
" tuorum? quæ tua mens? oculi? manus?
" ardor animi? quid cupiebas, quid optabas?
Cicero pro Ligario.

Quandoquidem ea quæ dicuntur cum interrogatione, majorem vim habere solent, quam quæ sine adminiculo Interrogationis, tranquillè proferuntur, proinde hujus figuræ: non nimius [nam omne nimium vertitur in vitium] nec continuus, sed frequens illius usus Adolescentibus inculcari debet, monendique sæpius, ut quod simpliciter enuntiarint, Interrogatione acuant, ac elevent. Nam si dixisset Cicero Catilinæ: *Patere Consilia tua sentis: nemo nostrum ignorat, quid proxima, quid superiore nocte egeris, &c.*

Certè non ita Catilinæ aliorumque animos perſtrinxiſſet, quā cum interrogando ſic urſit: "Patere conſilia tua non ſentis? conſtrictam jam "horum omnium conſcientia teneri conjurati-"onem tuam non vides? quid proxima, quid "ſuperiore nocte egeris? ubi fueris? quos con-"vocaris? quid conſilii cæperis? quem no-"ſtrum ignorare arbitraris? Probent itaque, faciantque ſimiliter Adoleſcentes. Jd nempè: quod, unum poſt aliud, dicturi in Oratione, poſituriq; ſunt, interrogationibus urgeant; et non parvum in tali elocutione diſcrimen animadvertent.

SUBJECTIO, *ſeu* RESPONSIO? *Eſt figura qua Orator vel interrogat ſeipſum & reſpondet ſibi, vel: cum alium interrogavit, non expectat ejus reſponſum, ſed ipſe aut reſponſum ſubjicit, aut interrogationem alia interrogatione retorquet. Vg:* "An domus tibi deerat? at "habebas. An pecunia? at abundabas. An ar-"ma? at non ita pridem ad te miſſa fuerant. *Cicero. Item:* "Quid tam novum, quam ado-"leſcentulum privatum, exercitum difficili Rei-"publ: tempore, conficere? confecit. Huic præ-"eſſe? præfuit. Rem optimè ductu ſuo gere-"re? geſſit. Quid tam præter conſuetudinem, "quam homini peradoleſcenti, cujus à Senato-"rio gradu ætas longè abeſſet, Imperium at-"que exercitum dari? Siciliam permitti at-"que Affricam? bellumque in ea adminiſtran-"dum? fuit in his Provinciis ſingulari innocē-"tia, gravitate, virtute: bellum in Affrica ma-"ximum confecit, victorem exercitum depor-"tavit. *Cic: pro Lege Manil.*

Item:

Item: Quid vis amplius, quid inſequeris, "quid oppugnas? Qua in re voluntatem tuam "à me lædi putas? Ubi tuis commodis officio? "quid tibi obſto? Si ſpoliorum cauſa, vis homi-"nem occidere? Jam ſpoliaſti. Si inimicitia-"rum? Quæ ſunt tibi inimicitiæ cum eo, cujus "antea prædia poſſediſti, quam ipſum cognō-"ſti? ſin metuis? ab eone aliquid metuis, "quem vides ipſum ab ſe ſe, tam attrocem in-"juriam propulſare non poſſe?

Idem Cicero Murenæ exilium: per hanc figuram, ſic deprecatur. "Si, quod Jupiter omen "avertat, hunc veſtris ſententiis afflixeritis: "quo ſe miſer vertet? Domumne? ut eam ima-"ginem clariſſimi Viri Parentis ſui, quam pau-"cis ante diebus laureatam in ſua gratulatione "conſpexit, eandem deformatam ignominia lu-"gentēque videat? An ad Matrem? Quæ mi-"ſera modo Conſulem oſculata Filium ſuum, "nunc cruciatur & ſollicita eſt, ne eundem "paulo poſt ſpoliatum omni dignitate conſpi-"ciat? Sed quid ego matrem aut domum ap-"pello, quem nova pæna legis, & Domo & pa-"rente & omnium ſuorum conſuetudine con-"ſpectuque privat? Jbit igitur in exilium mi-"ſer? quo? ad Orientisne partes? in quibus "multos annos Legatus fuit, & exercitus du-"xit, & magnas res geſſit? at habet magnum "dolorem: unde cum honore diſceſſit, eodem "cum ignominia reverti. *Divus Hieronymus* Ruffinum ad vitam Eremiticam adhortatur: "Quid agis Frater, in ſæculo, qui major es "mundo? Paupertatem times? beatos pau-

" peres Christus appellat. Pavore terreris? at
" nemo athleta sine sudore coronatur. De cibo
" cogitas? sed fides famem non timet. Super
" nudam metuis humum membra jejuniis exe-
" sa collidere? sed Dominus in cruce jacet.
" Squallidi capitis terret inculta cæsaries? sed
" caput tuum Christus est. Terret te infinita e-
" remi vastitas? sed tu Paradisum mente de-
" ambula. Delicatus es miles, si vis & gaudere
" cum sæculo, & regnare cum Christo. Animadvertant in his exemplis Adolescentes, quam hæc sit elegantissima Figura.

COMMORATIO *seu* EXPOLITIO, *Est Figura, cum eundem sensum variis modis versamus, ut altius in auditorum animis defigatur, seu cum rem unam aliter atque aliter dicere videmur, & revera dicimus, sed eam novo quodam semper modo exprimimus. Vg:* " O! miserum te si intelligis, miseriorem si
" non intelligis; hoc literis mandari, hoc me-
" moriæ prodi, hujus rei ne posteritatem qui-
" dem omnium sæculorum immemorem fore. *Cic: in Verrem.* Jsta tria: *hoc literis mandari, hoc memoriæ prodi, hujus rei ne posteritatem quidem immemorem fore*: idem significant, sed unum aliud melius explicat. *Eusebius Emissenus* de Infantibus ab Hærode cæsis, vult id dicere: *Quod Infantuli in primo vitæ aditu vitam pro Christo amiserint.* Vide quam idem prorsus variis modis exponit. " Quam beata,
" *inquit*, ætas, quæ nondum Christum po-
" test eloqui, & jam pro Christo meretur in-
" tersici: nondum opportuna vulneri, & jam

„ ido-

" idonea passioni: quam feliciter nati, quibus
" in primo nascendi limine æterna vita obviam
" venit. Immaturi quidem videntur ad mortem,
" sed feliciter moriuntur ad vitam. Vix dum præ-
" gustaverunt præsentem, cum statim transeunt
" ad futuram. Nondum ingressi infantium cu-
" nas, jam perveniunt ad coronas. Rapiuntur
" quidem à complexibus matrum, sed reddun-
" tur gremiis Angelorum.

Duo hæc sensa: *Qui negat pacem bello præstare, nihil humani in eo est:* Item: *Bellum servituti præferendum esse:* ut melius animis inprimantur, ita expoliret Orator: „ Pacem bel-
"lo præstare, is nisi, qui humanitatē exuerit, du-
"bitabit. Qui tumultus bellicos quieti & otio
" Civium præfert, pestis & flamma Reipubl:,
" parricida Patriæ est. Qui sanguine, cæde, vul-
" neribusque oblectatur, feras inter & bruta,
" non inter homines eum nasci oportuit. Cui
" sola in armis voluptas, quemq; in Civitate vitæ
" tranquillæ tædet, uti hostis humani generis,
" è societate civili proscribendus est. Conser-
" vatæ pacis gloria, bellicæ laudi & gloriæ,
" trophæis ac triumphis, longè præferenda est.
" Qui ita sentit, rectè sentit. At nec illi qui-
" dem condemnandi sunt, qui ignominiosæ paci
" justum bellum anteferunt. Bellli incommo-
" da potius, subeunda sunt, quam servitutis.
" Peracerbum est, pacem, rerum optimam, amit-
" tere, sed turpissimum est, servire. Quid volu-
" ptatis in molli est culcitra, si in ea compedi-
" bus & ferro onustus jaceas? Quid verò in-
" teresf? an bello victus, an in pace mancipii,

„ loco

" loco sis habitus? Illud honesti aliquid refert,
" hoc turpitudini junctu est. Etiã vel capi, acie-
" que succumbere fortium est, subdi, ignavissi-
" morum. Servum è libero, tacitè patienter-
" que fieri, fæda ignavia est. Ut quietus tran-
" quillusque sis, tanti est? ut liber, hoc ni-
" hili? Quid defendas? si libertatem defen-
" dendam non putes? &c.

Hæc idem fere sunt, sed Adolescentes videant & utilitatem & necessitatem hujus Figuræ. Pleraque enim bene cogitata tamdiu aliter atque aliter explicanda sunt, donec bene ab audientibus concipiantur. Qua tamen in re omne nimium vitandum est, ne in mutiloquentiam, ac ineptias, Oratio desinat.

Adhuc pro majori hujus figuræ intelligentia, cogitationem hanc: *Vitam nostram somnum videri*, expoliamus. „ Humana hæc flu-
„ xa, inania, evanida si cogites, dubitabis for-
„ tasse: rectiusne vivimus, cum dormimus, an
„ cum nobis vigilare videmur. Quid interest
„ inter somniorum, diurnasque, imagines? u-
„ traeque transeunt, utraeque evanescunt. Ex-
„ pergisci videmur: sed quando potius? an
„ cum claudimus, an cum oculos aperimus?
„ illa noctu, hæc die, utraque pereuntia, & ca-
„ cuda visuri? male multa in somno ratiocina-
„ ri nos deprehendimus, & quam ineptè, quam
„ falso, quam stultè plura ratiocinamur vigi-
„ les? Illudimur somniantes? an vero ab ipsi-
„ dem rebus humanis, vel extra somnum non
„ fædè illudimur? Dormiendo, vigilando, judi-
„ cia nostra, errores continui sunt, ut mane
„ cum diem ordimur, falsa vanaque esse simu-
lacra

„ lacra, quæ somniavimus, agnoscimus, ita æ-
„ ternum cum ordiemur diem, vana & falsa o-
„ mnia quæcunque præcessêre, proculdubio a-
„ gnoscemus. Vivimus ergo somniantes, & so-
„ mniamus viventes, ut cum Poeta quærere à
„ nobis diu noctuque possimus: *& sunt quæ lu-*
„ *ce cernimus? an longi trahitur fabula somni?*
„ *an nos vivimus? an suam rerum pictus habet*
„ *cultus imaginem?* Hæc omnia, ut vides, eæ-
dem fere cogitationes sunt, sed diversimodè explicatæ.

PROLEPSIS, *seu* OCCUPATIO? *Est tunc, cum id quod objici potest, Orator occupat, & sibi obicit.* Ita *Cic: pro Arch: Poet:* postquam in summis Reipubl: Viris, literas & studia commendasset, cum videret id sibi objici posse: num omnes Clarissimi in Republ: Viri, eruditi fuerunt? hanc objectionem occupat, & respondet.
„ Quæret quispiam, *inquit*, quid? illi summi Vi-
„ ri, quorum virtutes literis proditæ, sunt, ista-
„ ne doctrina, quam tu effers laudibus, erudi-
„ ti fuerunt? Difficile est hoc de omnibus con-
„ firmare, sed tamen est certum, quid respon-
„ deam. Ego multos homines excellenti ani-
„ mo ac virtute fuisse, & sine doctrina naturæ
„ ipsius habitu propè divino, per seipsos & mo-
„ deratos & graves extitisse fateor: atque illud
„ adjungo, sæpius ad laudem atque virtutem
„ naturam sine doctrina, quam sine natura va-
„ luisse doctrinam. Atqui idem ego contendo,
„ cum ad naturam eximiam atque illustrem ac-
„ cesserit ratio quædam; confirmatioque doctri-
„ nae, tum illud nescio quid præclarum ac sin-
„ gu-

„ gulare solere existere. Hæc Figura perfre-
quens est, quoties adversariorum rationes re-
fellendæ sunt, hisque fere modis inhoari so-
let. *Forsitan quæretis*: &c. *Forte dicet quis?* &c.
Etiam dicere audebis? &c. *At sunt qui dicant?*
&c. *Sed quæ exaudio, dissimulare non possum?*
&c. *At ne quis ex vobis dubitet?* &c: *Dicant*
multi? &c. *Reprehendor igitur?* &c. *At jam*
quæ contra hæc dici solent, videamus? &c. &c.

RETRACTATIO. *Est figura qua Orator*
id, quod protulit, retractat. Ut cum *Cicero Ca-*
tilinæ emendationem & profectionem, ex
Urbe suaserit, retractat id subito, & dicit.
„ Quanquam quid loquor? te, ut ulla res
„ frangat, tu ut unquam te corrigas, tu,
„ ut ullum exilium cogites? Utinam tibi istam
„ mentem Dij Immortales donarent. *Idem pro*
Marco Marcello, Sententiam de vita diuturna,
ita corrigit, „ Quid est enim hoc ipsum diu vi-
„ vere in quo est aliquid extremum, quod cum
„ venerit, omnis præterita voluptas pro nihilo
„ est; quia postea nulla futura sit. *Idē pro Roscio.*
„ Quæ convivia in hujusmodi honesta domo?
„ si domus hæc habenda est potius, quam offi-
„ cina nequitiæ, & diversorium flagitiorum o-
„ mnium.

DUBITATIO, *Est Figura qua Orator fin-*
git: nescire se quid dicere debeat, aut in quam
partem animum convertat. *Vg:* „ Quid primum
„ quærar, aut unde potissimum exordiar, aut
„ quod, aut à quibus auxilium petam: Deorum-
„ ne Immortalium? Populine Romani? Vestram-
„ ne, qui summam potestatem habetis, hoc
„ tempore fidem implorem? *Cic: pro Roscio.*

For-

Formulæ hujus Figuræ vulgares: *Nunc*
ego vos consulo, quid mihi faciendum putetis.
Quid sentiendum, quid decernendum, quid di-
cendum, tacendumve hic sit, prorsus nescio. A-
nimo me hærere videtis. Cui sententiæ, cui au-
ctoritati hic mihi esse cedendum putatis? &c. &c.

APOSTROPHE, *Est sermonis conversio ad*
aliquem, ut: cum Orator vel Deum, vel homines
absentes, vel etiam res inanimatas alloquitur.
Vg: „ Vos, vos appello fortissimi Viri, qui
„ multum pro Republ: sanguinem effudistis,
„ vos in Viri & Civis afflicti appello periculo
„ Centuriones, vosque milites. &c: *Cicero pro*
„ *Milone.* Vos enim jam Albani tumuli atque lu-
„ ci, vos inquam imploro, atque obtestor, vos-
„ que Albanorum obrutæ aræ. &c. *Idem ibi-*
dem. „ Tum tu Jupiter hunc & hujus socios à
„ tuis aris cæterisque templis ac tectis urbis, à
„ mœnibus, à vita, fortunisque omnium civi-
„ um arcebis. &c. *Idem in Catilinam.* „ O! na-
„ tiones, urbes, populi, Reges, Tetrarchæ, te-
„ stes Cnei Pompeij, non solum virtutis in bello,
„ sed etiam religionis in pace, vos denique
„ multæ regiones imploro, & sola terrarum ul-
„ timarum, vos maria, portus, Insulæ, littora-
„ que! quæ enim ora, quæ sedes, quis locus,
„ in quo non extent hujus: tum fortitudinis, tum
„ vero humanitatis, tum animi, tum consilii
„ impressa vestigia? *Idem pro Balbo.*

PROSOPOPÆJA, *Est figura, qua aut vi-*
ta functum, aut vivum absentem, vel præsentē,
aut etiam res quæ sensu carent, Orator inducit
loquentes. *Vg:* „ Puta itaque ex illa arce cæ-

„ lesti

„ lesti, Patrem tuum dicere: cur te, filia, tam
„ longa tædet ægritudo? cur in tanta rei igno-
„ rantia versaris? ut iniquè actum judices cum
„ Filio tuo, quod in tædium versus vitæ, ipse ad
„ majores se recepit suos? nescis quantis fortu-
„ na procellis disturbet omnia, &c. *Seneca ad Martiam.* „ Sicilia tota, si una voce loqueretur,
„ hæc diceret : Quot auri, quod argenti,
„ quod armentorum in meis urbibus, sedibus,
„ delubris, ea tu mihi C. Verres eripuisti, atque
„ abstulisti, &c. *Cicero in Verrem.*

HYPOTIPOSIS, *Est Figura, qua res sic exprimuntur verbis, ut geri potius & spectari coram audiantur, quam audiri. Vg:* Vehebatur in essedo Tribunus plebis, lictores laure-
„ ati antecedebant, inter quos aperta lectica
„ mimus portabatur, sequebantur rhedam cum
„ lenonibus, comites nequissimi. &c. *Cic: Philip: 2da de Marco Antonio.* „ Oro atque obse-
„ cro vos, qui nostis, vitam utriusque inter se
„ conferte, qui non nostis, faciem utriusque
„ considerate. Non ne ipsum caput, & super-
„ cilia penitus abrasa olere malitiam, & cla-
„ mare calliditatem videntur? nonne ab imis
„ unguibus usque ad verticem summum, si
„ quam conjecturam affert hominibus tacita
„ corporis figura, ex fraude, fallaciis, menda-
„ ciis constare videtur, qui id circo capite &
„ superciliis semper est rasis, ne ullum pilum
„ Viri boni habere videatur. *Cic: pro Comed:*

Idem Cicero. Gabinium effoeminatum sic describit: „ Processit, vini, somni, stupri plenus,
„ madenti coma, composito capillo, gravibus
„ oculis, fluentibus buccis, pressa voce, & te-
„ mulenta. *In Verrem idem Cicero*: Procedit
„ iste repente è prætorio, inflammatus scelere,
„ furore, crudelitate, in forum venit. Navarchos
„ vocari jubet, qui cum nihil metuerent, suspica-
„ rétur nihil, statim occurrunt. Iste hominibus
„ miseris innocentibusque, inijci catenas impe-
„ rat, implorare illi fidem Populi Romani &
„ quare id faceret, rogare. Tum iste hoc can-
„ tæ dicit, quod classem prædonibus prodidis-
„ sent. Fit clamor & admiratio populi, tantam
„ esse in homine impudentiam. *&c.*

Nihil hac figura in describendis quibuscũque rebus, animatis, inanimatis, factis, casibus, eventibus, Oratoribus frequentius, magisque necessarium. Insipida ac parum grata Oratio est, quæ ea, quæ diligentissime describenda sunt, negligit atque præterit.

ETHOPÆIA, *Est figura, qua vita, mores, indolesque alicujus depinguntur.* Hoc ab hypotyposi differt, hæc figura, quod illa exteriora & sensibus subjecta describat, Ethopæia verò intima animi, mentisque imaginem proponat. Vide superius Ciceronis exemplum, in Antithesi, de Catilina. In sequenti autem exemplo *Oliverij* adverte quam sit graphicè *Cromvelli* depicta imago: " Cromvellus tyrannorum for-
„ tunatissimus, Divinarum humanarumque le-
" gum & rerum contemptor, tanto magis im-
" pius, quantò ad tegẽda religione flagitia, nemo
" illo callidior. Mahomete ipso hoc versutior,
" quod ille stolidis Saracenis, Arabibus: hic Bri-
" tannis, qui cæteris gentibus mentis acumine
se se

" se se præferre ament, cœlestem vim quandam
" sibi inesse persvaserit, ac superstitione imposu-
" erit. Quo audacius sceleratiusque aliquid ag-
" gressurus esset, oculos in cœlum torquere,
" preces funditare, extra se rapi, labris tremen-
" tibus quiddam mussitare, vultu mutari, palle-
" re, incendi, DEO colloqui, inde afflari, os,
" manus, pectus, corpus contorsionibus defor-
" mare: tum verba quædam male connexa, quæ
" parum aut nihil significarent, junctaque simul
" furentem ac mente motum potius arguerent,
" mysterii instar effari; agenda ita edicere, vix
" ut aut ne vix quidem intelligerentur. Hæc
" sæpe oraculi loco habita. Privatus obscurique
" nominis eques, majora se semper animo agi-
" tans, incredibili ambitione, arrogantia pari,
" præterquam Troni Britannici fastigio, spes
" immensas definiri haud passus. Audacissimus
" præterea, & ad omnem nequitiam paratissi-
" mus, impetu, furore, protervia, vel difficilli-
" ma frangere, ac superare solitus. Cunctis me-
" tui, soli anxius placere amarique militi, ut-
" pote per impunitatem, ac per effrænem in
" omne scelus, rapinas, & spolia civium, licen-
" tiam, sibi intimè obstricto. Ea ausus in popu-
" lum, in pares, in summos, quæ crudelitas &
" tyrannis vix veteribus barbaris nota, aggredi
" hæsitaret. Cædes regum, pessimis ac ubique
" gentium execratis hominibus, res non inso-
" lita: Sed judicium, ac per sententiam supplic-
" cium sui Regis, rarum, & inhumani hujus
" monstri facinus est proprium. Regnum, quod
" scelere quæsiit, absolutius & insolentius te-
" nuit

" nuit apud Anglos, quam fas esset, apud fædè
" serviles quoscunque Orientis populos. Nemo
" humanæ libertati impotentius, impudentius,
" turpiusque illusit. Diceres non Britannos,
" nec iis ortos, nec horum, qui sunt, genus
" fuisse, sed huic Domino mancipia quædam in
" Insulas fortuito ejecta. Justa Regum pote-
" stas invisa iis est, imperiosissima circulatori
" ac fere syderato insanoque homini undequa-
" que paruerunt. Regis ille, cujus ingenti li-
" bidine conflagrabat, titulum & insignia, su-
" mere non fuit ausus; nam maximam cupidi-
" tatem major metus frenabat: sed Prote-
" ctoris Angliæ nomine, nihil est in toto impe-
" rii regnique ambitu, quod ad se non traxerit.
" Id quod mirere: summâ Regum injuriâ, Regũ
" nullum fuisse permotum, ne Patrem quidem
" Reginæ, cæsi à carnifice Regis, Viduæ. Tanta
" potius hominis reverentia & timor, ut Galli
" Hispani, Batavi, ejus amicitiam & gratiam
" certatim aucuparent. Suos inter, more Ty-
" rannorum, de vita, usque ad ineptias timi-
" dus: nulla non nocte, nullo non loco mor-
" tem criminibus debitam operiri visus. Inde
" adeo cautus, ut Dyonisiorum suspicacem
" semper, & sæpius ridiculam servandæ ani-
" mæ diligentiam modosque superarit. Quam-
" obrem eò tandem pervenit, ut, si suspicionẽ
" veneni non satis confirmatam demas, & mor-
" bo, & in proprio lecto, senectuti propior,
" diem supremum obijerit, ac ad Tartara
" sicca morte descenderit: cadavere uncis &
" patibulis subtracto, quod ejus jussu, loco po-
" nitus ignoto, sepultum. &c.

Joannis

Joannis *Krasinscii, Ethopœia.* „Nostis ju-
„ venem & amastis, nam nosci & non amari
„ non potuit. E religione vivere, quod solum
„ nunc illi prodest, depravato hoc sæculo, sibi,
„ statuit, & ita vixit. Studiis optimarum rerum,
„ libertate jam Adolescenti, quid de se statue-
„ ret, à suis relicta, in Academia semet sponte
„ affixit. Inde eggressus, libris, excellentissi-
„ mis usus magistris, plus temporis operæque
„ quotidie iis dedit, quam qui maximo cuivis
„ oblectamento. Gravitas in eo morum ne æ-
„ quales quidem offendit, naturæ enim insita
„ fuit & inde profecta. Comitate, amænitate,
„ urbanitate, facetiarum ex hilari indole flu-
„ entium, acumine & prudentia, quibuscum
„ versabatur, semper jucundissimus. Molestiam
„ dum quam sensit, domi secum digessit, aut
„ pectore clausit, nec amicos ægritudine ani-
„ mi, ut multis id accidit, unquam ille afflavit.
„ Semper sui similis & idem; animo ad benefa-
„ ciendum facto, nulli opem dum potuit, nulli
„ studium aut obsequium, recusavit, indigenti-
„ bus & miseris ultro etiam obvius. E Christi-
„ anis principiis, & ad præscriptas à Philoso-
„ phia regulas, liberalis. Jn rei familiaris ra-
„ tione diligentissimus: œconomiam in prædiis
„ senilem diceres. Ut lucri, ita jacturæ, ex
„ aleatoriis ludis, proinde & æris alieni, æquè
„ semper hostis. Domi: ordo, parsimonia, &
„ splendor. Elegantiæ sectator, contemptor &
„ derisor luxus. Parasitis, adulatoribus, & pra-
„ vis inaccessus. Veri adeo amans, promissique
„ tenax, ut ne semel quidem fefellisse, quibus
„ ma-

„ maxime notus fuit, observaretur. Bonorum
„ & sapientum societatem perpetuo quæsiit &
„ fuit ab iis quæsitus, quod proborum conti-
„ nentiumque morum certissimum indicium
„ est. *&c.*

SUSTENTATIO, *Est Figura, qua diu suspenduntur auditorum animi, donec aliquid inexpectatum subjiciatur.* Ut cum *Cicero, in Verrem, ait* „ Res delata ad istum. Statim, ut
„ par fuit, jussu ejus homines qui nominati fue-
„ rant, comprehensi, adductique Lilibæum. Do-
„ mino [Leonidæ] denunciatum est ut adesset.
„ Causa dicta damnati sunt. Quid deinde? quid
„ censetis? Furtum fortasse aut prædam expe-
„ ctatis aliquam? nolite usquequaque eadem
„ quærere: in belli metu furandi locus quis po-
„ test esse? Etiamnum mihi expectare videmi-
„ ni, Judices, quid deinde factum sit, quod iste
„ nihil unquam fecit sine aliquo quæstu atque
„ præda? Quid in ejusmodi re fieri potuit, quod
„ commodum est? Expectate facinus, quam
„ vultis improbum: vincam tamen expectatio-
„ nem vestram. Nomine sceleris conjurationis-
„ que damnati, ad supplicium traducti, ad pal-
„ lum alligati, repente multis millibus homi-
„ num inspectantibus soluti sunt, & Leonidæ
„ illi domino traditi. &c.

Aliud sustentandi Exemplum. „ Sed quis
„ ille putatis, qui me tam fædè prodiderit, qui
„ me apud Ministros Regios in invidiam vocarit,
„ qui Principis gratiam mihi labefactare, etiam
„ adimere nisus sit? qui sparsarum inter ami-
„ cos de me calumniarum auctor fuerit? Ho-
stis

„ ſtis fuit, dicetis, vindictæ cupiditate exarſit.
„ Parco illi ſi ita eſt, dolorem oblivione ſepe-
„ lio. Sed per humanas Divinasque omnes re-
„ ligiones & juro, & teſtor: me nihil unquam
„ mali non modo illi intuliſſe, ſed ne voluiſſe
„ quidem. Quis ergo ille? Sed credetis? ſed
„ quæſo, fidemne apud vos inveniam? obſtupe-
„ ſcetis certè. Amicus, Amicus fuit ille, quē vos
„ mihi etiā amiciſſimū fuiſſe ſemper affirmaſtis,
„ quem jam me vel ſilente, intelligitis. &c.

RETICENTIA *ſeu* APOSIOPÆSIS. *Eſt Figura, qua Oratio interrumpitur gravioris alicujus affectus ſignificandi gratia. Vg:* „ O-
„ mnia præteribo quæ mihi turpia dictu vide-
„ buntur, neque ſolum quid iſtum audire, ve-
„ rum etiam quid me deceat dicere. conſidera-
„ bo. *Cicero in Verrem. Idem:* „ Non obtun-
„ dam diutius aures veſtras, jam dudum vereor,
„ ne Oratio mea aliena à Judiciorum ratione, &
„ quotidiana dicendi conſuetudine eſſe videa-
„ tur: hoc dico, &c. *Idem. Item:* „ Jn ſingulis ſi
„ hæreret Oratio mea, ita multa ſunt & magna,
„ ut me vox potius, quam verbum, latus, quam
„ res dicentem deficeret. &c. &c.

Nota: jam nos ſuperius Figuram *Reticentiæ* recenſuiſſe, ubi ſermo erat de Figuris *verborum*. Hæc tamen *Reticentia* cum illa ſuperiori non cōfunditur, diſcrepatq; omnino. Illa enim fit tunc: cū ſubauditur verbum aliquod, hæc: cum ſenſus ſubticetur. Quare duplex eſt *Reticentiæ* Figura; una ad Figuras *Verborū*, altera [hæc ſcilicet, quam mox expoſuimus] ad Figuras *Sētētiarū* referēda.

PRÆTERITIO. *Eſt tunc, cum ſimulamus nos vel neſcire, vel nolle dicere, quod maximè*
„ *dici-*

dicimus: Ut cum *Tullius Pompejum* laudans, ait: „ Jtaque non ſum prædicaturus, Quirites,
„ quantas ille res domi, militiæque, terra ma-
„ rique, quantaque felicitate geſſerit, ut ejus
„ ſemper voluntatibus non modo Cives aſſen-
„ ſerint, Socii obtemperarint, hoſtes obedie-
„ rint, ſed etiam venti tempeſtatesque obſecun-
„ darint. *Idem in Verrem:* Jn ſtupris vero &
„ flagitiis, nefarias ejus libidines commemora-
„ re pudore deterreor. *Idem in Vatinium:* At-
„ que illud tenebricoſiſſimum tempus ineuntis,
„ ætatis tuæ patiar latere. Licet impune per
„ me, parietes in Adoleſcentia perfoderis, vici-
„ nos compilaris, matrem verberaris. Habet
„ hoc præmium tua indignitas, ut adoleſcen-
„ tiæ turpitudo obſcuritate & ſordibus tuis te-
„ gatur. *Idem Cic: de Provinciis Conſularibus:*
„ Nihil dico nunc P. C., hominem ipſum re-
„ linquo. Jtaque omnia illa & ſæpe audiſtis, &
„ tenetis animis, etiamſi non audiatis præter-
„ mitto. Nihil de hac ejus audacia loquor, nihil
„ de ſuperbia, nihil de contumacia, nihil de crude-
„ litate diſputo. Lateant libidines ejus illæ tene-
„ bricoſæ, de Provincia, quod agitur. id diſputo.

Formulæ prætermittendi ex Tullio: *Prætereo. Non dico. Non commemoro. Non hīc profero. Non audietis à me. Non attingam. Sinite me hoc præterire. Poſſem multa dicere.* &c. &c.

CONCESSIO? *Eſt Figura, qua Orator etiam aliquid iniquum, fiducia cauſæ ſuæ, adverſario videtur concedere.* Utitur hac figura Cicero *pro Ligario contra Tuberonem*, qui Ligarium accuſaverat, quod contra Cæſarem arma

 tuliſſet,

tuliſſet, cum & ipſe Tubero contra Cæſarem militârit, " Habes igitur Tubero, quod eſt accuſatori maximè optandum, confitentem, reum, ſed tamen ita confitentem: ſe in ea parte fuiſſe, qua Te Tubero, qua omni laude dignum Patrem tuum. Itaque prius de delicto veſtro fateamini neceſſe eſt, quam Ligarii ullam culpam reprehendatis. *Idem pro Flocco, perfidiam Græcorum arguendo, hanc figuram adhibet:* " Tribuo illis literas, do mutarum artium diſcipliam, non adimo ſermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam, denique etiam, ſi qua ſumunt alia, non repugno. Teſtimoniorum religionem & fidem nunqam iſta Natio coluit, totiusque hujusce rei quæ ſit vis, quæ authoritas, quod pondus, ignorant. *Idem: Cicero. pro Milone de Clodio* " Excitate, excitate eum, ſi poteſtis, ab inferis.„ Formulæ quædam hujus Figuræ. *Eſto verum, eſto. Verum fac ut. Patior non moleſtè. Ut tibi concedam. Hoc do tibi & concedo. Sed ſit id aliter, tamen. Facite ut libet, ſed. Sed ierit, dixerit. &c. Sit ita ſanè.* &c.

PARENTHESIS, *Eſt Figura, qua Orator breviter declinat à propoſito, & aliquid in tractum membri vel periodi interijcit.* Ita *Cic:* " At etiam auſus es [quid eſt autem quod tu non audeas?] Clivum Capitolinum dicere me Conſule plenum ſervorum armatorum fuiſſe. *Idem:* O! miſerum, ſive illa tibi nota non ſunt, [nihil enim boni noſti] ſive ſunt, qui apud tales viros tam impudenter loquare.

Magnum vero vitium eſt, & vehementer oratio-

orationem obſcurat, ſi longiores ſint Parentheſes.

DEPRECATIO, *vel* OBSECRATIO. *Eſt Figura qua alicujus opem, fidem, miſericordiam aut aliud quidpiam imploramus. Vg:* "Quid reſtat, niſi ut orem obteſterque Vos, ut eam miſericordiam tribuatis fortiſſimo Viro, quam ipſemet non implorat, ego autem repugnante hoc, & imploro & expoſco. Nolite, ſi in noſtro omnium fletu, nullam lachrymam aſpexiſtis Milonis, ſi vultum ſemper eundem, ſi vocem, ſi orationem ſtabilem, ac non mutatam videtis, hoc minus ei parcere. &c. *Cic: pro Milone.* " Hoc metu nos Cæſar per fidem, & conſtantiam, & clementiam tuam libera, per dexteram te iſtam oro, quam Regi Dejotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti. *Cicero pro Dejotaro.*

Formulæ deprecandi: *Per Patriam omnes charitates complexam. Per Religionem Numinis, Conſilii, locique hujus Præſidis. Per quidquid ſanctum ſacrumque eſt. Per Conjugum, liberorum, amicorum benevolentiam, ac ſacra vincula.* &c.

EXCLAMATIO *ſeu* EPIPHONEMA, *Eſt quædam in Oratione vocis elatio, cum interjectione lætitiam, dolorem, admirationem vel quid ſimile ſignificante. Vg:* "O! diem illum funeſtum Senatui, bonisque omnibus, Reipublicæ luctuoſum, mihi ad mærorem gravē, ad poſteritatis memoriam gloriosū. *Cic:* Dij Immortales! non intelligunt homines quam magnum vectigal ſit, parſimonia. *Cicero:* O! nox illa,

" la, quæ pene æternas Urbi huic tenebras at-
" tulisti. Cum Galli ad bellum, Catilina ad Ur-
" bem, conjurati ad ferrum & flammam voca-
" bantur! O nonæ illæ decembres, quæ me
" Consule fuistis, quem ego diem verè natalem
" hujus urbis, aut certè salutarem appellare
" possum. *Cicero.* " Per Deos Immortales,
" quæ ista tanta crudelitas est, tam fera imma-
" nisque natura! *Cicero.* &c.

Figura hæc ad excitandos animorum motus utilissima, sæpius etiam, ubi opus, adhibenda; prudenter tamen, nec nisi talibus præmissis in Oratione rebus, quæ exclamationem mereantur, secus puerilis erit, ac inepta.

COMMUNICATIO. *Est Figura, qua Orator cũ Auditore, vel quavis alia Persona, familiarius colloqui, eum compellare, consulere, ac cum eo conferre videtur. Ita Cicero pro Rabirio.* " Tu
" denique Labiene quid faceres tali in re ac tem-
" pore, cum ignaviæ ratio te in fugam atque
" in latebras compelleret, improbitas, & furor
" Saturnini in Capitolium accerseret, Consu-
" les ad Patriæ salutem, & libertatem vocarent,
" quam tandem authoritatem, quam vocem, cu-
" jus sectam sequi, cujus potissimum imperio
" parere velles?

Aliud Exemplum: " At ego ut taceam,
" vos ipsimet Cives, quæso, cogitate, à vobis-
" met quærite, vobismet ipsis respondete: si ni-
" mirum Respubl: vacillat, ruit, si Patria capi-
" tur; Vos, Personæ vestræ, jura vestra, fortu-
" næ, libertas, Conjuges, liberique vestri quo
" loco apud hostem victoremque erunt? Quid
" de

" de vobis, hisque omnibus fiet? quid hæretis?
" quid dubitatis? fateamini, nolitis, velitis, vos
" mancipia, & vestra hæc omnia, non vestra, sed
" victoris, fore. An enim Republicâ indefensâ
" aliter id vobis accidere potest? Ad id vero
" vos adhuc minimè perhorrescetis? Aut si vos
" aliquis tandem horror incedit, si palletis, si
" contremiscetis ad servitutis vocem, à quo jam
" salutem expectetis? Vosne ipsimet quid fa-
" cto opus sit, forte non intelligitis? Prodi-
„ giis fortasse cœlestibus vos ereptum iri spe-
„ ratis? At nulli magis quam ignavis, Deos es-
„ se infestos & hostes, probè nostis. Quid jam
„ aliud? Siletis? Qvod si vos ignoratis, ego
„ verbum non amplius addam. Sed videmini
„ mihi, à me, quid faciendum sit, audire
„ velle. At ego id duntaxat à Vobis petam, ser-
„ vine an liberi esse malitis? Sed quid est?
„ Qnæstione hac mea offendimini? Rem ple-
„ nam esse injuriæ ac contumeliæ, vultu, ocu-
„ lis, frontibus, mihi offendere videmini? Inter-
„ rogari à me, utrum servitutem libertati præ-
„ feratis, indignum vestra dignitate putatis?
„ Scitote quæso me non dubitantem id à vobis
„ quæsisse, sed uti fortium virorum ad tuendam
„ libertattem, servituti collatam, animos magis
„ magisque incenderem. Nec igitur opus est,
„ ut ego hic de meo quidquam proferam: ar-
„ mis scilicet, corporibus, vita, libertatem esse
„ defendendam, in vestris, fortissimi Cives, ani-
„ mis hæc Consilia satis lego. Ad arma vero
„ paranda, quo magis quam belli nervo pecunia
„ Rempubl: egere, quis vestrum non videt?
„ Et

„ Et quem jam vestrum minus dare pæniteat,
„ ne plus longè amittat ? Jmò vero quis ve-
„ strum ultro partem bonorum exiguam
„ Reipubl: non offerat, ubi periclitatur totum?
„ ubi omnia & Reipubl: & privata bona in cer-
„ tissimo versantur discrimine ? Hanc mentem,
„ hoc ego vestrum consilium & vidi, & laudo.
„ Nec monendi itaque quid expediat, nec co-
„ hortandi mihi estis, meliores vos vobis offi-
„ cii erga Patriam monitores &c.

Figura hæc ad persuadendum perutilis. Ejus vulgariores formulæ: *Nunc ego vos consulo. Quid mihi faciendum putetis. Quæro quid acturi sitis? Videte quid futurum sit, Satis quid facto opus sit, vos intelligere mihi constat. Meo vos consilio minimè egere arbitror.* &c.

EXECRATIO *seu* JMPRECATIO? *Est figura, qua Orator malum alicui imprecatur.* Ut cum *Cicero Philip: 13.* ait: „ Quin tu abi, in
„ malam pestem malumque cruciatum. *&c.*

JRONIA, [relegata à nobis unà cum *Hyperbole*, quæ mox sequitur, à Tropis ad Figuras] *Est Figura, sensum indicans contrarium verbis.* Ut cum *Cicero in Verrem* ait: Non us-
„ que eò est improbus, non omnia eo in uno
„ sunt vitia, nunquam fuit crudelis, leniter ho-
„ minem clementerque accepit. *&c.* Quo loco crudelitatem Verris maximopere exagitat. Labienus popularem, clementemque se esse asseruit. *Cicero pro Rabirio* hanc Labieni clemẽtiam sic Jronicè laudat. „ Nam hæc Tua,
„ quæ te popularem clementemque delectant:
„ J. lictor, colliga manus, caput obnubila, ar-
„ bori

„ bori infelici suspendito; hæc tu homo lenis ac
„ popularis libentissimè commemoras, quæ non
„ hujus libertatis, mansvetudinisque sunt, nec
„ Romuli aut Nummæ Pompilii, sed Tarquinii
„ superbissimi atque crudelissimi Regis, ista sunt
„ cruciatus carmina.

Differt *Jronia* ab *Allegoria*, [quam etiam satius Figuram dixeris quàm Tropum] quod per *Allegoriam* aliud quidem dicitur, aliud intelligitur, sed seriò nullis scilicet admixtis jocis, vel ejusmodi simulatione dictorum, quæ, ridendo, aliquem perstringerent, ut patet in hac insigni Allegoria *Ciceronis in Pisonem*; " Neque
" tam fui timidus, ut qui in maximis turbinibus
" ac fluctibus Reipublicæ navem gubernassem,
" salvamque in portu collocassem, frontis Tuæ
" nubeculam, aut Collegæ tui contaminatum
" Spiritum perhorrescerem. Alios ego vidi
" ventos, alias prospexi animo procellas, aliis
" impendentibus tempestatibus non cessi, sed
" unum me pro omnium salute obtuli. In qua Allegoria, seriò, & sine ullo jocandi modo, dicitur: de turbinibus, de fluctibus, de navis gubernatione, de ventis, de procellis, de tempestatibus; intelligitur autem: conspiratio Catilinaria, Reipublicæ administratio, simulrates & pericula domestica &c. *Jronia* vero tunc est, cum aut aliquem simulata laudatione falsè & ingeniosè perstringimus, vel vituperando facetè laudamus, vel ad contrarium nostræ sententiæ per jocum hortamur. Ut si quis, volens perstringere eos Cives, qui curam Reipublicæ negligunt, ita diceret: " Bene rectèque agitis
" Cives, dum abjecta Reipubl: cura, privatæ rei
" augendæ toti incumbitis, insudatis, omnem-
" que

„ que collocatis operam. Quid est enim ista Res-
" publica? nisi quædam rei quæ non est, quæ
" non existit, quæ non vivit, fictio & imago?
" cum contra, nos revera existimus, sumus, vi-
" vimus. Fictitiæ ergo rei salutem, bona, com-
" moda, nostris singulorum commodis, saluti,
" bonoque, nos vanè præferemus? Ridendi
" profecto sapientes illi veteres, prisci illi Græ-
" ci, Romanique Heroes, imo & nostratium
" plurimi, eorum simii, qui vanis Rerumpubli-
" carum imbuti principiis, & nescio quo afflati
" spiritu, Rempubl: Patriamque incolumem,
" propriæ incolumitati, vitæ, fortunisque præ-
" tulerint, qui se suaque omnia, homines pro-
" pemodum fatui, pro Patriæ salute devove-
" rint: quos nihil, nisi Reipubl: gloria, nisi Pa-
" triæ caritas, totos occuparit, ac in omne pe-
" riculorum genus imprudentes conjecerit. Nos
" prudentiores, nos meliores, qui præ inanibus il-
" lis Patriæ ac Reipublicæ simulacris, præ ali-
" orum, quod nostra nihil interfit, bono, nostris
" rebus, nostris propriis rationibus, & utilitati-
" bus duntaxat, prospicimus, nec vanis illis Pa-
" triæ ac Reipublicæ nominibus illudi nobis si-
" nimus. Nos profecto confictam illam in ve-
" ram, quaque re ipsa frui liceat, felicitatem,
" mutamus, rectiusque præjudiciis majorum e-
" xuti, non publica sed nostra curando, sapi-
" mus. Sit ergo Patriæ, sit Reipublicæ, uti Di-
" is placet & libet, dum nos locupletes, felices,
" clari, fortunatique simus. *&c.*

In hoc exemplo aliud quidem dicitur, aliud vero intelligitur, sed joci, facetiæ, & irrisio in

in illo adhibetur, quod dum fit, non *Allegoria*, sed *Ironia* inde nascitur.

HYPERBOLE, *Est Figura, quæ rem auget vel minuit, supra vel infra veritatem, cum judicio tamen & prudentia.* Sic *Cicero pro Marcello* Cæsarem per *Hyperbolen*, laudat. " Nul-
" lius tantum est flumen ingenii, nulla dicendi
" aut scribendi tanta vis, tantaque copia, quæ
" non dicam exornare, sed enarrare, C. Cæsar,
" res tuas gestas possit *&c.* Vereor, ut hoc quod
" dicam, non perinde intelligi auditu possit, at-
" que ego ipse cogitans sentio. Ipsam victori-
" am vicisse videris, cum ea ipsa, quæ illa erat
" adepta, victis remisisti. *Sic de Divo Hieronymo per Hyperbolen, dictum:* "Nemo scivit,
" quod Hieronymus nesciverit. Sic *De Cicerone illud:* " Par imperio Romano ingenium. *&c.*

Hæ & similes sunt Hyperbolæ prudentes. Jam si, ut quidam de Ductore militum ab hoste cæso, dixerit: *Oppugnarunt membra, ceu Provincias, caput ceu Imperium.* Aut ut alii alias: *Sapientia omnes & gloria superasti, armis & marte nemini secundus, &c.* ridiculæ imprudentesque Hyperbolæ sunt.

CONGERIES, *Est tunc: cum multa simul conglobantur, vel ejusdem generis, vel eòdem pertinentia.* Uti sunt: multæ ejusdem rei, vel causæ, vel effectus, vel partes, vel qualitates, vel epitheta. *Vg:* „ Qui Comitia rumpunt,
„ Rempublicam pessundant, Regnum ingenti
„ afficiunt damno, Patriam Hosti inermem ob-
„ jiciunt, modum omnem defendendæ eripi-
„ unt, Libertatem funditus convellunt, Ærari-
„ um

„ una Reipublicæ ad incitas redigunt, fortunas
„ vitasque Civium prædæ exponunt, odia, di-
„ ſcordiasque incendunt, gloriam Gentis liberæ
„ proſtituunt, ignominia nomen Polonum apud
„ Exteros operiunt. Domi juſtitiam omnem tol-
„ lunt. Religionem profanant. En quomodo
congeſti ſunt breviter, malè diſſolutorum Co-
mitiorum, effectus.

Item: „ Homo mendax: verſipellis, per-
„ fidus, ad pejerandum paratiſſimus, avarus,
„ rapax, violentus, ſemper temulentus, ſtulti-
„ tiæ ac imprudentiæ pleniſſimus, obtrectator
„ & conviciator Bonorum, audacia & impieta-
„ te incredibili &c. Hæc figura, in qua multa
ejusdem generis & modi, ſimul coacervantur,
cum aliis ſuperioribus ſolet convenire Figuris.

DEFINITIO, *Eſt Figura, qua una plurè-
busve denominationibus, res aliqua explicatur.*
Ut cum *ait Cicero.* „ Vidimus templum San-
„ ctitatis, amplitudinis, mentis, conſilij publici,
„ caput Urbis, aram Sociorum, portum omnium
„ Gentium, ſedem ab univerſo Populo conceſ-
„ ſam uni Ordini, inflammari, excindi, fune-
„ ſtari.

Item: „ Iſte verò prædo bonorum, ma-
„ lorum Civium clipeus, peſtis & fax Reipubl.,
„ odiorum Civilium flamma, Juris honeſtique
„ contemptor, everſor Legum, hoſtis Patriæ,
„ opum ſuarum & alienarum vorago, virtutis
„ omnis inimicus, flagitiorum omnium mon-
„ ſtrum.

SENTENTIA, *Eſt enuntiatio quædam, continens aliquod generale principium, quod ad vitam*

vitam, mores, Politicen, vel Regimen Reipublicæ, pertinet.

Figura hæc eſt: & pulcherrimum Oratio-
nis ornamentum, & ſolidi ingenii, prudentiæ,
juidiciique in Oratore teſtimonium. Oritur au-
tem: cum reflectitur animus ad ea, quæ dicun-
tur, obſervat in re de qua tractat, quid elici ex
ea poſſit, quod ad mores vel Rempublicam ſpe-
ctet, atque utile cunctis videatur. Parcè id ta-
men faciendum eſt, & rarius, Omne enim ni-
mium eſt vitium. Continuis velle fluere ſenten-
tiis, affectationis genus eſt.

Brutus ad Ciceronem ſcribit: fixum ſibi
eſſe in animo, Romam amplius non redire, ſed
alibi à ſervitute Octavij Auguſti, liberum vivere.
„ A ſervientibus [inquit] abero, mihique eſſe ju-
„ dicabo Romam, ubicunque liberum eſſe lice-
„ bit: *Quid eſt enim melius, quam memoria re-
„ ctè factorum & libertate contentum, negligere
„ humana?*

Idem Brutus in ſummo Reipublicæ diſ-
crimine, Ciceronem hortatur ad conſtantiam,
quò enim ſpectabilior in Republica ſit Cicero,
eò cum majoribus periculis illi conflictandũ ſit.
„ Te Cicero, [inquit] rogo atque hortor ne de-
„ fatigare, neu diffidas. Fortem & liberum ani-
„ mum, quo & Conſul & conſularis Rempubli-
„ cam vindicaſti, ſine conſtantia, nullum eſſe
„ putâris. Fateor enim: *duriorem eſſe conditi-
„ onem ſpectatæ virtutis, quam incognitæ.*

Laterenſis Vir Romæ ſpectatiſſimus, di-
gniorem ſe Plancio eſſe ad munus Ædilis, mul-
tis Populo Romano perſuadere conatus eſt. Ci-
cero

cero defensor Plancii ita Laterensem alloquitur: „ Quid tú? dignitatis Judicem putas Populum? „ *Ut semper Populus dignitatis iniquus Judex est, qui aut invidet, aut favet.*

Pompejum Cicero commendat Populo, ut eum contra Mitridatem Imperatorem eligat. Inter alia dicit: Ob ejus in bellis felicitatem perpetuam, eum Ducem belli deligendum esse. „ Ego enim [inquit,] sic existimo, Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, & cæteris Magnis Imperatoribus, non solum propter virtutem, sed etiam propter fortunam sæpius Imperia mandata, atque Exercitus esse commissos. *Fuit enim profecto summis Viris, quædam ad res magnas bene gerendas, divinitus semper adjuncta fortuna.*

Plinius laudat Pomponium, quod sapienter otio in senectute utitur. „ Jtâ senescere, [inquit,] oportet Virum, qui Magistratus amplissimos gesserit, Exercitus rexerit, totumq; se Reipublicæ, quamdiu decebat, obtulerit. Nam: *& prima vitæ tempora, & media, Patriæ, extrema, nobis ipsismet debemus.* Ut ipsæ leges monent, quæ majores annis sexaginta, otio reddunt.

Idem Plinius narrat quod apud Viennenses in Gallia sublati sint Agonales Ludi, qui & Romæ mores multorum inficiebant. „ Placuit, [inquit,] Agona tolli, qui mores Viennensium infecerat, ut Noster hîc, omnium. [id est: ut noster Romæ Lusus Agonalis infecit mores omnium] Nam Viennensium vitia, inter ipsos resident, nostra, [id est Romana] latè

„ tè vagantur. *Utque in corporibus sic & in Imperio, gravissimus est morbus, qui à capite diffunditur.*

Idem laudat Antoninum cum à multis, aliis tum inprimis, à jucunditate & quadam inter amicos remissione seu relaxatione animi. „ Quod semel, [inquit] atque iterum Consul fuisti similis Antiquis, quod Proconsul Asiæ, qualis ante te, qualis post te, vix unus aut alter. Quod sanctitate, quod auctoritate, ætate quoque Princeps Civitatis es; est istud venerabile & pulchrum. Ego tamen te vel magis in remissionibus miror. Nam: *severitatē pari jucunditate condire, summæ gravitati tantum Comitatis adjungere, non minus difficile, quam magnum est.*

Sed continuo & ubique in bonis Scriptoribus ac Oratoribus tales occurrunt Sententiæ. Ex his vero paucis. Juvenes satis intelligent, quid sit sententia, quantum luminis Orationi vel Epistolæ affundat, quamque præclarè hinc inde in Oratione rebus immiscenda sit.

Hactenus de Figuris. Ad quarum calcem, admonendi sunt Eloquentiæ studiosi, matura in adhibendis illis prudentia opus esse. Principio imprimis lenis semper Oratio fluat, paulatim ea, quæ simpliciter prolaturus eras, Interrogationibus, Apostrophe, Communicatione, Antithesi, Concessione, Congerie, Hipothiposi, Sententia, Jronia, similibusque exorna, & sensim dicenda attolle. A te ipso quære: ratio hæc, cogitatio hæc præsens, an non melius aliqua exprimeretur figura? hac ne vel illa potius? aut

aut si ipsamet Figura se se offert ac influit, eam arripe. Memineris tamen vix Oratorem esse, qui figurarum ornamentis non utitur. Nihilominus affectatam, nimium que nihil sit. Sed Ciceronis ac Demosthenis lectione, plus quam Præceptis omnibus, usum Figurarum condisces.

In excellenti hoc è Paradoxis tracto Ciceronis exemplo, curet Magister, quæso, à suis Discipulis observari figuras.

Cicero hanc Stoicorum Sententiam propugnat: *quod honestum sit, id solum bonum esse.*

„ Vereor ne cui vestrum ex Stoicorum „ hominum disputationibus, non ex meo sensu „ deprompta hæc videatur Oratio. Dicam ta„ men quod sentiam, & dicam brevius, quam „ res tanta dici possit. Nunquam me hercule „ ego neque pecunias istorum, neque tecta ma„ gnifica, neque opes, neque Imperia, neque „ eas quibus maximè adstricti sunt, voluptates, „ in bonis rebus esse numerandas duxi, quippè „ cum viderem, homines rebus his circumflu„ entes, ea tamen desiderare maximè, quibus a„ bundarent. Neque enim unquam expletur, „ nec satiatur cupiditatis sitis: neque ea solum, „ quæ habent, libidine augendi cruciantur, sed „ etiam amittendi metu. In quo equidem con„ tinentissimorum hominum, Majorum Nostro„ rum, sæpe requiro prudentiam, qui hæc im„ becilla, & commutabilia, pecuniæ membra, „ solo verbo Bona putaverunt appellanda, cum „ re, ac factis longè aliter judicavissent. Po„ testne bonum cuiquam malo esse? aut po„ test

„ test quisquam in abundantia bonorum ipse „ esse non bonus? Atqui ista omnia talia vide„ mus, ut etiam improbi habeant, & obsint „ probis. Quamobrem, licet, irrideat, si quis „ velit: plus apud me vera ratio valebit, quàm „ vulgi opinio, neque ego unquam illum bona „ perdidisse dicam, si quis pecus, aut supelle„ ctilem amiserit: nec non sæpe laudabo sapiẽ„ tem illum Biantem, ut opinor, qui enume„ ratur inter septem sapientes: cujus cum Pa„ triam Prienen cæpisset hostis, cæterique ita „ effugerent, ut multa de suis rebus secum a„ portarent: cum esset admonitus à quodam, „ ut idem ipse faceret: ego verò, inquit, facio, „ nam omnia mea porto mecum. Ille hæc lu„ dibria fortunæ, ne sua quidem putavit, quæ „ nos appellamus etiam bona. Quid est igitur, „ quæret aliquis, bonum? si quid rectè sit, & „ honestè, & cum virtute, id bene fieri, & re„ ctè dicitur: & quod rectum, & honestum, & „ cum virtute est, id solum opinor bonum. Sed „ hæc videri possunt obscuriora, cum sine ap„ positione exemplorum lentiùs disputantur. „ Vita, atque factis illustranda sunt summorum „ virorum hæc, quæ verbis subtilius, quam fa„ tis est, disputari videntur. Quæro enim à vo„ bis, num ullam cogitationem habuisse vide„ antur, ij, qui hanc Rempublicam tam præcla„ rè fundatam nobis reliquerunt, aut auri, aut „ argenti ad avaritiam, aut amenitatum ad de„ lectationem, aut supellectilis ad delicias, aut „ epularum ad voluptates? Ponite ante oculos „ unumquemque Regum. Vultis incipiam à

Romu-

„ Romulo. Vultis post liberam Civitatem, ab ijs
„ ipsis, qui liberaverunt eam. Quibus tandem
„ gradibus Romulus ascendit in Cœlum? ijsne
„ quæ isti bona appellant? an rebus gestis, at-
„ que virtutibus? Quid autem Numa Pompi-
„ lius? Minùsne gratas Diis Immortalibus cu-
„ pedines, ac fictiles urnulas fuisse, quàm de-
„ licatas aliorum pateras arbitramur? Omit-
„ to reliquos: sunt enim omnes pares inter se,
„ præter superbum. Brutum verò si quis ro-
„ get, quid egerit in Patria liberanda: si quis
„ item reliquos ejusdem consilij socios, quid
„ spectaverint, quid secuti sunt: num quis ex-
„ sistat, cui voluptas, cui divitiæ, cui denique
„ præter officium fortis & magni Viri, quid-
„ quam aliud propositum fuisse videatur? Quæ
„ res ad necem Porsennæ Quintum Mutium
„ impulit, sine ulla spe salutis suæ? Quæ vis
„ Horatium Coclitem contra omnes Hostium
„ Copias tenuit in ponte solum? quæ Patrem
„ Decium, qui filium devovit, atque immisit in
„ armatas hostium copias. Quid continentia C.
„ Fabricij, quid tenuitas victus M. Curij seque-
„ batur? Quid duo propugnacula belli Punici,
„ Cn: & P. Scipiones, qui Carthaginensium ad-
„ ventum, corporibus suis intercludendum pu-
„ taverant? Quid Africanus Major? quid Minor?
„ Quid inter horum ætates interjectus Cato?
„ Quid innumerabiles alij? nam domesticis e-
„ xemplis abundamus. An putamus quenquam
„ horum cogitasse quidquam in vita sibi expe-
„ tendum, nisi quod laudabile esse, & præcla-
„ rum videretur? Veniant igitur irrisores hujus
Ora-

" Orationis, ac Sententiæ: & jam vel ipsi judi-
" cent, utrum se horum alicujus, qui Marmo-
" reis tectis, ebore, & auro fulgentibus, qui si-
" gnis, qui tabulis, qui cælato auro, & argento,
" qui Corinthiis operibus abundant, an C. Fa-
" bricii, qui nihil eorum habuit, nihil habere
" voluit, similes esse malint? Atque hæc qui-
" dem, quæ modò huc, modò illuc transferun-
" tur, facilè adduci solent, ut in rebus bonis esse
" negent, illud tamen arctè tenent, accuratèque
" defendunt, voluptatem esse summum bonum.
" Quæ quidem mihi vox pecudum videtur esse,
" non hominum. Tu, cum tibi sive Deus, sive
" mater, [ut ita dicam] rerum omnium, natura,
" dederit animum, quo nihil est præstantiùs,
" neque diviniùs: sic te ipse abijcies, atque pro-
" sternes, ut nihil inter te, atque inter quadru-
" pedem aliquid putes interesse? Quidquamne
" bonum est, quod non eum, qui possidet me-
" liorem faciat? Ut enim quisque est maximè
" boni particeps, ita & laudabilis maximè: ne-
" que est ullum bonum, de quo non is, qui id
" habeat, honestè possit gloriari, quid autem est
" horum in voluptate? Melioremne efficit, aut
" laudabiliorem Virum? an quisquam in poti-
" undis voluptatibus gloria se se, & prædicati-
" one effert? Atqui si voluptas, quæ plurimo-
" rum patrociniis defenditur, in rebus bonis
" habenda non est: eaque quo est major, eo
" magis mentem è sua sede, & statu dimovet:
" profectò nihil est aliud benè, & beatè vivere,
" nisi honestè, & rectè vivere.

§. VI.

De Styli Generibus.

21. *Quid est Stylus ?*

Est ratio illa bene ornatèque dicendi, quam quisque Orator, vel pro naturæ suæ vi ductuque, vel ex aliorum imitatione sequitur.

Dicitur proinde: *Stylus Ciceronis, Stylus Salustij, Taciti, Plinii, Senecæ &c.* In quibus Stylis dicendi, singularis & propria quædam cuique ratio, observari potest.

22. *Quotuplex est Stylus ?*

Duplex imprimis: Amplior & Concisus.

STYLUS AMPLIOR ille est, qui penitus ductum Naturæ sequitur, minimè coarctatur, latiore quodammodo semper, angustiore, ubi ipsa res exigit, fluit alveo: inutilè nihil in verbis, sed copia quædam fluxusque verborum ceu fluminis, quorum quodvis sensa animi magis magisque explicat, & Orationem exornat. Tantum tamen abest, vox ut in eo aliqua superflua sit, omnes ut potius necessariæ, atque ad hunc locum natæ esse videantur: ita quidem, ut nulla etiam severior *critice* aliquam castigare aut demere possit. Brevibus: quæ multis omnino egent verbis, multis hic Stylus ea exprimit, quæ paucis expedienda sunt, paucis expedit. Et tatis Sty-

Stylus Ciceronis est, talis esset, si rostra conscenderet, ipsiusmet naturæ.

Jn Catilinam ejusque conjuratos Comites, ut urbe excedant, Ducemque sequantur profugum, ita *Cicero*: "Hunc verò si sui "fuerint Comites secuti, si ex Urbe exie- "rint desperatorum hominum flagitiosi gre- "ges: O nos beatos, ô Rempubl: fortunatam, "ô præclaram laudem Consulatus mei! Non "enim jam sunt mediocres hominum libidines, "non humanæ audaciæ ac tolerandæ. Nihil "cogitant: nisi cædes, nisi incendia, nisi rapi- "nas. Patrimonia sua profuderunt, fortunas "suas abligurierunt. Res eos jam pridem, fi- "des deficere nuper cæpit: eadem tamen illa, "quæ erat in abundantia, libido permanet. "Quod si in vino & alea comessationes solum "& scorta quærerent, essent illi quidem de- "sperandi, sed tamen ferendi. Hoc verò quis "ferre possit, inertes homines fortissimis viris "insidiari, stultissimos prudentissimis, ebriosos "sobriis, dormientes vigilantibus? qui mihi "accubantes in conviviis, complexi mulieres "impudicas, vino languidi, conferti cibo, sertis "redimiti, ungventis obliti, debilitati stupris, "eructant sermonibus suis cædem bonorum, "atque urbis incendia. Quibus ego confido "impendere fatum aliquod & pænas, jam diu "improbitati, nequitiæ, sceleri, libidini debi- "tas, aut instare jam planè, aut certè jam ap- "propinquare. Quos si meus Consulatus, quo- "niam sanare non potest, sustulerit, non breve "nescio quod tempus, sed multa sæcula propa-

 "garit

" garit Reipublicæ. Nulla est enim Natio quam
" pertimescamus: nullus Rex, qui bellum Po-
" pulo Romano facere possit. Omnia sunt ex-
" terna, unius virtute, terra marique pacata.
" Domesticum bellum manet: intùs insidiæ
" sunt: intùs inclusum periculum est: intùs est
" hostis. Cum luxuria nobis, cum amentia, cum
" scelere certandum est. Huic ego me bello
" Ducem profiteor Quirites. Suscipio inimici-
" tias hominum perditorum. Quæ sanari pote-
" runt, quacunque ratione sanabo, quæ rese-
" canda erunt, non patiar ad perniciem Civita-
" tis manere. Proinde aut exeant, aut quie-
" scant: aut, si & in Urbe, & in eadem mente
" permaneant, ea quæ merentur expectent.

Vident hic Adolescentes & longiora & breviora: incisa, membra, periodos, amplitudinemque Ciceronianæ Eloquentiæ; Sed totus exscribendus esset, ubique enim est sui similis.

STYLUS vero CONCISUS est ille, qui paucioribus quam potest verbis multa includit, incisa brevia, periodos breves amat, sese ubique coarctat, qui si è natura alicujus profluit, placet, si imitationem affectat, ridetur.

Plinius, Nervam, qui adoptavit Trajanum; & Trajanum, Trajani verum Patrem, ita alloquitur: " Quanto nunc Dive Nerva, gaudio
" frueris, quum vides & esse optimum, & dici,
" quem tanquam optimum elegisti. Quam læ-
" tum Tibi quod comparatus filio tuo, vinceris.
" Neque enim alio magis approbatur animi tui
" magnitudo, quam quod optimus ipse non ti-
" muisti eligere meliorem. Sed & tu Pater Tra-
" jane

" jane [nam & tu quoque si non sidera, proxi-
" mam tamen sideribus obtines sedem] quantam
" percipis voluptatem? quum illum Tribunũ,
" illum Militem tuum, tantum Imperatorem,
" tantum Principem cernis, cumque eo, qui
" adoptavit amicissimè contendis: pulchriusne
" fuisset, genuisse talem, an elegisse? Macte u-
" terque ingenti in Rempubl: merito, cui hoc
" tantum boni contulistis. &c.

Tacitus inducit Severum Cecinam, qui suadebat: ne Maritos suos, Uxores sequerentur in Provincias, quæ illis erant demandatæ:
" Haud frustra placitum olim: ne fæminæ, in So-
" cios, aut Gentes externas traherentur. Inesse
" Mulierum comitatui, quæ pacem luxu, bellum
" formidine morentur, & Romanum agmen, ad
" similitudinem barbari incessus convertant.
" Non imbecillum tantum & imparem labori-
" bus sexum esse, sed si licentia adsit, sævum,
" ambitiosum, potestatis avidum. Incedere inter
" milites, habere ad manum Centuriones. Præ-
" sedisse nuper fæminam exercitio cohortium,
" decursui legionum. Cogitarent ipsi, quoties
" repetundarum aliqui arguerentur, plura uxo-
" ribus objectari. His statim adhærescere deter-
" rimum quemque Provincialium: Ab his ne-
" gotia suscipi, transigi. Duorum egressus coli,
" duo esse Prætoria. Pervicacibus magis & im-
" potentibus mulierum jussis, quæ Oppiis quon-
" dam aliisque legibus constrictæ, nunc vincu-
" lis exolutis, Domos, forajam & exercitus re-
" gerent.

Sallustius inducit Manlii Legatos, qui crimine

mine seditionis apud Quintum Marcium, purgant excusantque Plebem, quæ ob miseriam suam ac Fæneratorum crudelitatem, arma arripuerat. „ Deos hominesque testamur, Impe-
„ rator, nos arma neque contra Patriam cæpis-
„ se, neque quo periculum aliis faceremus; sed
„ uti corpora nostra, ab injuria tuta forent: qui
„ miseri, egentes, violentia atque crudelitate
„ Fæneratorum, plerique Patria, sed omnes fa-
„ ma, atque fortunis, extorres sumus. Neque
„ cuiquam nostrum licuit, more Majorum lege
„ uti, neque amisso Patrimonio corpus libe-
„ rum habere, tanta sævitia Fæneratorum at-
„ que Prætoris fuit. Sæpè Majores vestri mi-
„ serti Plebis Romanæ, decretis suis inopiæ e-
„ jus opitulati sunt: ac novissimè memoria no-
„ stra propter magnitudinem æris alieni, vo-
„ lentibus omnibus bonis, argentum ære solu-
„ tum est. Sæpe ipsa Plebs, aut dominandi stu-
„ dio permota, aut superbia Magistratuum ar-
„ mata, à Patribus secessit. At nos non Imperi-
„ um, neque divitias petimus, quarum rerum
„ causa, bella atque certamina omnia inter mor-
„ tales sunt: Sed Libertatem, quam nemo bo-
„ nus, nisi cum anima simul amittit. Te, atque
„ Senatum obtestamur: consulatis miseris Civi-
„ bus, Legis præsidium, quod iniquitas Præto-
„ ris eripuit, restituatis, neque nobis eam neces-
„ situdinem imponatis, ut quæramus, quonam
„ modo, maximè ulti sanguinem nostrum, pe-
„ reamus.

Livius inducit Legatos Faliscorum ad Senatum Rom: loquentes, qui se ei ultrò dediderunt, cum

cum Camillus Proditorem Ludi Magistrum, cum pueris Illustrium Civium, ad eos remisisset. „ Patres Conscripti, victoria cui nec
„ Deus, nec homo quisquam invideat, vi-
„ cti à vobis & Imperatore Vestro, dedi-
„ mus nos vobis, rati, quo nihil victori pul-
„ chrius est, melius nos sub Imperio Vestro
„ quam legibus nostris, victuros. Eventu hujus
„ belli, duo salutaria exempla prodita humano
„ generi sunt: Vos fidem in bello, quam præ-
„ sentem victoriam, maluistis; nos fide provo-
„ cati, victoriam ultrò detulimus. Sub ditione
„ vestra sumus. Mittite, qui arma, obsides,
„ qui Urbem patentibus portis accipiant. Nec
„ Vos fidei nostræ, nec nos Imperij Vestri pæ-
„ nitebit.

Seneca, de brevitate vitæ. " Quid ergo
" est in causa? tanquam semper victuri vivitis:
" nunquam vobis fragilitas vestra succurrit.
" Non observatis quantum temporis transierit.
" Velut ex pleno & abundanti perditis. Cum
" interim fortasse ille ipse, alicui vel homini, vel
" rei donatus, ultimus dies sit. Omnia tanquam
" mortales timetis, omnia tanquam immortales
" concupiscitis. Audies plerosque dicentes: à
" quinquagesimo in otium secedam, sexagesi-
" mus annus, ab officiis me dimittet. Et quem
" tandem longioris vitæ prædem accipis? quis
" ista, sicut disponis, ire patietur? Non pudet
" te reliquias vitæ tibi reservare, & id solum
" tempus bonæ menti destinare, quod in nul-
" lam rem conferri possit? Quam serum est,
" vivere incipere, cum desinendum est. Quæ
" tam

" tam ſtulta mortalitatis oblivio? in quinqua-
" geſimum & ſexageſimum annum differre ſa-
" na conſilia, & inde velle vitam inchoare, quo
" pauci perduxerunt?

Hæc elegantia Styli conciſi exempla ſufficiant. Qui Plinii, Saluſtii, Taciti, Senecæ, ingenium nactus eſt, ita ſcribat. Sed noſtri quidã Lipſij, Puteani, Fredrones, ineptiunt. Imitatio coacta & extorta iſtorum, fons ſemper fuit, eſt, & erit ſemper depravatiſſimæ Eloquentiæ. Sibi iſti videntur ubique mirabiles, & tales nobis ubique ſingulis inciſis videri volunt, ſed nugaces ſunt, & nugantur. Conceptus eorum & acumina, levitatis & pueritiæ plena ſunt. Qui ſapit, naturam & Ciceronem ſequatur. Aut ſi ita libet, nimium ſicci: Ciceroniana fæcunditate, nimium fæcundi: aliorum Oratorum in verbis parſimonia, Eloquentiam temperent.

23. *Quotuplex eſt iterum Stylus?*
Triplex: Stylus Infimus, Mediocris, & Summus.

STYLUS INFIMUS eſt ille, qui naturaliter, aquæ inſtar tranquillæ, purus limpidusque fluit, nullibi tumeſcit, planè decurrit, cogitationes ſumma facilitate explicat, ornamenta, niſi quæ ipſa obvient, ſe ſeque offerant, non procatur, docendo aptiſſimus, ad ſuadendam quamvis rem, & explananda quævis negotia, ipſa claritate, facilique dicendi ratione idoneus. Talis: Orationibus & Epiſtolis, Librisque: ubi Rejpubl: conſulitur, ubi negotia quævis publi-

publica & privata aguntur, ubi de moribus tractatur, ubi præcepta quævis traduntur, peridoneus eſt; in Pòéſi in Satiris locum habet. Nec ideo, quia vocatur infimus, parvi habendus eſt; Nihil enim illo prudentius, utilius, aut frequentius.

Sit exemplo hujus Styli, ſummus ille inter Græcos Oratores *Iſocrates*, qui *Nicoclem Salaminis Cypriæ Regem* verba facientem ad populum, inducit. Qua Oratione Rex Optimus ſe ſe Populo imitandum proponit, & ijſdem præcepta vivendi tradit. *Iſocrates* verò in Perſona Regis *Nicoclis*, ſuos alloquentis, *Athenienſibus* ſuis Civibus hoc pulcherrimo Sermone, doctrinam morum exponit. Digna hæc Oratio, uti omnes aliæ ejusdem Oratoris, quæ tota prælegatur Juvenibus: nos ex illa eam duntaxat excerpimus partem, qua juſtitiam, & temperantiam, ſeu caſtimoniam edocet.

" Arbitror confiteri omnes, inter virtutes
" cæteras, juſtitiam & temperantiam, præſtan-
" tiſſimas eſſe. Nam ſi velimus ſpectare & na-
" turas, & poteſtates, & uſus rerum, reperie-
" mus, res eas, quæ cum his non conjungun-
" tur virtutibus, magnorum eſſe cauſas malo-
" rum, quæ verò per juſtitiam & temperanti-
" am fiunt, plurimum vitæ hominum prodeſſe.
" Quod ſi qui veterum ob has virtutes ſpecta-
" ti fuerunt, arbitror etiam convénire, ut ego
" ipſe apud vos eandem hanc gloriam aſſequar.
" Ac juſtitiam, quidem, qua ſum præditus, hinc
" maximè videatis. Nam quo tempore in Im-
" perio fui conſtitutus, cum Regiam quidem
" acce-

" accepissem, pecuniarum vacuam, & omnia
" deprehendissem absumpta, res vero perturba-
" tione plenas, quæ multam diligentiam &
" sumptus requirerent: cumque scirem, alios,
" tali in tempore, res suas omni modo, etiam
" per fas & nefas sarcire esse solitos, imo, ple-
" rosque Principes etiam non malos, quando-
" que cogi, ut multa præter ingenium suum a-
" gant committantque: attamen à nihilo isto-
" rum corruptus sum, nec ulla rerum penuria,
" ad injustitiam aliquam comittendam me sum
" passus impelli: sed ita piè rectèque res cura-
" vi, ut nihil quod justum & æquum esset, præ-
" termissum sit ex iis, quorum ope augeretur
" Urbs, & ad majorem felicitatem perveniret.
" Nam & in Cives cum tanta mansvetudine me
" gessi, ut neque exilia, nec mortes, nec pecunia-
" rum jacturæ, nec ulla alia hujusmodi calami-
" tas, sub meo evenerit Imperio. Græcia verò
" cum nobis esset inaccessa ob bellum, quod
" tunc gerebatur, & nos ubique spoliaremur, ho-
" rum pleraque composui, aliis quidem omnia
" debita solvendo, aliis vero partem, at alios ut
" præstolarentur rogando, cum aliis verò ut
" potui controversias componendo. Tantum
" enim absum ab alienarum rerum cupiditate,
" ut alii quidem Principes, si paulo forte poten-
" tiores suis sint vicinis, eorum mox partem agri
" abscindant, & plus æquo possidere quærant:
" ego autem ne datam quidem mihi Regionem
" voluerim accipere, sed desiderarim potius
" cum justitia meum Regnum quamvis minus
" habere, quam per alicujus injuriam longè ma-
" jus

" jus mihi parare Imperium. At quid opus sin-
" gulis dicendis immorari? Constabit enim me
" neminem quidem unquàm injuria affecisse,
" pluribus verò & Civium & aliorum Græco-
" rum benè fecisse, & maiora dona utrisque de-
" disse, quam omnes simul qui ante me regna-
" runt. Enim vero oportet eos, qui ob justitiam
" gloriantur, & profitentur, se maiores esse
" quam quos vincere possit pecunia, de se ipsis
" illustria hujusmodi posse dicere.

Quin etiam de temperantia, adhuc his
" maiora habeo, quæ dicendo percurram. Cum
" enim scirem, omnes homines, plurimi facere
" liberos ipsorum, & Uxores, maximèque iis
" irasci, qui in hæc offendunt; cum scirem, con-
" tumeliam Uxoribus Liberisque illatam, ma-
" ximorum causam fuisse malorum, & ob hanc,
" multos olim, tam privatorum, quam poten-
" tum fuisse perditos: ita hæc crimina evitavi,
" ut ex quo Regnum susceperim, fidem illiba-
" tam, soli meæ Conjugi, constanti religione
" servaverim, conatusque sim semper, me ipsum,
" quam longissimè, vel ab ipsa, illiciti, cum qui-
" busvis Fæminis commercij, suspicione amo-
" visse. Cumque non ignorarem, quod isti eti-
" am apud Vulgus honorentur, qui in rebus,
" quæ ad Cives spectant, justi abstinentesque
" sunt, voluptatem ideo meam, cum aliorum in-
" juria, nunquàm & nusquàm quæsivi. Mores
" itaque meos, pro exemplari, volui aliis Civi-
" bus exhibere: non ignarus quod assolet Plebs
" in studiis iis vitam agere, in quibus Princi-
" pes suos degere vident. Deinde etiam con-
" ve-

" venire duxi: Reges, tanto meliores ut essent
" privatis, quanto majores quam illi sunt adepti
" honores; & iniquè eos agere, si qui alios qui-
" dem modestè vivere cogant, ipsi verò se ipsos
" subditis moderatiores non præstant. Ad hæc
" verò videbam, in cæteris quidem actionibus,
" plebem quoque sui esse potentem, at verò
" Viros nonnunquam vel Optimos, impares es-
" se, refrænandis ijs cupiditatibus, quæ è libi-
" dine brutalisque voluptatis appetitu, in ho-
„ minibus oriri excitarique solent. Volui igitur
„ in hisce rebus ostendere me esse continendi
„ potentem, in quibus, non solum alios essem
„ superaturus, verum etiam eos, qui ob cæte-
„ ras virtutes superbiunt, lascivia autem inho-
„ nesta labuntur, aliarumque virtutum laudem
„ in semet dehonestant. Præterea verò tales
„ homines, multæ iniquitatis condemnabam,
„ quot quot, cum Uxores duxerint, & totius
„ vitæ societatem cum iis inierint, ijs contenti
„ non sint, sed illas suis voluptatibus offendant,
„ à quibus expectant, ut ipsi in nulla re offen-
„ dantur. Et in aliis quidem societatibus, ac a-
„ micitiis se ipsos æquos præstant, in societate
„ vero cum uxore inita, contra amorem fidè-
„ que, quam in conjugio imprimis, sanctissimè
„ servare oportet, tam turpiter audacterque
„ delinquant, ubi quantò magis propria & majo-
„ ra sunt cum uxoribus fædera, tantò religio-
„ sius exactiusque ea observari, par est. De-
„ inde non animadvertunt multi Principes,
„ quam sæpè in ipsis Regiis, seditiones & di-
„ scordiæ, ob libidines & lascivias, malo eorum
exem-

„ exemplo, inter privatos invectas, oriantur.
„ Atqui eos qui rectè regnant, oportet conari,
„ ut non solum pace fruantur, illæ quibus im-
„ perant Urbes, verum etiam, ut in privatis do-
„ mibus & locis pax & tranquillitas habitent.
„ Omnia hæc temperantiæ munera & justitiæ
„ sunt.

„ Cum autem multa me hortarentur ut
„ harum virtutum studio insisterem, non mini-
„ mum me ad id, cogitatione hac incitari sen-
„ tiebam, quod plerumque etiam mali: Viri for-
„ tes, solertes, & cæterarum laudum participes
„ sint, temperantiam vero & justitiam, possessi-
„ ones esse solis bonis honestisque Viris pro-
„ prias. Pulcherrimum igitur existimavi, tali-
„ bus animum applicare virtutibus, quarum
„ nulla portio improbis contingit. Quod cum
„ ita censerem, præ ceteris temperantiæ studui
„ & justitiæ, quarum vobis in me specimen præ-
„ bere volui. Indigus enim pecuniarum re-
„ lictus, adeo justum me ipsum præbui, ut è Ci-
„ vibus offenderem neminem: potestatem au-
„ tem quidquid vellem faciendi nactus, tem-
„ perantior privatis fui, Hæc autem utraque
„ præstiti, eo tempore, ea ætate, in qua pluri-
„ mos inveniemus, maxime in agendo peccare.
„ Et hæc omnia apud alios dubitarem fortasse
„ dicere: vos autem omnium, quæ à me dicta
„ sunt, ipsi testes estis. Ideo verò plures ser-
„ mones feci de me ipso, nullam ut vobis ex-
„ cusationem relinquerem, quasi non vos op-
„ porteat, libenter & alacriter agere, quæcun-
„ que ipse imperavero, & consuluero &c.

Si

Si tali Stylo Senatus & Legatorum Curia ac Comitia omnia floruerint, quid ad Eloquentiæ desideraretur laudem?

STYLUS MEDIOCRIS, qui *infimo* est paulo superior, *sublimi* inferior: Ornamentis ex arte Oratoria abundat, acutiùs: cogitatis, & dictis, modisque dicendi rarioribus & elegantioribus oblectatur. Appellatur etiam *Stylus Floridus*. Talem in permultis Ciceronis Orationibus, ut: pro Roscio, Cluentio, Murena, Rabirio, Plantio, *&c.* talem plerisque locis, in ejus Oratoriis, ac Philosophicis Operibus, talem in elegantibus Historiæ Scriptoribus legas, talem in omnibus fere Ciceronis Pliniique Epistolis.

Plinius: Tacito commendanti *Nasonem*, respondet.

„ Commendas mihi Nasonem Candidatum, „ Nasonem mihi? quid si me ipsum? Fero tamen & ignosco. Eundem enim commendassem „ Tibi, si, Te Romæ morante, ipse adfuissem. „ Habet hoc sollicitudo, quod omnia necessaria „ putat. Tu tamen, censeo, alios roges. Ego „ precum tuarum minister, adjutor, particeps „ ero.

Cicero in *paradoxis* disputat: *se ipsam contentam esse virtutem. ad bene vivendum.*

„ Nec verò ego M. Regulum, ærumnosum, nec infelicem, nec miserum, unquam „ putavi. Non enim magnitudo animi ejus cruciabatur à Pænis, non gravitas, non fides, „ non constantia, non ulla virtus, non denique „ animus ipse, qui tot virtutum præsidio munitus

„ nitus, tantoque comitatu circumseptus, cum „ corpus ejus caperetur, capi ipse certè non „ potuit. Cajum vero Marium vidimus, qui mihi secundis in rebus unus ex fortunatis hominibus, in adversis, unus ex summis Viris videbatur, quo beatiùs esse mortali nihil potest. „ Nescis insane, nescis quantas vires virtus habeat. Nomen tantum virtutis usurpas: quid „ ipsa valeat, ignoras. Nemo potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex se se, quique in se uno, sua ponit omnia. Cujus autem „ ipes omnis, & ratio, & cogitatio pendet ex „ fortuna: huic nihil potest esse certi: nihilque „ quod explorarum habeat, permansurum ne unum quidem diem. Eum tu hominem terreto, „ si quem eris nactus, istiusmodi mortis, autexilij minis; mihi verò quidquid acciderit, in „ tam ingrata Civitate, ne recusanti quidem evenerit, non modò non repugnanti. Quid „ enim ego laboravi, aut quid egi, aut in quo „ evigilaverunt curæ & cogitationes meæ, siquidem nihil peperi tale, nihil consecutus „ sum, ut eo statu essem, quem neque fortunæ „ temeritas, neque inimicorum labefactaret injuria? Mortemne mihi minitaris, ut omnino ab hominibus: an exilium, ut ab improbis „ demigrandum sit? mors terribilis est ijs, quorum cum vita omnia extinguuntur, non iis, quorum laus emori non potest: exilium autem „ terribile illis, quibus quasi circumscriptus est „ habitandi locus: non ijs, qui omnem Orbem „ terrarum, unam Urbem esse ducunt. Te miseriæ, te erumnæ premunt omnes, qui te beatum, qui te florentem putas: tuæ libidines te „ tor-

„ torquent: tu dies, noctesque cruciaris, cui „ nec satis est, quod est, & id ipsum, quod habes, ne non sit diuturnum futurum, times; te „ conscientiæ stimulant maleficiorum tuorum: „ te metus exanimant judiciorum, atque legum: „ quocunque adspexisti, ut Furiæ, sic tuæ tibi „ occurrunt injuriæ, quæ te respirare non sinunt. Quamobrem ut improbo, & stulto, „ & inerti nemini bene esse potest: sic bonus „ Vir, & Sapiens, & fortis, miser esse non potest. Nec verò, cujus virtus, moresque laudandi sunt, ejus non laudanda vita est: neque „ porrò fugienda vita, quæ laudanda est, esset „ autem fugienda, si esset misera. Quamobrem „ quidquid est laudabile, idem & beatum, & „ florens, & expetendum videri debet.

SUBLIMIS SUMMUSQUE STYLUS ille est, qui vel pro rerum de quibus agit dignitate, vel animo graviter commoto supra usitatiorem dicendi modum, & cogitationibus, ac sententiis, & verbis, modisque dicendi, & figuris, ornamentisque Oratoriis elevatur. Magna in eo ubique omnia, & Majestate quadam plena. Pro ejus exemplo legi possunt, Orationes Ciceronis, ad Senatum, & Populum post reditum, pro lege Manilia, pro M. Marcello, contra Catilinam, Philippicæ. Demosthenis item Philippicæ. Partes multæ in Plinij Panegirico, Tragediæ Poetarum &c.

Exemplum ex Oratione pro *M. Marcello*: quem Victor *Julius Cæsar* hostem adversariumque suum, venia donatum, dignitati pristinæ Senatuique restituit.

„ Nul

„ Nullius tantum est flumen ingenij, nulla dicendi aut scribendi tanta vis, tantaque „ copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare, C. Cæsar res tuas gestas possit. Tamen „ hoc affirmo, & hoc pace dicam tua, nullam „ in his esse laudem ampliorem, quam eam, quam „ hodierno die consecutus es.

„ Soleo sæpe ante oculos ponere, idque „ libenter crebris usurpare sermonibus, omnes „ nostrorum Imperatorum, omnes exterarum „ Gentium, Potentissimorumque Populorum, „ omnes Clarissimorum Regum res gestas, cum „ Tuis, nec contentionum magnitudine, nec „ numero præliorum, nec varietate Regionum, „ nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine „ bellorum, posse conferri. Nec verò disjunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis non dicam cursibus, sed victoriis, illustratæ sunt.

„ Quæ quidem ego nisi ita magna esse „ fatear, ut ea vix cujusquam mens, aut cogitatio capere possit, amens sim, sed tamen sunt „ alia majora. Nam bellicas laudes, solent quidam extenuare verbis, easque detrahere Ducibus, communicare cum militibus, ne propriæ sint Imperatorum. Et certè in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia „ Sociorum, classes, commeatus, multum juvant. Maximam vero partem quasi suo jure „ fortuna sibi vindicat: & quidquid est prospere gestum, id pene omne ducit suum.

At vero hujus gloriæ C. Cæsar, quam es „ paulo ante adeptus, socium habes neminem.

 „ To-

" Totum hoc, quantumcunque eſt, quod cer-
" tè maximum eſt, totum eſt inquam tuum.
" Nihil ſibi ex iſta laude Centurio, nihil Præ-
" fectus, nihil Cohors, nihil Turma decer-
" pit. Quin etiam illa ipſa, rerum humanarum
" Domina, Fortuna, in iſtius ſe ſocietatem gloriæ
" non offert: Tibi cedit: Tuam eſſe totam, & pro-
" priam fatetur, nunquam enim temeritas cum
" ſapientia commiſcetur, nec ad conſilium ca-
" ſus admittitur.

Domuiſti Gentes immanitate barbaras,
" multitudine innumerabiles, locis infinitas,
" omni copiarum genere abundantes: ſed tamen
" ea viciſti, quæ & naturam, & conditionem,
" ut vinci poſſent, habebant. Nulla eſt enim tanta
" vis, tanta copia, quæ non ferro ac viribus de-
" bilitari, frangique poſſit. Verum, animum
" vincere, iracundiam cohibere, victoriam tem-
" perare, adverſarium, nobilitate, ingenio, vir-
" tute præſtantem, non modo extollere jacen-
" tem, ſed etiam amplificare ejus priſtinam di-
" gnitatem! Hæc qui faciat, non ego eum
" cum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo
" judico.

" Itaque C. Cæſar, bellicæ tuæ laudes,
" celebrabuntur illæ quidem, non ſolum no-
" ſtris, ſed penè omnium Gentium literis atque
" linguis, neque ulla unquam ætas, de tuis lau-
" dibus conticeſcet. Sed tamen ejusmodi res,
" neſcio quomodo, etiam cum audiuntur, aut
" dum leguntur, obſtrepi clamore militum vi-
" dentur, & tubarum ſono. At vero cum
" aliquid clementer, manſuetè, juſtè, modera-
" tè ſapienter, factum, in iracundia præſertim,
" quæ

" quæ eſt inimica Conſilio, & in victoria, quæ
" natura inſolens & ſuperba eſt, aut audimus,
" aut legimus: quo ſtudio incendimur, non modo
" in geſtis rebus, ſed etiam in fictis! ut eos ſæ-
" pe, quos nunquam vidimus, diligamus.

Te vero, quem præſentem intuemur, cu-
" jus mentem ſenſusque & os cernimus, ut,
" quidquid belli fortuna reliquum Reipubl: fe-
" cerit, id eſſe ſalvum velis, quibus laudibus ef-
" feremus? quibus ſtudiis proſequemur? qua
" benevolentia complectemur? Parietes, medi-
" us fidius, C. Cæſar, ut mihi videtur, hujus Cu-
" riæ, tibi gratias agere geſtiunt, quod brevi
" tempore futura ſit illa auctoritas, in his Ma-
" jorum ſuorum, & ſuis ſedibus. &c.

„ Hunc Tu igitur diem. Tuis maximis &
„ innumerabilibus gratulationibus jure antepo-
„ nes. Hæc enim res, unius eſt propria Cæ-
„ ſaris. Cæteræ Duce Te geſtæ, magnæ illæ
„ quidem, ſed tamen multo magnoque comita-
„ tu. Hujus autem rei, Tu idem es, & Dux &
„ Comes: quæ quidem tanta eſt, ut tropheis,
„ monumentisque Tuis, allatura ſit finem ætas.
„ [nihil enim eſt opere, aut manu factum, quod
„ aliquando non conficiat, non conſumat vetu-
„ ſtas] At vero, hæc Tua juſtitia & lenitas ani-
„ mi, floreſcet quotidie magis, ut quantum o-
„ peribus Tuis diuturnitas detrahet, tantum af-
„ ferat laudibus. Et cæteros quidem omnes
„ victores bellorum Civilium, jam ante æquita-
„ te & miſericordia viceras: hodierno die, Te
„ ipſum viciſti. Vereor, ut hoc quod dicam, non
" per-

„ perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse
„ cogitans sentio. Ipsam victoriam vicisse vi-
„ deris, cum ea ipsa, quæ illa erat adepta, vi-
„ ctis remisisti. Nam cum ipsius victoriæ con-
„ ditione, jure omnes victi occidissemus, cle-
„ mentiæ tuæ judicio conservati sumus. Re-
„ ctè igitur, unus invictus es, à quo etiam ipsi-
„ us victoriæ conditio, visque devicta est.
&c. &c.

Profecto hic dici potest: *Non dignius unquam, Majestas meminit se se Romana locutam.*

Sectatores affectati ineptique Styli hu-
„ jus, in vitium cadere solent, vani cujusdam
„ ridiculique, in dicendo scribendove tumoris,
„ & ampullatæ ut vocant Eloquentiæ, quæ ple-
nis semper inflatisque buccis intumescere, ac
ingentia semper crepare videtur. Ut noster
Historicus Kochovius aliique permulti. Nero-
nianus dici potest hic Stylus, cujus specimen
Persius prima Satyra producit: *Torva Mimal-
loneis implerunt cornua bombis, & raptum vi-
tulo caput ablatura superbo, Bassaris, & lyn-
cem Mænas flexura Corimbis, Evion ingeminat,
reparabilis assonat echo.* Jta ille, qui panegy-
ricum Joanni Tertio inscriptum, sic orsus est:
*Edormivisti tandem illam crapulam helluo hu-
mani sangvinis gradive! &c.* Talem dicendi
rationem tanquam fœdissimam eloquentiæ la-
bem pestemque, quæ præterito hocque sæculo
inoleverat, vitandam esse, Adolescentes com-
monendi sunt.

Tamen & contra, Stylus quidam ille ni-
mium

mium humilis, abjectus, repens, & nescio à
quo, non malè appellatus, culinarius, fugien-
dus omnino est: qui nihilominus Stylus, ob i-
gnorantiam, tot, ut eos vocant, Secretariorum,
in Curia & in Aulis Principum, Procerumque,
qui Epistolas, Edicta, vel Instrumenta publica,
latino sive Patrio idiomate scripturiunt, etiam
nostrum inficere, ac infamare non cessat sæcu-
lũ. *Vg. Serenissimus Rex Dominus meus Clemen-
tissimus, Magistratus Vestri homagio contenta-
tur, & respectuosissimam Vestram submissionem,
perclementissimè acceptat: sed monitoria auctori-
tate Magistratum Vestrum compellare dignatur,
ne Plebem adinventione novissimarum Contri-
butionum & angarisationum oneretis, ne in
privatis emolumentis, pecuniam contributam pro
vestro favore, ut deductum vobis est, consumatis,
& vertatis, sed in bonum & alleviationem poti-
us, pauperis plebeculæ, ac in Civitatis commu-
nes necessitates. &c.*

Jtaque in omnibus Styli tribus generibus,
contraria magnopere devitanda esse vitia, Stu-
diosi Eloquentiæ Juvenes, diligenter animad-
vertant. *Stylus* nimirum *infimus*, ne repat, &
crassam quandam ignorantiam sapiat. *Stylus
Mediocris* seu Floridus, ne lusu in verbis, pu-
tidis, ut vocant, conceptibus, imprudentibus le-
vibusque cogitationibus inficiatur: *Stylus Sub-
limis*, ne in ampullatam tumidamque Eloquẽ-
tiam degeneret. Cæterum norint, eundem O-
ratorem aut in diversis Orationibus, aut quan-
doque etiam in eadem, uti posse his tribus Sty-
li generibus, *Infimo, Mediocri*, & *Sublimi*, pro-
ut

ut exigit res & materia. Accomodanda eſt enim, dicendi ratio, rebus & perſonis: & materia ipſa prout in ſemet eſt, vel plano infimoque, vel paulo elatiore ſeu mediocri, vel ſublimi tractanda eſt Stylo.

§. VII.

De proprietate & delectu vocum.

NEgari nullomodo poteſt, bonum neminem, eſſe Oratorem, Scriptoremvè poſſe, qui ſive Latinam, ſive Patriam, ſive, quacunque utitur, perfectè non calleat linguam. Nihil enim Oratorem Scriptoremque, quamvis excellenter ſapienterq; etiam forte cogitet, magis inſulſum, nihil Orationem, magis facit inſipidam, quam aut imperitia, ejus qua utitur linguæ, aut negligentia, nullusque in ea optimarum vocum verborumque delectus.

Aliud vero eſt *proprietas*, aliud *delectus* vocum. *Proprietas* imprimis conſideranda. Vox *vg*: *præjudicium*, nihil aliud rectè ſignificat, quam *quod ante præceſſit judicium:* ut Cicero: *Cum is duobus præjudiciis jam damnatus eſſet.* Translatè quoque dicitur: ut: *præjudicia puerilis ætatis. Præjudicia Philoſophorum. &c.* Sed præterquam barbare *præjudicium*, pro *damno* ſive *jactura* uſurpari non poteſt. Jta in omni voce cujuscunque linguæ, quid propriè ſignificet, cumprimis ratio habenda eſt. Ad hanc quoque proprietatem vocum pertinet, ne inuſitatis apud veteres Scriptores Latinos [qui præ-

præſertim circa Anguſti ſæculum floruerunt,] in lingua latina utamur vocibus. Quamobrem qui eleganter & caſtigatè vult ſcribere, niſi in Dictionariis, Ciceronis, Cæſaris, Saluſtij, Livij, Cornelij Nepotis, Catonis, Varronis, *&c.* Jn Pòéſi verò, Terrentij, Lucretij, Catulli, Propertij, Virgilij, Ovidij, Horatij, Phædri, & ſimilium, auctoritatem repererit, voce tanquam minus latina, in eleganti Oratione, Epiſtola & Carmine abſtinebit. Senecæ quoque voces ut: *gratitudo*, pro *grato animo*, erunt vitandæ. *Fieri poteſt*, pro ignoto veteribus Romanis, *poſſibile eſt* elegantius dices. In Patria quoque Lingua eadem ſervanda diligentia eſt, & bonis Sinonymis, quæ vim verborum uſitatorum explicant, tanquam lydio lapide utendum eſt. Sed de Patria lingua alibi dicturi ſumus.

Delectus vero *vocum* ita intelligitur, ut quamvis duæ pluresve, quæ fere idem ſignificent, occurrant voces, melior tamen aptiorque deligenda eſt. Ut Cicero dixiſſe potuit: *enitendum, conandum, contendendum, tibi eſt*, tamen ad cogitationem ſuam melius exprimendam dixit: *in hoc tibi elaborandum eſt, Rempubl: ut conſtituas.* Dicere potuit: *rationes expolitæ:* dixit, *rationes elimatæ.* Dicere potuit: *ægritudines animi*, [quæ, paſſiones barbarè vocantur] *præfocandæ, tollendæ ſunt:* dixit melius: *ægritudines elidendæ ſunt.* Sed infinita eſſent hujus rei exempla. Huc ſpectant & meliores quilibet dicendi modi. Ut melius dices: *Optionem alicui facere ut eligat:* quam, *proponere aliquid ad eligendum. Facere agno:* quam *immolare agnum*

agnum. Comitia cogere quam *convocare ad Comitia.* Sed his ſimilia poſſent ſine fine adduci. Paucis itaque: elocutionem fore ſemper imperfectam & inſipidam, niſi, & proprietatis, & delectûs vocum diligentiſſima ratio habeatur.

Evidens jam eſt, ſemper propriis, ſemper delectis vocibus longè pulchriùs, quamlibet cogitationem exprimi. Si dicas: *Quam pauci ſunt, qui in arcano honeſtatem curent, quam publicè profitentur? Multi enim bonum nomen, pauci vero animæ dictamen curant.* Quam id longè inferius eſt, verbis & ſententia Plinij, qui idem elegantioribus delectisque vocibus, ita exprimit: *Quoto cuique eadem honeſtatis cura, ſecreto, quæ palam? multi famam, conſcientiam pauci verentur.* Si dicas ita: *Si ſapientes bonique ſemper Reges eſſent, Regna ſemper durarent & florerent.* Si aliter idem vertas: *Regnorum fortuna & diuturnitas, ſeriè continua bonorum & Sapientum Principum, metienda eſt.* Si iterum eadem ita mutes: *Sint ſemper boni Sapientesque Reges, florentia Eorum Regna, nunquam eſſe deſinent.* Bona ubique & ſolida cogitatio eſt, ſed dictio inſipida. Melius voces delige, & ſententiæ eidem gratiam dignitatemque reſtitueris. Dic potius: *Regna eſſent æterna, ſi ij qui regunt, boni ſemper bonis, ſapientes ſapientibus ſuccederent.* Dixit quispiam: *Hominis eſt plurimum felicis, poſſe omnia quæ velit: hominis magnæ virtutis eſt, qui nolit, quantum poſſit.* Alius idem ita: *Magnæ fortunæ eſt, poſſe quantum velis: magnæ virtutis eſt, nolle quantum poſſis.* Quid ex his duobus me-

melius ac elegantius dictum? vel puerulus facile judicabit.

Talibus exemplis pluribus, prudens Eloquentiæ Præceptor, Adoleſcentibus oſtendere non gravetur, quam in quærenda proprietate verborum delectuque vocum, nulli ſit parcendum labori, & quam nulla poſſit eſſe elegans, his neglectis, Oratio.

§. VIII.

De Claritate Styli.

INprimis ut claritati in Elocutione quam maximè ſtudeant, aſſiduò cohortandi ſunt Eloquentiæ tyrones, nempè ut intelligant ipſi primum perfectè, id quod ſcribunt, aut dicturi ſunt, quatenus ab aliis facilè intelligi poſſint. Examinent ipſimet in locutione qualibet quo loco caſus, ut vocant nominativus, ubi verbum, ubi ejus conſtructio, ubi caſus communes, ubi epitheta, ubi adverbia. Videant ne procul nimium à verbo ſint, quæ à verbo reguntur: ne epitheta à ſuis nimium ſubſtantivis diſtent: ut adverbia, ut caſus communes, propriis locis collocentur, ut nihil in inciſo, nihil in membro, nihil in Periodo, neceſſarium deſit. Nihil nimium amplificent. Periodos juſto longiores vitent, particulis omnia nectant. Si hæc omnia obſerventur, etiam difficilior quævis Oratio, clara & perſpicua erit.

Cicero de ſtatu mentis, cum è corpore exierit, ita loquitur: " Beati erimus cum cor-
" pori-

" poribus resolutis, & cupiditatum, & æmula-
" tionum expertes erimus. Quodque nunc fa-
" cimus, cum laxati curis sumus, id multò tum
" faciemus liberius: totosque nos, in contem-
" plandis rebus perspiciendisque ponemus; pro-
" pterea, quod & natura inest mentibus nostris
" insatiabilis quædam cupiditas veri videndi; &
" oræ ipsæ locorum illorum, quò perveneri-
" mus, quò faciliorem nobis cognitionem re-
" rum Cœlestium, eò majorem cognoscendi cu-
" piditatem dabunt. &c. Cogitatio hæc excelsa sa-
tis est, sed cum tam clarè exposita sit, quid in
ea, vel pueris intellectu difficile? " Firmissi-
" mum hoc [*inquit idem*] afferri videtur, cur De-
" os esse credamus, quod nulla Gens tam fera,
" nemo hominum tam sit immanis, cujus men-
" tem non imbuerit Deorum opinio. Multi de
" Dijs prava sentiunt, id enim vitioso more effi-
" ci solet, Omnes tamen esse vim, & naturam
" Divinam arbitrantur. Nec vero id collocutio
" hominum, aut consensus efficit: non institu-
" tis opiniò est confirmata, non legibus. Omni
" autem in re, consensio omnium Gentium, lex
" naturæ putanda est. &c. Maximum verò [*idem*
" *inquit*] argumentum est, naturam ipsam de
" immortalitate animorum tacitam judicare,
" quod omnibus curæ sunt, & maximè quidem,
" quæ post mortem futura sunt. Serit arbores,
" quæ alteri sæculo prosint, ut ait Statius: quid
" spectans, nisi etiam postera sæcula ad se per-
" tinere? Ergo arbores seret diligens agricola,
" quarum aspiciet baccam ipse nunquam: Vir
" Magnus leges, instituta, Rempubl: conseret.
"Quid

" Quid procreatio liberorum, quid propagatio
" nominis, quid adoptiones filiorum, quid testa-
" mentorum diligentia, quid ipsa sepulchrorum
" monumenta, quid Elogia significant? nisi nos
" futura etiam cogitare.

Æquè limpidus in exornativo genere, idem Cicero. Celebrat Lucullum: " Consulatum ita
" gessit, ut diligentiam admirarentur omnes, in-
" genium cognoscerent. Post ad Mitridaticum
" bellum missus à Senatu, non modo opinio-
" nem vicit omnium, quæ de ejus virtute erat,
" sed etiam gloriam Superiorum. Tantus er-
" go Imperator, in omni genere belli fuit, præ-
" liis, oppugnationibus, navalibus pugnis, toti-
" usque belli instrumentis & apparatu, ut ille
" Mitridates Rex post Alexandrum Maximus,
" hunc à se Majorem Ducem cognitum, quam
" quemquam eorum quos legisset, fateretur.
" In eodem tanta prudentia fuit, in constituen-
" dis temperandisque Civitatibus, tanta æqui-
" tas, ut hodie stet Asia Luculli institutis ser-
" vandis, & quasi vestigiis persequendis, &c.
Quam hæc claritas, quæ ubique & in omni genere dicendi eadem Ciceroni est, & admiranda omnino, & imitanda est!

Nonnulli tamen solent conqueri: & veteres, & Ciceronem, sibi videri intellectu difficiles. Falsum quidem id est; Non enim ullo modo difficultas hæc, eos, ac Ciceronem præsertim intelligendi, provenit, ex obscuritate Styli, quæ nullibi in eo notari potest, sed nascitur, aut ex ignorantia temporum & Historiæ, cujus nobis notitia deest, aut ex sublimitate materiæ

teriæ, quam non quilibet capere fortaſſe poteſt. Vel in talibus autem ſublimioribus, quæ tractat, materiis, incredibilis illius eſt perſpicuitas. De *DEO ut prima cauſa* motus, ideoque *æterna*, ita ratiocinatur: " Quod ſemper movetur, id " æternum eſt. Quod autem motum affert alicui, ipſum vero agitatur aliunde, quando finem habet motus, vivendi quoque finem, habeat neceſſe eſt. Solum igitur, quod ſeipſum " movet, quia nunquam deſeritur à ſe, nunquam ne moveri quidem definit: quin etiam " cæteris, quæ moventur, hic fons, hoc principium eſt movendi. Principij autem nulla eſt " origo. Nam ex principio oriuntur omnia: ipſum autem nulla ex re alia naſci poteſt. Nec " enim eſſet id principium, quod gigneretur " aliunde. Quod ſi nunquam oritur, ne occidit quidem unquam. Nam principium extinctum, nec ipſum ab alio renaſcetur, nec à ſe " aliud creabit. Siquidem neceſſe eſt à principio oriri omnia, ita fit, ut motus principium ex eo fit, quod ipſum à ſe movetur. Id " autem nec naſci poteſt nec mori, vel concidat omne Cælum, omnisque natura conſiſtat " neceſſe eſt, nec vim ullam nanciſcatur, qua " primo impulſu moveatur. *&c.*

Hæc ſublimia, hæc Philoſophica ſunt: nulli tamen non limpidiſſima, niſi illi, qui de *cauſa prima omnis motus*, nihil unquam audierit.

Illud è Philippica ſecunda, contra Marcum Antonium. " Sed ne forte ex multis re" bus geſtis M. Antonij, rem unam pulcherri" mam

" mam tranſiliat Oratio, ad Lupercalia venia" mus. Non diſſimulat P. C., apparet eſſe com" motum, ſudat, pallet: quid libet, modo ne " nauſeet, faciat, quod in porticu Numitia fe" cit. Quæ poteſt eſſe turpitudinis tantæ de" fenſio? cupio audire ut videam, ubi Rhetoris " tanta merces, ubi campus Leontinus appare" at. Sedebat in roſtris collega tuus, amictus " toga purpurea, in ſella aurea, coronatus. Ad" ſcendis: accedis ad ſellam, [ita eras Lupercus, " ut te eſſe Conſulem meminiſſe deberes] dia" dema oſtendis. Gemitus toto foro. Unde di" adema? non enim abjectum ſuſtuleras, ſed at" tuleras domo meditatum & cogitatum ſce" lus. Tu diadema imponebas, cum plangore " Populi, ille cum plauſu reijciebat. Tu ergo " ſcelerate, inventus es, qui cum auctor Regni " eſſes, eum quem Collegam Regni habebas, " dominum habere velles: & idem tentares, " quid Populus Romanus ferre & pati poſſit. *&c.*

Hæc perquam clara ſunt, ſi Hiſtoriæ lumen adijcias. Lupercalia, ludi erant ſacri Pani paſtorum Deo. Luperci nudi fere in iis diſcurrebant. Lupercum egit Antonius contra gravitatem Conſularem, & Cæſari Regium diadema obtulit, in ea Urbe, cui nomen & inſignia Regum odioſiſſima fuêre. Quod memorat de Numitia porticu, ne ibi nauſeet, vult dicere: dummodo non vomat vinum, quod, temulentus alias M. Antonius, in porticu Numitia coram populo fædè vomuerat. Quod de Rhetore & campo Leontino jocatur, facile intelliges, dum ſcieris, M. Antonium paulo ante in campo Leon-

Leontino ita dicto, jugera aliquot Rhetori cuidam dediſſe, ut eum in adeo provecta ætate eloquentiam doceret. His cognitis nihil eſt, quod tibi in hoc puncto Orationis non perſpicuum videatur.

Illud Plinij, non ob Styli obſcuritatem, ſed ob profundiorem cogitationem, abſque diligenti, meditatione non intelliges. " Mihi " videtur acerba ſemper & immatura mors eo" rum, qui immortale aliquid parant. Nam qui " voluptatibus dediti, quaſi in diem vivunt, vi" vendi cauſas quotidie finiunt. Qui vero po" ſteros cogitant, & memoriam ſui, operibus " extendunt, his nulla mors non repentina eſt, " utque ſemper inchoatum aliquid abrumpat. Simplex ſenſus hic eſt: Magni Viri ſemper cito & præmature moriuntur, nam magna, quæ ſemper moliuntur opera, terminare non poſſunt. Qui propter voluptates ſolas vivunt, aliam vivendi non habent cauſam, niſi voluptatem, quovis ergo die mori poſſunt, absque bonorum dolore, nam vivendi cauſam, quæ illis nulla alia eſt, niſi, qua utuntur, voluptas, quotidie aſſequuntur & finiunt.

Poetæ quoque longè difficilius intelliguntur, non ideo tamen obſcuri ſunt. Illud Juvenalis: *Ruſticus ille tuus ſumit trechedipna Quirine, & Cæromatico fert niceteria collo.* Clarum erit, dum noris Poetam ridere, quod Quirini ſeu Romuli Poſteri, à Ruſticis & Paſtoribus, primis cum Romulo Urbis fundatoribus orti, adamarint genus quoddam peregrinæ ac pretioſæ veſtis, quæ Græcis vocabatur *Trechedipnon:*

dipnon: qua quidem veſte nunquam interdiu, ſed ad ſocietates tantum nocturnas, uti licebat: Quodque in collo ceromate inuncto portarint niceteria ſeu numiſmata quædam, quæ pro præmio ijs qui in gladiatoriis ludis viciſſent, dabantur. *Nicos* apud Græcos victoriam ſignificat: *Niceterion* ſignum ſeu præmium victoriæ.

Paucis dicamus: Oratorum Scriptorumque omnium neceſſariam ac præſtantiſſimam eſſe dotem, Styli claritatem, enormius verò vitium in quocunque Styli genere non dari, confuſione & obſcuritate.

Experientia tamen multiplex teſtatur, vitio hoc obſcuritatis Adoleſcentes maximopere laborare: præſertim quod ſæpe ipſi quæ ſcribunt, intelligere neſcio quomodo videantur, cum tamen in iis ſenſus & ratio deeſt, nec à prudente intelligi poſſunt. Hoc vitium ita plerumque cum ætate creſcit, ut & in Comitiis, & in Senatu, imo & in Sacris Cathedris, talia ſæpius audire contingat, quæ minimè capias, quæ dicens ipſemet ſibi capere videtur, nec capit.

In cogitando quidem præcipuè ſitum eſt hoc vitium, quod inprimis dicendi ſcribendique inexperti adhuc Juvenes, ſed perſæpe etiam jam viri, ita confuſè cogitent, ſeu ſe ipſos in cogitando confundant, ut ſomni fere cogitationes eorum ſint ſimiles, nullusque aut vix ullus bonæ mentis ſenſus in iis eluceat. Verbum etiam aliquando perneceſſarium ad conſtructionem Orationis deerit, nec tamen animadvertent, illud deeſſe.

Si

Si id Vitij à natura oritur, frustra ejus emendationem coneris. Audii ego Comitiorum Præsidem, ita quidem locutum: " Cum munere Superum, Sacra Regia Majestas, Paternæ de nobis sollicitudinis plenissima, cui solennes æternasque à nobis gratias referri oportet, in dolore de tantis infelicitatibus infortuniis & calamitatibus publicis, ac fere re ipsa imminentibus gravissimis periculis ad interitũ undique tendendo, salutis suæ fere immemor, nam noctu diuque laboribus pro Republ: non parcit, etiamsi tot infeliciter ac malignè rupta sint, ad præsentia indefessa ejus cura convocati sumus Comitia, proinde benignè Cœlorum nutu, sine quibus inauspicatò nihil nobis aggrediendum est, & si dubitet, utrum spei Ejus Regiæ responsum sit. &c. &c. Vir tamen erat fere quinquaginta annorum, qui ita scribere ac perorare consveverat. Proinde sinamus tales cogitare, ut iis libet.

Si verò non à natura, sed ab ætate immaturoque adhuc ingenio, confusio hæc cogitationum nascitur, eam profecto & ætas ulterior, & Eloquentiæ disciplina cum tempore corrigent. Omnia sanè quæ hucusque in præceptionibus nostris præcessêre, eò tendunt, hicque præcipuus debet esse cujuslibet boni Magistri labor, bene ut cogitare, ac cogitata ordinatè proferre Adolescentes condiscant. Proinde contra eas obscuritates, quæ ex imperfecto modo cogitandi, aut cogitationes ordinandi plerumque nascuntur, nos hic nihil agemus, cum

cum satis de his sit dictum, in Inventione & Dispositione Rhetorica, ubi de inveniendis solidis cogitationibus, de iisque rectè disponendis abundè egimus: quæ cogitationes si bonæ, siq; rectè ordinatæ sint, ad claritatem Styli nihil deerit, præterquam verba, quibus, prout par est, clarè exprimantur.

Hoc itaque loco de claritate Styli agentes, de verbis dumtaxat agimus, quæ quam clarissimè explicare debent ea, quæ rectè cogitavimus. Brevibus: de claritate Elocutionis agimus.

Obscurant itaque Elocutionem præpromis ingentes, longæ, enormesque Periodi, & iniis infarta incisa. Obscurant frequentes & longiores Parentheses, ubi cogitationes una in aliam involare videntur. Obscurat nimia amplificatio. Obscurat defectus aliquorum necessariorum Verborum, aut: ut plurimum, malus eorum delectus, malaque collocatio.

Quod ut Juvenes facilius in exemplo intelligant, verto in linguam latinam, tale, uti fuit, & eo penitùs, quo fuit ordine, exemplum Orationis cujusdam, factæ ad Regem, in qua gratiæ pro collato Senatorio munere reddunt-tur.

Etsi universæ Reipubl: quæ Tua Potentissime Rex ingentia de se merita, Paternamque sui curam, tota admiratione defixa, quotidie contemplatur, nec continuis celebrare cessat laudibus, intersit, si ut est, grata tibi esse velit, ut tibi qui pacem nobis rerum optimam, & omnibus potiorem triumphis, inter tot undique fire-

strepentium armorum tumultus, inter ardentem flammis incendiisque viciniam, tua vigilantia, Sapientia ac moderatione conservas, qui, dum alij Principes fere in necem generis humani conspirant, & bella quæ omni jus dant sceleri, omniumque injustitiarum ac flagitiorum sunt fontes & faces, ex bellis ferant, tu administrationi justitiæ, qua vitas, fortunas, conjuges, liberos, Laresque nostros, in tuto securoque penis, in Areopagis ac Tribunalibus Regni, Tu Legum observantiæ, Tu saluti Civium, à quibus liberis suffragijs electus rogatusque es, quasi hæreditarij tui Principatus ignorares pericula & calamitates, totus omnino incumbis, nos enim liberorum tuorum veluti amantissimus Parens loco numerare videris; ut Tibi inquam Respubl: gratias quam sollennissimas agat, nihilominus, Rex Clementissime, de cujus nos clementia ac pietate, rectius ea omnia, quæ de suo Trajano Romanus Consul, quæ de Ciro, Tito, M. Aurelio, alii prædicarunt, celebrare posumus; Mihi quoque profecto indulgebis, ut & pro publicis beneficiis, quibus beneficentiam Augusti Imperatoris erga Patriam longe superasti, ille siquidem è lateritia nedum, ut jactabat, marmoream, sed & auream, si reliquisset Romam, sanguinem Romanorum Civium, quem ambitione regnandi, ac opprimendæ Reipubl: cupiditate effuderat, nunquam satis rependisset, ne dum vero pro publicis beneficiis, sed & simul pro summa Tua erga me Regia benevolentia ac munificentia, qui me & honoribus & fortunis, & hac imprimis in Senatu prope Majestatem tuam Curuli, præteritis

ritis forte tot ante me bene de Te & Rep: meritis Civibus, quorum ego erga Te fidem, erga Patriam amorem apprime perspectum habeo, dignatus es, maximas quas animus capere potest, coram teste grati animi mei universo Senatu & Republ: non tam voce, quæ magnitudini tuorum erga me beneficiorum non sufficit, quam corde, cujus lingua & eloquentia disertius nihil est, Majestati Tuæ adjungam gratias. &c.

Quantæ tenebræ! quæ verborum involutio? quæ parentheses? quæ stolida & plus quam Asiatica amplificatio, quæ farrago indigesta rerum? Sed sunt quædam, ut istud, ingenia, quibus plures simul rerum occurrunt imagines, simulque quodammodo in mentem irruunt, prudentia & judicio nullo, arte nulla, quæ eas suo ordine collocet ac dispescat.

Easdem itaque ipsas cogitationes, inutilibus hinc inde amplificationibus rescissis, per suas periodos discerne & discrimina, ita Orationi debitam claritatem restitues. Periodi rotundæ & breviores, [ut jam alibi superius innuimus] ea quæ cogitas, perspicua omnino redent. Sic itaque eloquere.

" Universæ quidem Reipubl: interest, Rex
" Auguste, pro ingentibus Tuis de ea meritis,
" summisque quibus eam cumulare non cessas,
" beneficiis, solennes perpetuasque tibi agere
" gratias. Paternam sui illa curam, quæ Regi-
" am tuam incessanter mentem occupat, tota
" admiratione adfixa contemplatur, debitisque
" celebrare non cessat præconiis. Melius certè,
" magisque regiè de ea mereri non potes,

" quam quod pacem nobis rerum optimam, &
" innumeris potiorem triumphis, tua vigilan-
" tia, sapientia, & moderatione conservas. Ar-
" ma undique personant, ardet flammis
" incendiisque vicinia: nos pacatis rebus, nos
" beato frui otio, nos securos tranquillosque
" degere, cui? nisi, tuæ debemus providentiæ?
" Alij quidem Principes fere in necem humani
" generis conspirasse videntur. Bella ex bellis
" serunt, quæ omne jus dant sceleri, & injusti-
" tiæ, flagitiorumque fontes sunt omnium. Tu,
" ut vita nostra, Conjuges, liberi, Laresque no-
" stri in tuto sint, Optime Princeps prospicis,
" Tuum id est studium, Tua de nobis sollici-
" tudo. In Areopagis nimirum ac Tribunali-
" bus nostris, ut rectè administretur justitia, vir-
" tus & innocentia integræ sint, scelera, vis &
" injuria absint, coerceantur punianturque cri-
" mina, hæc Tua trophea sunt, hæ Tuæ palmæ.
" Ita eorum, à quibus liberis suffragiis electus,
" rogatusque es ut regnares, integritas & for-
" tuna tibi cordi sunt, ita totus eorum felicita-
" ti, salutique curandæ vacas, ut si augustæ tuæ
" Familiæ, hæreditariique tui Principatus, cala-
" mitates & pericula ignorares. Nos etenim
" Liberorum Tuorum loco, velut amantissimus
" Parens, numerare videris. His titulis, his no-
" minibus, quas gratias tibi non debet Respubl:?
" Nihilominus indulgebis Rex Clementissime,
" privato quoque homini, gratissimas ut cum
" universo Senatu, Æquestrique Ordine con-
" jungat voces, ac justas Majestati tuæ persol-
" vat grates, tam pro publicis erga Patriam be-
" nefi-

" neficiis Tuis, quam pro Regia simul erga me
" munificentia, ac benevolentia Tua. Honori-
" bus me siquidem, fortunis, atque hac impri-
" mis præcipua in Senatu Curuli augere di-
" gnatus es, prætermissis, quod me fateri æquum
" est, tot ante me, de Te, & Rep: bene meritis
" Civibus, qui suam erga Te fidem, erga Patriam
" caritatem, clarissimis testati sunt monumentis.
" Sed cum ubique & semper, justitiæ, in me etiam
" præterea benevolentiæ Tuæ, illustre docu-
" mentum præbere non dubitasti. Adeoque,
" quæ de suo Consul Romanus Traiano, quæ
" de Ciro, Tyto, M. Aurelio, tam publica in
" omnes, quam in se privata suorum Principum
" obstricti beneficentia magnificè prædicarunt,
" rectè ea omnia de Te celebrare me hodie opor-
" teret. Nemo enim opinor mihi vitio verteret,
" si Regiæ liberalitatis Tuæ in nos indolem, vel
" ipsius auderem præferre liberalitati Augusti.
" Ille siquidem ne dum è lateritia, ut gloriaba-
" tur, marmoream, sed si auream quoque reli-
" quisset Romam, sanguinem tamen Romano-
" rum Civium, quem cupiditate regnandi op-
" primendæque Reipublicæ effuderat, non-
" dum profecto satis rependisset. Tu ejus ani-
" mum & indolem ad bene faciendum cũctis fa-
" ctam proptissimamque nactus es, sed ejus cru-
" delitatem vindictæque libidinẽ, penitus nunquã
" nosti. Nunquam à Te experti sumus, quod ab
" eo Roma & Romana Nobilitas, experimur autẽ
" quotidie quod ab eo Mæcenas, quod Agrippa,
" quod Maximo, quod Cinna, quod plurimi. Hujus
" Tuæ Clementiæ, & in innumerabilibus alijs, &
" vel in me ipso, hodierno die singulare posteri
" spe-

"ſpectabunt exemplum. Jtaque, non voce, quæ
" magnitudini, tantorum erga nos Tuorum
" beneficiorum, par eſſe nequit, ſed animo, cu-
" jus eloquentia diſertius nihil eſt, Majeſtati
" Tuæ, cum pro iis quæ cum Rep: communia
" mihi ſunt, tum, & pro his, quibus me ſingula-
" riter Regia manus tua cumulavit, donis &
" muneribus, maximas, quas animus capere
" poteſt, ago gratias. &c.

Conferant juvenes hoc utrumque exemplum, & facile adimadvertent, quid ad Styli claritatem pertineat.

Naturam ut dictum toties ſequantur: ſublimia & ampullata vitent, infimo potius ſe ſe plane explicent, quam ſublimi ineptiant inſaniantque Stylo. Quid enim illud cujuſdam? *Collapſa Religio per contemptum ſanctiſſimorum ejus officiorum, in frequētibus adeo perjuriis, uſuris, rapinis, lege Divina naturali & Patria vetitis, quod funditus non everteret Regnum? legum infractio, juſtitiæ adminiſtratio, in commercium verſa, rationes propriæ privato lucro cohoneſtatæ, cui Genti ſtare diu permitterent?* Intelligisne hæc? quam facilius otiuſque intelligeres, ſi planiore, mediocrique Stylo, cogitationes ſuas ita expoſuiſſet:

„ Manifeſtum eſt Regna funditus everti,
„ quæ Religionem ſpernunt, collabique ſinunt.
„ Ibi enim perjuria, uſuras, rapinas lege Divi-
„ na tantopere vetitas, increbreſcere, augeri, &
„ invaleſcere oportet, ubi Sanctiſſima Religio-
„ nis contemnuntur Officia. Nulla quoque
„ Gens, nulla Reſpubl: ſtare diu poterit, in qua
„ impune leges infringuntur, in qua adminiſtra-
„ tio

„ tio juſtitiæ venalis eſt, & in commercium ver-
„ titur, in qua rationes propriæ, publicis Patriæ-
„ que bono præferuntur. *&c.*

Ad claritatem quoque Styli, plurimum facit delectus verborum, eorumque bona collocatio. Qua de re cum in præcedenti §. VII. ubertim tractavimus, proinde hic ijsdem ipsis repetendis abstinebimus. Ponimus nihilominus Exemplum, ex quo patebit, quam delectus & collocatio verborum, Stylum Orationemque illustrent.

Sint *vg:* cogitationes istæ, earumque, verbis, enuntiatio talis:

Boni Civis cogitemus in libera Republ: progeniti obligationes, & eas quæramus, propriarum rationum amota commodorumque cupidine. Collocemus ſingulorum felicitatem in Reipubl: felicitate. Hoc enim debet eſſe principium innatum & impreſſum à natura quodammodo, cuivis non in Regno ſed in Republ: viventis menti, fore tantum illum felicem, quantum felix Reſp: eſt, & fortunata: proinde præferendum eſſe cuicunque, bonum Patriæ communis, privatis emolumentis. &c. &c.

Sit idem cum meliore delectu, debitaque collocatione vocum.

„ Cogitemus in libera Republ: nati, boni
„ Civis officia, ac amota propriarum rationum
„ commodorumque cupiditate, ſtatuamus ſemel
„ in felicitate Reipubl: , felicitatem ſingulo-
„ rum. Hoc enim eſſe oportet, quaſi innatum,
„ mentique à natura quodammodo inſculptum
„ principium, hæc ſententia cujuslibet liberi
„ non in Regno ſed in Republ: viventis Civis,
„ tan-

„ tantum illum felicem fortunatumque fore,
„ quantum erit felix & fortunata Respubl:. Bo-
„ num itaque communis Patriæ, præferendum
„ illi omnino esse, cuicunque emolumento pri-
„ vato, quod in perniciem fraudemque Reip:
„ verteret. Evidens enim est, in paupere, ege-
„ na, debili, inermi, injustitiæ, flagitiorum, ac
„ impunitatis plena, malè ordinata, ingloria,
„ despectaque Republ:, Cives ejus non posse es-
„ se opulentos, fortes, justos. conspicuos, ce-
„ lebres, tutos, securosque. In Republ: consi-
„ lio, justitia, & armis destituta, quis suorum
„ esse potest securus bonorum? Pace tutus
„ non est, quantumvis rei suæ Dominus, à vi
„ potentioris vel litigiosi, injustique vicini. Bel-
„ lo tutus non est, ab hostis externi raptoris-
„ que violenta manu. Cum itaque Reipubl: ut
„ justè omnia in ea agantur, ut se se defende-
„ re armis contra omnem injuriam possit, bene
„ consulimus, bene nobismet consulimus. Cum
„ Reipubl: prospicimus, nobis ipsis prospicimus.
„ Felices ea infelici, nullomodo esse possumus.
„ Hoc quæso, ut dixi, principium, hoc, ut ita
„ appellem, sanctissimum quoddam, cui omnes
„ in Republ: natos religiosissimè parere fas est,
„ decretum, Adolescentes Nobiles, futuri Reip:
„ Cives liberi, ab ineunte ætate menti impri-
„ mite, memoriæ insculpite, animo infigite, sa-
„ crosanctum id placitum vobis esto. Quidquid
„ boni in Athenienſi, Sparthana, Carthaginen-
„ si, Romana, aliisque Rebuspubl: visum unquam
„ fuit, ab hoc fonte, ab hoc fluxit principio. A-
„ thenienſis, Romanus, Sparthanus non fuit,
„ qui ita non sensit. Impium jam, irreligiosum,
„ stul-

„ stultum, imprudens, Cive libero existimate in-
„ dignum, aliquid contra hoc vel sentire, vel peo-
„ care officium. Qui enim secus aut cogitet,
„ aut agat in Republ:, & Rempubl: evertit, &
„ semet, posterosque in ea suos proculdubio
„ perdit. Interire omnino oportet Rempubl:,
„ cujus Cives fortasse putent: *in male ordinata,*
„ *Civitate iis bene futurum.*

Vide quantum & delectæ, & bene collo-
catæ voces, ad perspicuitatem contribuant.

Sed hæc de Styli claritate sufficiant.

§. IX.

De Vitijs Styli.

FAcile jam ex ijs omnibus quæ dicta à nobis hucusque sunt, necti potest, quidam vitio-
rum Eloquentiæ index, qui utiliter Adolescen-
tibus proponetur, ut compendio norint, quæ il-
lis in quovis fugienda sint Stylo.

Cogitationes cumprimis leves & futiles,
de quibus toties dictum est, præsertim quæ è lu-
su in verbis oriuntur, talesque rei propositæ ra-
tiones, quæ parum aut nihil concludunt, cum
tam in Epistolis quam in quavis Oratione soli-
dissimæ rei cujusvis adducendæ sint probatio-
nes. Exemplis abstineo: tota Pars Prima *De In-
ventione*, contra hoc vitium pugnat, & multa
subministrat exempla.

Confusio in cogitando, & ratiocinando,
ac neglectus debiti ordinis inter rationes & ar-
gumenta, quæ pro quavis re probanda adducun-
tur. Tota Secunda Pars *De Dispositione*, con-
tra hoc vitium remedium affert.

In

In Elocutione vero: vitanda præprimis sunt, sive Latinæ, sive Patriæ linguæ vitia: voces nempè impropriæ, barbaræ, malè ex peregrina lingua confictæ, obsoletæ, inusitatæ, minus bene delectæ, modique dicendi itidem inusitati, nam sui, cuivis linguæ, proprii sunt. Si quis igitur optimè linguam, qua scribit aut orat, non callet, prima illi & potissima res deest, cur nulla ratione bonus possit esse Orator, aut bonæ epistolæ scriptor.

Vitanda mala vocum inter se collocatio.

Vitanda *tautologia*, seu fastidiosa, vocis ejusdem repetitio, quæ mutari per Sinonymiam, vel circumscribi debet, ne eadem pluries repetatur: exceptis iis vocibus, quæ Orationis totius sint, ut vocant: *Subjectum*, idest res de qua sermo est.

Vitandæ dialecti & phrases pòeticæ, quæque sunt Pòetis potius carminique, quam Oratoribus propriæ.

Vitanda nimia, nimium studiosa, verbosior, ideoque inutilis, ac puerilis amplificatio.

Vitandus in Stylo tumor, & ampullæ, inflata quædam & semper turgens dicendi ratio; quo vitio nihil turpius

Vitandus Stylus, non quem vocant infimus, sed vilis, repens, & abjectus, cogitationibus vilibus verbisque scatens.

Vitandus troporum abusus.

Vitandum in figuris, tam ne sint nullæ, cum in iis motus animorum, plurimum consistat, quam ne nimium frequentes continuæque sint, nec præsertim dicendi principio majores & violentæ; nulliq; figuræ plus justo immorandum est.

Vitan-

Vitandæ hiperbolæ, exagerationesque nimiæ, quæ prudentiæ repugnent.

Vitandus à parte ad partem Orationis, ab argumento ad argumentum, transitionum neglectus.

Vitanda inter præcedentem quamvis & subsequentem periodum, quædam dissolutio, quas particulis necti inter se eleganter oportet: quæ particulæ, sunt: *enim, siquidem, proinde, &c.* & mille similes. Melius semper expressè ponantur, quam subaudiantur, quamvis & subaudiri nonnunquam possint.

Vitandæ longæ & nimium infartæ periodi, ac in ijs parentheses crebræ aut protensæ: & quoad fieri potest, brevioribus crebrioribusque periodis cogitationes discernendæ. In longioribus vero, particulæ quæ *Protasim* cum *Apodosi* ligent, diligenter adhibendæ.

Vitanda obscuritas Styli, undecunque ea oriatur, sed bis, ter, decies, & pluries, quævis periodus relegandæ, emendanda, corrigenda, voces in ea transmutandæ, transferendæ, delendæ, emendandæ, aliæ quærendæ & substituendæ, donec limpidissimi instar fontis, & lucis, cogitatio quævis pateat, facilisque fit, & audientibus captu, & legentibus intellectu.

Vitanda quævis & legentium & audientium offensio, unde etiam cum adversariis humanitate & urbanitate agendum est.

Vitanda affectatio, & brevis concisique Styli ubique imitatio, sed suæ naturæ & indoli, sua cuivis accomodanda Oratio.

Vitanda denique vana eruditionis ostentatio, quæ facile semet prodit. Quò minimè dis-

sva-

ſvadetur, ne Oratio ſapientiæ & eruditionis plena ſit, imò eam talem eſſe oportet; viderique debet Orator multa ſcire, multa legiſſe, rem de qua tractet penitus intelligere: tanto ſolidior, tanto melior, ſi & aliorum opinionibus, Auctoritatibus, exemplis, ea quæ dicit, illuſtret, fulciat, & confirmet: imo verò is, ſatis eſſe, aut deſes negligenſque, aut puer adhuc cenſendus eſt, in cujus Oratione, doctrina, & plurima eruditio non appareat. Sed vanitas, aut imprudentia in eo arguitur, qui dummodo multarum ſcientiam rerum jactitet, & importunè venditet, è Pòétis, Hiſtoricis, Philoſophis infinita quædam congerit: quæque paucioribus probare ac exornare potuit, ad faſtidium & nauſeam, dilatet, ac exageret.

Hæc omnia & plura his vitia, in Eloquentia magnopere vitari oportet: quæ cum in præcedentibus hujus Libri partibus, exemplis illuſtrata paſſim ſint, hic ab iis, brevitatis cauſa ſuperſedendum duxi.

De Orationibus ſeu Concionibus Sacris, ſeparatim alibi, fuſèque tractaturi ſumus; quò Studioſos Eloquetiæ ſacræ Juvenes remittimus.

De Stylo Patrio ſeparatam diſſertationem paramus, cætera enim omnia quæ Tribus his: *De arte bene cogitandi, ad dicendi bene, artem, neceſſaria*, Libris, contenta ſunt, æquè omnino ad Latinam atque ad Patriam Eloquentiam pertinent: quibus utinam & Religioni, & Reipubl: aliquid utilitatis attulerim.

FINIS.

INDEX RERUM
Quæ in hoc Opere continentur.
PARS PRIMA.

§. I.

PRÆLUDIUM. pag. 7.
Quid eſt Rhetorica? 7.
Quid imprimis requiritur ad dicendum bene? 7.
In quo conſiſtit ornatè dicere? - - - 8.
Unde nomen traxit Rhetorica? - - - 9.
Quis finis eſt artis Oratoriæ? - - 9.
Quod eſt officium Oratoris? - - - 9.
Quæ eſt Materia Rhetoricæ? - - - 11.
Oratori dicturo quid primum agendum eſt? 12.
Propoſitionum ſeu cauſarum quot ſunt univerſim genera? - 13
Quid eſt genus Demonſtrativum? - 13.
Quid eſt Genus Deliberativum? - - 13.
Quid eſt Genus Judiciale? - - - 13.
Conſtituta Propoſitione quid Orator agere debet? - - - - 14.
Quæ ſunt Partes Rhetoricæ? - - 14.

DE INVENTIONE.

§. II.

Quid eſt Inventio? 14.
E quibus fontibus eruuntur argumenta? 15.
Modi incipientium juvandi ingenia, in inveniendis rationibus? 15
Quotuplices ſunt fontes? - - - - 30.
Quid ſunt interni fontes? - - - 30.
Quid ſunt externi fontes - - - - 30.
Qui ſunt fontes interni? - - - - 31.
Quid eſt Definitio? - 32.
Quotuplex eſt Definitio? 32
Quid eſt propria Definitio? - - - 32.
Quid eſt Definitio Oratoria? - - - 33.
Quid eſt Enumeratio partium? - - - 40.
Quotuplex eſt apud Rhetores totum? - - 42.
Quid eſt Genus? - 49.
Quid eſt Species? - 54
Quid eſt Cauſa? - 56.
Quotuplex eſt Cauſa? 56
Quid eſt Cauſa efficiens? - - - - 57.
Quid eſt Cauſa Materialis - - - - 57.
Quid eſt Cauſa Formalis? - - - 57.

Quid

Quid est Causa Finalis 57
Quid sunt Effecta ? ¿ 66
Quid sunt Adjuncta? 72.
Quid sunt Antecedentia ? - - - - 83.
Quid sunt Consequentia ? - - - 89.
Quid sunt Contraria? 97.
Quid sunt Repugnantia ? - - - - 98.
Quid est Comparatio? 109
Quot Modis res comparantur ? - - - 109.
Quid est similitudo? 115.
Quid est dissimilitudo? 115
Quid est Notatio ? 118.

§. III.

De aliis rationum, & cogitationum copiosis fontibus.

Quæ illa sunt, quæ in propositione qualibet, imprimis, ac perquam naturaliter menti occurrere solent ? - 121.
Quid est Honestum ? 122.
Quid est inhonestum? 122
Quid est justum? - 122.
Quid est injustum? 123.
Quid est utile ? - 123.
Quid est noxium ? - 123.
Quid est necessarium? 123.
Quid est non necessarium? - - - - 123.
Quid est jucundum? 124.
Quid est injucundum? 124
Quid est certum seu manifestum ? - - 124.
Quid est incertum ? 124.
Quid est facile? - 124.
Quid est difficile ? - 125.
Suntne alia præter dictos locos, è quibus præcipuè laus Personarũ duci possit ? - - 137.

§. IV.

De cogitationibus excellentioribus.

Ad quid præcipuè cum de Inventione Oratoria agitur, Eloquentiæ tyrones cohortandi, assuefaciendique sunt? 150.
Unde excellentiores cogitationes nascuntur, & qui sunt earum fontes ? - - - 158.

§. V.

De Fontibus Externis.

Quid sunt fontes Externi ? - - - - 177
Quot sunt fontes externi ? - - - - 177
Quid intelligitur per auctoritatem ? - 177.
Quid intelligitur per exemplum? - - 178.

PARS II.

De Dispositione Oratoria.

§. I.

Quid est Dispositio? - 1.
Quot sunt Partes Orationis ? - - - 4.

052310
26 VII 73